BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
165
D
16
NAPOLI

Digitized by Google

CARMINI FIMIANI

IN REG. NEAPOLIT. ARCHIGYMNAS.
PRIMAR. CANON. ANTECESSOR.

ELEMENTA

IVRIS CANONICI

SECVNDVM VETEREM NOVAMQVE ECCLESIAE
CVM ORIENTALIS, TVM OCCIDENTALIS,
ITEMQVE REGNI NEAPOLITANI ET
SICVLI DISCIPLINAM ADORNATA.

Editio altera.

TOMVS SECVNDVS.

B. R.

NEAPOLI MDCCLXXXIX.
EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

Publica auctoritate.

Digitized by Google

Sine dubio tenendum eſt, quod eccleſiae ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio praeiudicandam, quae ſapiat contra veritatem eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti & Dei. Tertullian. *de praeſcript. adv. haereſ. cap. XXI.*

ELEMENTA IVRIS CANONICI.

LIBER SECVNDVS

De rebus eccleſiaſticis.

A Perſonis ad res eccleſiaſticas decedamus. Res eccleſiaſticae in *ſpirituales*, & *temporales* diſpeſcuntur. Spirituales ad aeternam ſalutem adſequendam potiſſimum inſtitutae ſunt. Hae aut *incorporales* ſunt, aut *corporales*; quarum priores percipi ſenſibus nequeunt, ut *virtutes*, & *dona Dei*; poſteriores autem poſſunt, ut *ſacramenta*, *ſacrificia*, *eccleſiae*, *altaria*, *ſacra vaſa*, *ſepulturae*. Temporales res eccleſiaſticis miniſteriis exercendis, alendiſque clericis comparatae ſunt, ut *eccleſiae praedia*, *decimae*, *beneficiorum reditus*. Noſtrum itaque erit, de ſacramentis, eccleſiis, ſepulturis, decimis, beneficiis, patronatibus, penſionibus, ceteriſque eiuſmodi, toto hoc libro curatius ediſſerere.

CAP. I.

De ſacramentis in genere.

§. I. SAcramenti nomen e re profana in ſacram perrepſit. Apud profanos ſcriptores ſacramentum deſignat pignus pecuniae a litigantibus factum in loco ſacro ea lege, ut victor pecuniam ſuam

auferret, victus apud pontificem relinqueret, ceu ex Varrone (1) & Cicerone (2) liquet. Saepe etiam ſignificat iusiurandum, ac initio militare dumtaxat; milites enim ſe imperatori parituros, caſtra non deſerturos, nihilque in remp. molituros ſollemniter iurabant, ut ex Vegetio (3), Polybio (4), aliiſque diſcimus. Inde ad omne iurisiurandi genus ea vox producta eſt: unde illud Horatii (5), *non ego perfidum dixi ſacramentum*. Apud eccleſiaſticos vero ſcriptores ſacramentum ſignificat rem ſacram arcanam quamcumque: unde Tertullianus (6) totum chriſtianiſmum vocat *religionis chriſtianae ſacramentum*; & Ambroſius librum *de incarnationis dominicae ſacramento* inſcripſit. Sed κατ' ἐξοχὴν ſacramenti nomine patres deſignarunt ſignum illud rei ſacrae arcanae divinitus ad homines iuſtificandos inſtitutum: quo ſtricto ſenſu uſurpatur a Lactantio (7), Tertulliano (8), Cypriano (9), Auguſtino (10), ceteriſque. Quod Latini *ſacramentum*, Graeci μυστήριον adpellant. Haec vox aut rem ſacram occultam ſignificat; unde Paulus (11) capita chriſtianae religionis μυστήρια vocat: aut ſignum rei ſacrae; quo ſenſu ſacramenta omnia μυστήρια nuncupat Damaſcenus (12).

§. II. Sacramentum hoc loco eſt *res ſenſibus ſubiecta, quae ex Dei inſtitutione ſanctitatis & iuſtitiae tum ſignificandae, tum efficiendae vim habet*, ut optime definit Catechiſmus Romanus (13): vel *ſignum ſen-*

(1) *Lib. IV. de ling. Latin.* (2) *Lib. I. de Orator.*
(3) *Lib. II. de re milit. c. 5.* (4) *Lib. XI.* (5) *Lib. II. Ode 12.* (6) *Lib. IV. contr. Marcion.* (7) *Lib. I. c. 1. & lib. II. c. 3.* (8) *De praeſcrip. c. 40.* (9) *Ep. 63. ad Caecilium, & ep. 77. ad Nemeſian.* (10) *Lib. XIX. contr. Fauſt. c. 33.* (11) *I. ad Cor. 13. v. 2.* (12) *Lib. IV. de fid. orthod. c. 14.* (13) *Part. 2.*

ſenſibile gratiae inviſibilis a Deo inſtitutum, ut eius ope iuſtificemur, vel ſanctificemur. Nomine *ſigni* venit quidquid ſub ſenſus cadit, noſque in alterius rei cognitionem inducit. Eo paſſim utuntur patres de ſacramentis agentes. Auguſtinus (14) ſacramenta vocat *ſignacula rerum divinarum viſibilia*. Tridentinum (15) ait, euchariſtiam cum ceteris ſacramentis *ſymbolum eſſe rei ſacrae, & inviſibilis gratiae formam viſibilem.* Ideo autem ſacramenta ſub corporeis ſignis Deus inſtituit, ut per ſenſibilia in cognitionem intelligibilium perveniamus. Appoſite Chryſoſtomus (16): *Si enim incorporeus eſſes, nuda & incorporea tibi dediſſet ipſe dona; ſed quoniam anima corpori inſerta eſt, ideo in ſenſibilibus tibi intelligibilia praebentur.* Viſibile hoc ſignum non ſolum deſignat, ſed & confert gratiam iuſtificantem, vel ſanctificantem, quum ſacramenta ideo inſtituta ſint, ut vel iuſtificemur, hoc eſt, gratiam, qua caremus, adquiramus, vel ſanctificemur, ideſt in gratia & ſanctitate augeamur (*a*).

§. III. Huiuſmodi ſacramenta non omni tempore extiterunt. Quatuor nempe ſtatus diſtinguendi, *innocentiae*, *naturae*, *legis Moſaicae*, & *chriſtianae*. In breviſſimo naturae integrae ſtatu, ideſt ante peccatum Adae, nulla extiterunt ſacramenta; haec enim ad medelam animae inſtituta ſunt, ideoque locum ha-

(14) *De cathechiz. rudib. c. 26.* (15) *Seſſ. 23. cap. 3.*
(16) *Hom. 60. ad popul. Antiochen.*

(*a*) Veteres Lutheri & Calvini adſeclae nec cum catholica eccleſia, nec inter ſe conveniunt de ſacramenti natura. Sed hodierni illorum ſectatores concedunt, ſacramenta eſſe ſigna corporea gratiae a Deo inſtituta. Vid. Buddeum *lib. IV. theolog. dogmat. c. 1. §. 16.* Witſium *lib. IV. de oeconom. foeder. c. 10. §. 1.* & Limborchium *lib. V. theolog. chriſt. c. 66. §. 1.*

habere non potuerunt in eo ſtatu, in quem nullus animi morbus irrepſerat. In ſtatu naturae, qui ab Adae lapſu ad Moſen per annos fere 2515. proceſſit, nec veri nominis ſacramenta fuere. Circumciſio a Deo praecepta Abrahamo verum ſacramentum non fuit; quum inſtituta non fuerit, ut ſignum gratiae iuſtificantis, ſed ut ſignum peculiaris foederis Dei cum Abrahamo, quo Hebraei a ceteris gentibus diſtinguerentur (*b*). Hinc Paulus (17) nullam in circum-

(17) *Ep. ad Hebraeos*, & alibi.

(b) Circumciſio a Deo praecepta eſt Abrahamo in ſignum, quo ſoboles Abrahami a ceteris gentibus ſecerneretur, Moſes *Geneſ. XVIII.* 10. *ſeq.* Conſonat Ioſephus *lib. I. antiquit. Hebraic. cap.* 10. *n.* 5.: *Praecepit* (Deus Abrahamo) *quod nollet genus ipſius cum aliis commiſcere, ut pudenda circumciderent, idque octavo die a nativitate*. Tacitus *lib. V. hiſt.* refert, Iudaeos *circumcidere genitalia, ut diverſitate noſcantur*. Eamdem praeceptae a Deo circumciſionis cauſſam afferunt Iuſtinus in *dialogo cum Tryphone*, Irenaeus *lib. III. adv. haereſ. c.* 12. *n.* 11. & *lib. IV. c.* 16. *n.* 1. Tertullianus *lib. III. contr. Iudaeos*, aliique patres. Et Zachaeus Chriſtianus *in collat. cum Apollonio philoſopho lib. I. c.* 18. circumciſionem inſtitutam ait, *ut inter alias gentes ſignaculo corporis electi vivi* (Abrahami) *ſoboles naſceretur*. Iam vero ſunt qui negant circumciſionem primum a Deo inſtitutam, & ab Abrahamo originem habere, ſed eam ab Aegyptiis ad Hebraeos profluxiſſe tuentur, quod apud Aegyptios didicerit Abraham. Ita Celſus apud Originem *lib. I. contr. Celſum*, & Iulianus apud Cyrillum *lib. X. contr. Iulian.* Hanc ſententiam tuentur hodie Io. Marshamus *in canone chronic. ſaec. V.* & Io. Spencerus *lib. I. de legib. Hebraeor. ritualib. cap.* 4. Urgent Herodotum *lib. II. cap.* 104. ubi refert, *ſolos omnium hominum Colchos, & Aegyptios, & Aetiopes ab initio ſtatim pudenda circumcidere*, additque, *Phoenices, & Syros, qui ſunt in Palaeſtina, didiciſſe id ab Aegyptiis*. Ab Aegyptiis etiam circumciſionis Iudaicae originem arceſſunt Diodorus Siculus *lib. I. Bibliothecae*, & Strabo *lib. XVII. Geograph.* At enim Moſes circumciſionem a Deo primum Abrahamo iniunctam teſtatur. Et Ioſephus *lib.*

cumciſione vim ad iuſtificandum fuiſſe ait. Nec propria ſacramenta fuere ſacrificia veteris legis, quae

A 4 Abra-

lib. VIII. antiquit. c. 10. *n.* 3. Herodotum refellit ſcribentem, Phoenices & Syros, qui ſunt in Palaeſtina, ab Aegyptiis circumciſionem accepiſſe, adfirmatque tamquam rem omnibus compertam, nullos alios in Palaeſtina circumcidi, niſi Iudaeos: *Ceterum*, ait, *conſtat, quod nulli alii circumcidantur in Palaeſtina Syri, praeterquam nos. Sed de his ſinguli ita loquantur, prout ipſis viſum fuerit*. Rurſus *lib. I. cap.* 10. *n.* 5. ait, Deum praecepiſſe Abrahamo circumciſionem, *quod nollet genus ipſius cum aliis commiſceri*. Ecquis in rebus Iudaicis credat potius Herodoto, hiſtorico gentili, & poſteriori, qui manifeſtas narrat fabulas, quam Moſi ſcriptori Hebraeo, divino, antiquiſſimo, & in ceteris veridico, atque Ioſepho, aliiſque ſcriptoribus Hebraeis? Porro Herodotus, quique eum ſequuti ſunt Diodorus & Strabo, non demonſtrant, circumciſionem apud Aegyptios ante Abrahamum obtinuiſſe. Profecto Aegyptii potius ab Hebraeis circumciſionem acceperunt. Ab Iſmaëlitis eam didiciſſe Aegyptios notat Anaſtaſius Sinaita *quaeſt.* 28. A Ioſepho, Iacobi filio, Hieronymus *ad Ierem. IX.* 25. ex traditione Hebraeorum. Alii ab ipſo Abrahamo ad alias gentes, inter quas peregrinatus eſt, circumcidendi morem tranſiſſe putant; illius enim ſapientiam & pietatem Aſiatici ac Aegyptii plurimi habuerunt. A Salomonis demum temporibus illam apud Aegyptios uſuvenire coepiſſe ſuſpicatur Steph. Morinus *diſſ. de cognatione Lacedaemoniorum & Athenienſium*. Apud Aegyptios circumciſionem ſerius receptam ex Ioſ. V. 9. & Ierem. IX. 25. colligunt viri docti. Apud alias quoque gentes circumcidendi mos receptus fuit. Vid. Paullum Antonium *diſſ. de circumciſione gentilium*. At ſignum & ſigillum foederis cum Deo circumciſio apud ſolos Hebraeos fuit. Confer quae adverſus Marſhamum & Spencerum late diſſerunt Nat. Alexander *aetat.* 3. *vet. Teſtam. diſſ.* 6. Calmet *diſſ.* 3. *in Geneſ.* Sollerius *de inſtitutis Coptorum T. V. Act. Sanct. Iunii*, Witſius *in Aegyptiacis*, Montacutius *part. I. origin. eccleſ.* Ant. Bynaeus *diſſ. de circumciſione*, Io. Reinh. Ruſius in *program. de circumciſione a gentibus ad Iudaeos non derivata*, Iac. Baumgartenius *diſſ. de regno poſterorum Abrahami in Aegypto*, & Zachar. Grapius *diſſ. an circumciſio ab Aegyptiis ad Abrahamum fuerit derivata?*

Abraham, Melchiſedech, aliique obtulerunt; ea enim a Deo inſtituta non fuerunt tamquam ſigna gratiae, ſed tantum ut Dei ſupremum in omnibus dominium agnoſceretur ab hominibus. Quin graviſſimi patres cenſent, ſacrificia non a Deo inſtituta, ſed ab hominibus ſupremi Dei dominii memoribus facta, atque a Deo permiſſa & tolerata (*c*). In ſtatu legis Moſaicae tria ſacramenta admittunt theologi, *circumciſionem*, *agnum paſchalem*, & *ſacrificia expiatoria*. De circumciſione paullo ante dictum. Agnus paſchalis ſymbolum fuit Chriſti, ſymbolum exitus ex Aegyptiaca ſervitute, adeoque lata ſignificatione ſacramentum adpellatur, quum gratiam adnexam non habuerit. Sacrificia expiatoria a Deo inſtituta potius veri nominis ſacramenta fuerunt; nam erant talia ſigna, quibus poſitis Deus gratiam ſuam dare promiſerat.

§.IV. In lege evangelica Chriſtus ſacramenta inſtituit, ut certa & efficacia ſint ſigna voluntatis & gratiae divinae erga nos, quibus ſanctificemur, & ad fidem chriſtianoſque mores excitemur; utque conflaretur eccleſia, eſſentque ſignacula & veluti teſſerae quaedam ſacrae huius ſocietatis: ut enim Augu-

ſti-

(c) Sacrificia veteris Foederis Chriſtum eiuſque ſacrificium praefigurabant, ut oſtendit Paulus *ep. ad Hebr.* Ea a Moſe conceſſa ſunt Iudaeis, non ſolum ut per ipſa a ſacrificiis idololatricis abducerentur, ſed ut Meſſiam praefigurarent, uti docent Chryſoſtomus *hom. de Chriſto paſtore & ove T.III. edit. Montfauc. p.* 812. *ſeq.* Gregorius M. *lib. X. ep.* 71. aliique patres: adeoque pridem ante Moſen a Deo probata propter mactandum olim Meſſiam, & in lege Moſaica diligenter & magno conſilio praecepta. Quod adverſus Iudaeos, itemque Marshamum & Spencerum, oſtendunt Nat. Alexander *hiſt. eccleſ. Vet. Teſtam. aetate* IV. *diſſ.* 3. *art.* 2. Witſius *in Aegyptiacis*, & *in Miſcellaneis T. I. p.* 456. aliique.

ſtinus (18) ait, *in nullum nomen religionis, ſeu verum, ſeu falſum, coadunari homines poſſunt; niſi aliquo ſignaculorum, vel ſacramentorum viſibilium conſortio colligentur.* Ad ſolum quidem Servatorem pertinet poteſtas conſtituendi ſacramenta; quum enim haec gratiam conferant, ab eo tantum, qui gratiam efficit, inſtitui poſſunt. Appoſite Ambroſius (19): *Sacramentorum quis auctor, niſi Chriſtus dominus?*

§. V. Septem vero ſunt novae legis ſacramenta, *baptiſmus, confirmatio, eucbariſtia, poenitentia, extrema unctio, ordo,* & *matrimonium*, uti definit Tridentina Synodus (20). Singula haec ſacramenta in ſacris litteris & traditione habentur. Septem quoque ſacramenta Orientalis eccleſia perpetuo agnovit (21). Verum patres ad ſaeculum uſque XII. ſacramentorum numerum non expreſſerunt, quum non de omnibus agerent omnes, ſed alii de nonnullis, alii de quibuſdam, nec umquam ſibi propoſuerunt numerum illorum definire: res vero ipſas, ubi ſe ſe offert occaſio, tractant. Quid quod vetuſtiſſimi eccleſiae patres parce & ſubobſcure de ſacramentis loquuti ſunt, ob diſciplinam arcani, inde ab apoſtolico aevo invectam, diuque retentam, qua chriſtianae religionis arcana, inter quae fuerunt ſacramenta, paganis & catechumenis occultabantur (*d*)? Primus Hugo

(18) *Lib. XIX. contr. Fauſt. c.* 11. (19) *Lib. IV. de ſacram. c.* 4. (20) *Cit. ſeſſ.* 7. *can.* 1. (21) Vid. Allatium *lib. III. de conſenſ. eccleſ. Orient. & Occid. c.*16. Arcudium *lib. I. concord. c.* 2. & Goar. *in Euchολog. Graec. p.* 367.

(d) Binghamus *lib. X. origin. eccleſ. c.* 5. §. 3. ſcribit, arcani diſciplinam circa exitum ſaeculi ſecundi natam, eiuſque mentionem a Tertulliano *de praeſcript. adv. haereſ. c.*14. primum fieri. At enim Tertullianus diſciplinam illam non aevo ſuo primum inductam, ſed ab ipſo Chriſto traditam ſupponit;

Hugo Victorinus, qui circa an. 1130. claruit, de omnibus ſeptem ſacramentis egit (22). Mox Petrus Lombardus (23), qui circa an. 1140. floruit, ſeptenarium ſacramentorum numerum adſtruit. Inde Lucius III. (24) an. 1184. memorat *baptiſmum*, *poenitentiam*, *matrimonium*, *& reliqua eccleſiaſtica ſacramenta*.

(22) *Opp. T. 3.* (23) *In IV. diſt. 2.*
(24) *Cap. 9. ext. de haeret.*

nit; haereticos enim ſuorum temporum, tamquam avitae prudentiſque diſciplinae oſores, perſtringit, quod nullam reticentiae ſacrorum rationem haberent: *Quis catechumenus*, ait, *quis infidelis, incertum eſt. Pariter audiunt, pariter orant. Etiam ethnici ſi ſupervenerint, ſanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras, iactabunt.* Hanc vero diſciplinam arcani adſtruit ex verbis Chriſti, *nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.* Nae Tertullianus riſu ab haereticis fuiſſet exceptus, ſi iis vertiſſet crimini, quod diſciplinam heri aut nudius tertius enatam non ſervarent, recentiſque diſciplinae originem in ipſa eccleſiae cunabula conferre auſus fuiſſet. Sed omnem amovet dubitationem Baſilius *de Spirit. Sanct. c.27.* qui arcani diſciplinam a primaeva & apoſtolica traditione deducit: *Dogmata, quae in eccleſia ſervantur & praedicantur, partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum traditione ad nos delata in myſterio, εν μυστηριω, recepimus.* Tum benedictionem aquae baptiſmatis, olei unctionis, & ipſius baptizandi repetit *απο της σιωπωμενης μυστικης παραδοσεως a tacita & arcana traditione.* Idem Baſilius arcani diſciplinam *a patribus* obſervatam ait; ac ne quis *patres* interpretetur eos, qui Tertulliano aequales, vel iuniores fuere, continuo ſubdit: *Qui in primordiis eccleſiae certos ritus praeſcripſerunt Apoſtoli, & patres in occulto, ſilentioque myſteriis ſuam ſervavere dignitatem.* Fuſe argumentum hoc perſequuntur Emanuel Schelſtratenus *diſſ. de arcani diſciplina* (quam fruſtra impugnat Wilhelm. Erneſt. Tentzelius *diſſ. ſelect. part. 2.*) Chriſtian. Kortholtus *diſſ. de occultatione myſteriorum apud veteres chriſtianos*, & Theod. Meier. *libro de recondita veteris eccleſiae theologia, & ſollemni ſacrorum profanis & nondum initiatis occultatione.*

ta. Concilium Londinenſe an.1227.(25) ſeptem ſacramenta enumerat. Lucas Tudenſis (26), qui circa an. 1240. vixit, de ſeptem ſacramentis ſcripſit. Paſchaſius Ratbertus (27), qui an.1351. deceſſit, *ſeptem ſacramenta novae legis* memorat. Concilium Conſtantienſe an. 1415. (28) *ſeptem ſacramenta eccleſiae* laudat. Tandem concilium Florentinum an.1439.(29), & Tridentinum an.1545. (30) coactum definierunt, ſacramenta eſſe numero ſeptem, nec plura, nec pauciora. Ita poſt id tempus ſeptenarius ſacramentorum numerus apud fideles omnes certus eſſe coepit.

§. VI. Sacramenta omnia tribus coaleſcunt, materia, forma & miniſtro. Nemo veterum ad ſaeculum XIII. partes ſacramentorum per materiam & formam explicuit. Hoc enim vertente tempore explicabantur ſacramenta aut per *rem*, ideſt materiam, & *verba*, ideſt formam; aut per *verbum* & *elementum;* aut per *ſignum* & *rem viſibilem;* aut per *ſacramentum* & *rem ſacramenti*. Signo, vel ſacramento quidquid eſt ſenſibile in ſacramento, hoc eſt, materia & forma; re inviſibili, vel re ſacramenti, ſpiritualis eius effectus, puta, gratia, & character, ſignificabatur (*e*). Saeculo XII., etſi ſcholaſtica theologia

(25) Apud Labb. *collect. concil. T. IX. p.* 532.
(26) *Lib.II. adverſ. Albigenſ. T.XXIV. Biblioth. PP. p.*214.
(27) *Lib. IV. in Lament. Ierem. T.XIV. Biblioth. PP. p.*812.
(28) *Seſſ.XV.* (29) *In Inſtruct. Armen.* (30) *Cit. ſeſ.*7.*can.*1.

(e) Sicubi occurrit apud veteres eccleſiae patres *forma baptiſmi*, eam diverſa, qua poſtea ſcholaſtici, ſignificatione adhibuerunt. Per formam enim non partem aliquam baptiſmi ſignificabant, ſed quidquid in eo conficiendo adminiſtrandoque adhibebatur, ut exorciſmi, ritus & caeremoniae. Sic Auguſtinus *lib. de peccator. meritis & remiſſion. cap. XXIV.* vim baptiſmi, & originalis peccati exiſtentiam inde probat, quod ba-

logia Peripateticorum placita adoptaverit ; ordinem tamen explicandi ſacramenta per materiam, ac formam non ſtatim adſcivit. Etenim Bernardus, Hugo Victorinus, Petrus Lombardus, aliique ſaeculi XII. theologi, de ſacramentis diſſerentes, ea per materiam, & formam numquam explicant. Primus ſcholaſticorum hanc methodum adhibuit Guilielmus Antiſiodorenſis, qui paullo poſt an.MCCXIX. ſummam theologicam conſcripſit. Eamdem deinde uſurparunt Alexander Halenſis, Albertus M., B. Thomas, ceterique theologi, qui in definiendis ſacramentorum materiis & formis, inque praecipuis de ſacramentis quaeſtionibus agitandis ſub horum nominum inſigniis ſollicite adlaborarunt. Tandem eamdem ſacramenta per materiam & formam explicandi rationem univerſa adſcivit eccleſia. Sic concilium Florentinum (31) *ſacramenta omnia tribus perfici*, ait, *rebus, tamquam materia, verbis, tamquam forma, & perſona miniſtri conficientis ſacramentum cum intentione faciendi, quod facit eccleſia: quorum ſi aliquid deſit, non perficitur ſacramentum*. Materiam in *remotam* & *proximam* iidem ſcholaſtici theologi diſtinxerunt. Remotam dicunt rem ipſam, quae ſacramento rite conferendo adhibenda eſt, ut aqua in baptiſmo; proximam vero ipſum rei uſum, ut corporis ablutio.

§.VII.

(31) *In decreto pro inſtruct. Armenor.* Quod an. 1489. ab Eugenio IV. conditum, & poſt Graecorum diſceſſum a Latinis tantum patribus probatum durante adhuc concilio.

baptiſmus inanis eſſet, ſi nullum in parvulis peccatum eſſet: *Quid*, inquit, *de ipſa ſacramentorum forma loquar?* Et concilium Milevitanum *can.* 2.: *Unde ſit conſequens, ut in eis* (parvulis) *forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur*.

§. VII. Forma ſacramentorum aut *pura* eſt, aut *conditionalis*. Prioribus octo ſaeculis pura tantum extitit: conditionalis prorſus ignota. Si quando prudens de ſacramenti vi dubium exſurgeret, iterabatur, non ſub conditione conferebatur. Ita Cyprianus conſultus, an valeret baptiſmus per adſperſionem datus clinicis, hoc eſt, aegris in lectulo decumbentibus, illum ſibi validum videri, reſpondit; ſe vero iis, qui dubitabant, auctorem eſſe, ut iterum baptizarent. Concilium Carthaginienſe V. an.CCCLXVIII. (32) cavit, *abſque ullo ſcrupulo baptizandos eſſe infantes, quoties, non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe, ſine dubitatione teſtentur*. Eamdem fuiſſe Orientalis eccleſiae diſciplinam, liquet ex Concilio Trullano (33). Nec vero priſcis patribus iteratum videbatur ſacramentum; quippe qui non repetitum edocebant, quod rite peractum certis argumentis non conſtabat. Diſerte Leo I. (34): *Non poteſt*, inquit, *in iterationis crimen devenire, quod factum eſſe omnino neſcitur*. Conſonat Gregorius M. (35): *Non enim monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur rite peractum*. Saeculo VIII. conditionalis baptiſmi forma prodiit. Ea enim primum praeſcripta eſt in Capitularibus Caroli M. (36) his verbis: *De quibus dubium eſt, utrum ſint baptizati, an non, omnimode abſque omni dubio baptizentur, his tamen verbis praemiſſis:* „ non te baptizo „ , *ſed*, „ ſi nondum es baptizatus, baptizo te „ . Eamdem totidem fere verbis praeſcripſit S.Bonifacius Moguntinus antiſtes in ſuis ſtatutis circa an. DCCXLV. conditis (37). Sed condi-

(32) *Can.* 6. ap. Harduin. *collect. concil. T.* 1. *col.* 987.
(33) *Can.* 84. (34) *Ep.* 37. (35) *Lib. XII. ep.* 31.
(36) *Lib. VI. c.*181. (37) *Cap.*28. ap. Dacher. *Spicileg.T.I.*

ditionalem hanc formam ne in omnibus quidem Gallicanis eccleſiis receptam, eadem Capitularia (38) monſtrant. Saeculo XII. eamdem formam praeſcripſit Alexander III.: *De quibus*, ait, *dubium eſt*, *an baptizati fuerint*, *baptizentur bis verbis praemiſſis*: „ Si baptizatus es, non te baptizo „, *ſed*, „ ſi nondum baptizatus es, ego baptizo te „ *&c.* Decretalis haec non ubique ſtatim innotuit: unde Petrus Cantor, qui poſt Alexandrum de ſacramentis ſcripſit, eam formam reiecit. Saeculo XIII. allata Alexandri decretalis Gregorianae collectioni inſerta eſt (39), qua ubique recepta, Latinae omnes eccleſiae conditionalem baptiſmi formam receperunt, ut oſtendunt earum Ritualia, praecipue Romanum. Ceterum conditionalem formam obtinere tantum in ſacramentis, quae repeti nequeunt, tradiderunt theologi, qui ab Alexandro III. ad ſaeculum XV. ſcripſerunt; quo ineunte conditionalem abſolutionem in quibuſdam caſibus dubiis dari poſſe, docuit Io. Gerſon (40), quem nonnulli alii ſequuti ſunt (*f*).

§. VIII.

(38) *Lib. VII. c. 391.* (39) *Cap. 2. ext. de baptiſm. eiuſq. effect.* (40) *Tract. de unit. eccleſ.*

(f) Num Chriſtus ſingulorum ſacramentorum materiam & formam in ſpecie determinaverit, diſputant theologi. Plures adfirmant; alii negant, aientes quorumdam ſacramentorum materias & formas non fuiſſe in ſpecie a Chriſto determinatas, ſed tantum in genere, poteſtate eccleſiae collata eligendi aliquod ſignum exprimens finem ſacramenti. Nulla de hac re definitio eccleſiae hactenus prodiit. Illud autem certum eſt, omnium ſacramentorum materiam & formam ſaltem in genere a Chriſto determinatam, praeſcribendo ſcilicet, adſumendum eſſe ſignum aliquod exterius, & idoneum ad finem ſacramenti ſignificandum. Certum etiam eſt, nonnullorum ſacramentorum materiam & formam in ſpecie a Chriſto determinatam fuiſſe, uti patet ex materia & forma baptiſmi, & eu-

§. VIII. Ordinarius ſacramentorum miniſter eſt ſolus homo, in corpore vivens. Quum enim viſibilis ſit eccleſia, ſignisque viſibilibus ad fidelium ſocietatem ſovendam Chriſtus virtutem ſanctificandi adligaverit; aequum erat, ſacramentorum miniſterium hominibus in corpore viventibus committi. Solos homines ſtatuit Scriptura, ubicumque de ſacramentorum miniſtris loquitur. Ipſi Angeli nequeunt ſacramenta valide miniſtrare ſine ſpeciali Dei legatione. Hinc ſummum ſacerdotibus honorem impendendum, quod eorum poteſtas nec Angelis, neque Archangelis collata ſit, ſcribunt Nazianzenus (41), Chryſoſtomus (42), aliique. Non omnes autem homines adminiſtrare ſacramenta omnia poſſunt, ſed tantum epiſcopi & ſacerdotes, uno demto baptiſmate. Profecto in eccleſiae corpore, ne ſit ſchiſma, conſtituti ſunt paſtores, & doctores a plebe diverſi, *in opus miniſterii, in aedificationem corporis Chriſti* (43); & honorem hunc is tantum vindicare ſibi poteſt, *qui vocatur a Deo, tamquam Aaron* (44). Nullum autem in eccleſia diſcrimen eſſet, membra omnia eumdem actum haberent, nulla eſſet compago corporis, omnes tamquam Aaron ſumerent ſibi honorem, ſi hominum cuique eadem in ſacramentis adminiſtrandis poteſtas eſſet.

§.IX. Porro in ſacramentorum miniſtro requiritur voluntas, ſeu *intentio ſaltem faciendi, quod facit eccleſia*,

(41) *Hom.*17. (42) *Lib.III. de ſacerdot.* (43) *Ad Epheſ. IV.* 12. (44) *Ad Hebr. V.* 4.

euchariſtiae. Conf. Iuenin. *de ſacram. diſſ.* 1. *quaeſt.* 5. *cap.* 3., Tournelium *de ſacram. in genere art.* 4. *concl.* 3., alioſque theologos.

ſia, ut a conciliis Florentino (45) & Tridentino (46) definitum eſt. Nimirum homo ad ſacramentum rite conferendum ſe gerere debet, ut Chriſti, & eccleſiae miniſter; ad quod neceſſe eſt, eum animo intendere, quod Chriſtus inſtituit, aut facit eccleſia. Quare ſacramenta mimice & iocoſe collata non conſiſtunt, ut adverſus Lutherum & Calvinum in Tridentinis comitiis (47) decretum eſt (g). Num vero in

(45) *In decreto pro instruct. Armen.* (46) *Seſſ. VII. de ſacram. cap.* 11. (47) *Cit. ſeſ.* 7. & *ſeſ.* 14. *cap.* 6.

(g) Regerunt haeretici, qui ſacramenta ioco adminiſtrata valere nugantur, factum Athanaſii, qui adhuc puer in litore maris ludens alios pueros baptizavit, ac eiuſmodi baptiſmus ab Alexandro Alexandriae antiſtite in Synodo epiſcoporum probatus eſt: quod primus memoriae prodidit Rufinus, & ex eo Socrates *lib. I. hiſt. eccleſ. cap.* 15. Sozomenus *lib. II. cap.* 17., aliique. At eiuſmodi hiſtoria ſubleſta eſt. Alexander enim epiſcopus Alexandriae renunciatus eſt an. CCCXIII. ut oſtendunt Pagius *ad an. CCCXI. n.* 25. & Benedictini *in vit. Athanaſ. pag.* 11.; Athanaſius autem iam diaconus, & doctrinae fama praeſtans interfuit Concilio Nicaeno I. an. CCCXXV. habito, & ſequenti an. CCCXXVI. Alexandro in ſedem Alexandrinam ſucceſſit, aetate triginta ſaltem annorum, quippe cui numquam ab Arianis obiectum, quod iunior arripuiſſet epiſcopatum, ut de Pauliniano Hieronymi fratre narratur. Quare Athanaſius aetatis annum agebat ſaltem duodeviceſimum, quo tempore Alexander Alexandrinam eccleſiam adminiſtrabat; proinde falſum eſt, quod Rufinus & Socrates tradunt, Athanaſium tunc temporis fuiſſe *admodum puerum*, ſeu *adhuc impuberem*, uti Sozomenus ait; eumque luſiſſe in aliis pueris baptizandis: aetas enim duodeviginti annorum a puerilibus his nugis aliena eſt. Sed admittatur allata hiſtoria; quid tum ad errorem haereticorum adſtruendum? Nihil Socrates de probato ab Alexandro eiuſmodi baptiſmo perhibet; tantum enim refert, eum *accitos ad ſe pueros interrogaſſe, quem quiſque locum eo in ludo ſortitus fuiſſet, ratum ex eo, quod geſtum fuiſſet, aliquid ſingulis praenuntiari*, και μεταπεμψαμενος τυς παιδας, επυθετο παρ' αυτων τον ἐν τω παιγνιω κληρωθεντα τοπον ἐχα-

in miniſtro ſacramentorum interna requiratur intentio, an ſufficiat externa, diſſentiunt theologi, & adhuc ſub iudice lis eſt. Iove iudicant aequo, qui poſterius hoc adfirmant. Ita ſi miniſter ſerio, loco, tempore, perſonis exigentibus, ſacramentum confert, veluti baptizat, abſolvit, conſecrat, adhibitis ritibus ab eccleſia praeſcriptis, quamvis intentionem ſuam cohibeat, validum eſt ſacramentum (*b*).

§.X.

ἰκάτω, προμηνυεσθαι τι δια τυ γεγονοτος ἡγησαμενος. Sed concedatur, huiuſmodi baptiſmum ab Alexandro fuiſſe probatum: nihil, quod haereticis quoquo modo velificetur, inde extundetur. Athanaſium enim non irriſorie, ſed ſerio pueris contuliſſe baptiſmum eo ritu, quem ab Alexandro epiſcopo adhiberi viderat, ipſe prodit Rufinus, dum Alexandrum diligenti puerorum interrogarione comperiſſe ait, quomodo illi *omnia ſecundum religionis noſtrae ritum* ſervaſſent; & licet omnia puerilis oblectamenti gratia feciſſent, habuiſſe tamen intentionem faciendi, quae *per epiſcopum in eccleſiis geri mos erat.* Conſonat Sozomenus, qui narrat Alexandrum *accurate interrogaſſe pueros, ac deprehendiſſe omnia iuxta ordinem eccleſiaſticum exacte in illis ſervata eſſe, ἀνευρων δε πασαν την ἐκκλησιαστικην ταξιν ἀκριβως ἐπ' αὐτοις φυλαχθεισαν.*

(b) Ambroſius Catharinus Concilii Tridentini theologus in *opuſc. de intentione miniſtri* ſtatuit, ad ſacramentum rite conferendum ſat eſſe, miniſtrum habere intentionem ſerio perficiendi ritum externum, qui ab eccleſia adhibetur: proinde, etſi interius nolle ſe facere dicat, quod facit eccleſia, dummodo exterius ſerio agat, nulloque ſigno pravam voluntatem ſuam prodat, valide ſacramentum adminiſtrare. Catharino adſtipulantur Salmeron *lib.I. comment. in epiſt. D. Paulli part.III. diſp.* 2. Contenſonius *tract. de ſacrament. in genere*, Iuenin. *de ſacram. diſſ.*1. *quaeſt.* 5. *cap.* 2. *art.* 3. Nat.Alexander *theolog. dogmat. & moral. lib. II. de ſacrament. in genere cap.*7. *art.*3. Serry *in vindiciis Catharini*, aliique. Contra pro interna miniſtri intentione iunctis veluti phalangibus dimicat ſatis magna theologorum cohors. Concertatio haec eccleſiae iudicio hactenus diremta non eſt. Interim confidentiſſime theologi nonnulli ſententiam Catharini, tamquam Lutheri & Calvini errori conſonam, traducunt. Evulgavit Catharinus *opuſculum de intentione miniſtri,* poſt-

§. X. Sacramentorum vis a fide ac vita miniſtri non pendet. Quare collata ab haereticis, ſchiſmaticis, infidelibus, & improbis miniſtris valent, modo, quae ad οὐσίαν pertinent ſacramentorum, adhibita ſint. Et vero homo non niſi miniſter eſt ſacramentorum: *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*, inquit Paullus (48); miniſter autem vice fungitur inſtrumenti, *quod non agit ſecundum propriam formam, ſed ſecundum virtutem eius, a quo movetur*, uti ſcite B.Thomas

(48) *I. ad Cor. IV. 1.*

poſtquam ipſe adfuiſſet ſeſſioni VII. Tridentini an. MDXLVII. habitae, in qua contra Lutherum definitum eſt, in miniſtro requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit eccleſia, tum an. MDLII. recuſum eſt Romae: nec ulla erroris ſuſpicione Auctor laborare coepit; quin primum Minorenſis, tum Compſanus antiſtes renuntiatus fuit. Diſerte Pallavicinus *hiſt. concil. Trident. lib. IX. cap. 6. n. 2.* teſtatur, *haud expunctam a Tridentino ſententiam Catharini, aliorumque theologorum opinantium, ſacramento, quod ratum ſit, ſufficere in miniſtro voluntatem ſerio agendi, & obeſſe tantummodo iocum, quem ſacramentum ſuſcipiens cognoſcere poſſit*. Ipſe M. Antonius de Dominis *lib. V. de rep. eccleſ. cap. 12.*, ubi haereticorum errorem ſequitur, Catharinum a ſententia ſua alienum agnoſcit. Nec vero ſententiae Catharini obeſt propoſitio an. 1690. ab Alexandro VIII. n. 28. proſcripta: *Valet baptiſmus collatus a miniſtro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi obſervat, intus vero, in corde ſuo, apud ſe reſolvit, non intendo facere quod facit eccleſia.* Haec enim intelligenda eſt, cum ritus externus aut non ſerio, ſed ioco, & mimice peragitur, aut ab eo exercetur, qui ab exteriori aliquo adiuncto, puta a ſacramenti poſtulatione, non determinatur ad agendum nomine eccleſiae, ſeu tamquam eccleſiae miniſter: quod laudati ſententiae Catharini patroni pluribus adſtruunt. Id certum eſt, ſententiam Catharini, aliorumque theologorum ab Alexandro VIII. damnatam non fuiſſe; ſecus eam a tot ſummis theologis etiam poſt Alexandrum doceri ac defendi Romana eccleſia non toleraret.

mas (49). Porro ſi vitia miniſtrorum fidelibus ita obeſſent, ut ſacramenta ab iis adminiſtrata fierent inefficacia, incredulitas hominum irritam faceret fidem, contra effatum Apoſtoli (50). Tandem fides noſtra *non ex noſtrae voluntatis arbitrio*, *neque ex divini muneris gratia*, *ſed ex meritis ſacerdotum*, *& clericorum qualitate pendebit*. Quae cum abſurda ſint; *ſemper eſt Dei illa gratia*, *& Dei ſacramentum; hominum autem ſolum miniſterium: qui ſi bonus eſt*, *adhaeret Deo*, *& operatur cum Deo; ſi autem malus eſt*, *operatur per illum Deus viſibilem ſacramenti formam; ipſe autem donat inviſibilem gratiam*, uti docet Auguſtinus (51). Obſunt quidem ſacramenta indigne tractantibus, proſunt tamen per eos digne ſumentibus. Pluribus veritatem hanc adſtruunt Chryſoſtomus (52), Nazianzenus (53), Iſidorus Peluſiota (54), Auguſtinus (55), aliique patres. Tandem Tridentinum (56) valere decrevit ſacramenta ab improbis miniſtris collata, *modo omnia eſſentialia*, *quae ad conficiendum*, *aut conferendum pertinent*, *ſervaverint*.

§.XI. Praecipui ſacramentorum effectus duo ſunt, *gratia*, & *character*. Gratiam ſacramenta omnia continent, & conferunt obicem non ponentibus: quod ex ſacris litteris, & perpetua eccleſiae conſenſione definivit Concilium Tridentinum (57). Profecto Paulus (58), dum ſacramenta veteris legis *infirma & egena elementa* vocat, aperte indicat, ſacramenta novae legis ab illis diſtare, adeoque gratiam continere ac producere. Gratiam vero conferunt *ex ope-*

(49) *Part. III. q. 64. art. 5.*
(50) *Ep. ad Rom. III. 3.* (51) *Ep. 166.* (52) *Hom. 86. in Ioan.* (53) *Orat. de baptiſmo.* (54) *Lib. 1. ep. 120.*
(55) *Lib. III. de baptiſm. c. 10.* (56) *Seſſ. 7. de ſacram. in gener. can. 12.* (57) *Cit. ſeſ. 7. can. 6.* (58) *Ad Galat. IV. 9.*

re operato (i)), ideſt ex ſolis meritis Chriſti, eiuſque li-

(i) Suggillant haeretici phraſim *ex opere operato*, a Tridentinis patribus uſurpatam, quod in ſacris litteris, & antiquitate deeſt, quodque barbara eſt, quum opus operatum paſſivo ſenſu dicere, Latinis auribus indignum ſit. Nae vitilligatores nodum in ſcirpo quaerunt. Quod ad primum, inter verba, & ſententiam diſtinguendum eſt? Verba quidem in Scripturis, & veterum ſcriptis deſiderantur. Ea enim loquendi ratio ſaeculo XII. primum adhiberi a theologis ſcholaſticis coepit, uti conſtat ex Innocentio III. *lib. III. de ſacr. altar. myſter. c.* 5. Eadem theologi per quatuor circiter ſaecula ante Tridentinum uſi ſunt, nominatim B. Thomas *in IV. diſt.* 1. *quaeſt.* 11. *art.* 5. Res vero ipſa, quae ea formula comprehenditur, antiquiſſima eſt. Diſerte Auguſtinus *lib. IV. contr. Creſcon. cap.* 16. docet, *baptiſmum non eorum meritis, a quibus miniſtratur, nec eorum, quibus miniſtratur, conſtare, ſed propria ſanctitate atque veritate, propter eum, a quo inſtitutus eſt*. Et *lib.IV. de baptiſm. contr. Donatiſt. cap.* 24. de circumciſione, multoque magis de baptiſmo, ait, *ipſum per ſemetipſum ſacramentum multum valuiſſe;* quod quid eſt aliud, quam valuiſſe ex ſe, ideſt ex opere operato? Ad rem afferam verba Athanaſii *lib. de decretis Synodi Nicaenae tom.* 1. *Opp. p.* 227., ubi carpit Arianos vocem ὁμουσιος reiicientes, quod in Scripturis deeſſet: *Etiamſi*, inquit, *ipſae voces ita in Scripturis non exſtent; ſententia tamen, quam continent, vere in Scripturis habetur*. Et alibi ſic Arium alloquitur: *Nominiſne offenderis novitate, an etiam rei ipſius veritate, quae hoc eſt ſortita vocabulum, refugis? Res enim antiqua novum nomen accepit, non vocabulo novae rei veritas acceſſit*. Integrum eccleſiae ſemper fuiſſe, cum ea eſt temporum neceſſitas, nova verba invenire ad fidem chriſtianis explicatius tradendam, novaſque haereſes profligandas, vocabulum evincit ὁμουσιος, in ſynodo Nicaena ad Filii cum Patre aequalitatem ſignificandam adverſus Arium procuſum: Θεοτοκος, in concilio Epheſino ad exprimendum Mariam eſſe Dei matrem contra Neſtorium adhibitum. Sic etiam concilia Patrem adpellarunt *ingenitum*, nomina *hypoſtaſis*, *incarnationis*, *Trinitatis*, aliaque uſurparunt, quae in ſanctis Scripturis non occurrunt. Nomen *tranſubſtantiationis*, ad converſionem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti deſignandam, in eccleſiam intulit Concilium Lateranenſe IV. At enim Paulus I. *ad Timoth.* 6. *v.* 20.

liberali promiſſione, non *ex opere operantis*, hoc eſt ex meritis ſuſcipientis, vel miniſtri, ut ab eodem Tridentino (59) definitum eſt (*k*). Sed quo modo ſacramenta novi Foederis gratiam contineant & conferant, *phyſice* ne, an *moraliter*, magna inter theologos Concilii Tridentini controverſia exarſit. Dominicani *phyſicam* ſacramentis efficaciam dabant; Franciſcani *mo-*

(59) *Cit. ſeſſ.* 7. *can.* 8.

20. iubet *profanas vocum novitates* evitari? Video; ſed prohibet is novitates dogmatum, non verborum, uti recte monet Vincentius Lirinenſis in *Commonit. cap. XXXIII.*: *Quid eſt*, profanas? *Quae nihil habent ſacri, nihil religioſi, ab eccleſiae penetralibus, quae eſt templum Dei, penitus extraneas*. Profanas, *inquit*, vocum novitates. *Vocum, ideſt dogmatum, rerum, ſententiarum novitates, quae ſunt vetuſtati & antiquitati contrariae*. Ineſt vero formulae *ex opere operato* barbariſmus. Quid inde? Malumus eſſe chriſtiani, quam Ciceroniani. Voces ſaepe adhibuit eccleſia, quae licet parum elegantes, rebus tamen ipſis curatius explicandis, adcommodatiſſimae ſunt. Etenim *melius eſt, ut nos reprehendant grammatici, quam non intelligant populi*, uti belle Auguſtinus *in pſalm.* 138. Fateor, potuiſſe patres Tridentinos aliis vocabulis rem illam explicare; ſed a formula in ſcholis theologorum vulgo tunc recepta prudentiſ conſilio diſcedere noluerunt.

(k) Buddeus *cit. loc.* verba Tridentini, definientis ſacramenta *ex opere operato* gratiam conferre, ſic interpretatur, nempe ſacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem ſine ullo bono motu utentis, ſine fine, ſine caritate: quod abſurdum, & ſcripturis adverſum eſt. Nae is contra artis hermeneuticae regulas alium Tridentino decreto ſenſum affingit, quam quem ei ipſa Romana eccleſia, a qua conditum eſt, attribuit. Mens Tridentini haec eſt, nec merita miniſtri, nec ſuſcipientis ſacramentum conferre aliquid ad gratiam producendam; ſed gratiam conferri gratis ex ſolis Chriſti meritis. Diſerte Tridentini antiſtites definierunt, ſine diſpoſitionibus fidei, caritatis, contritionis neminem gratiam hanc accipere: tantum abeſt, ut eam ſine ullo bono motu noſtro in adultis conferri adfirmaverint.

ralem. Quaeſtionem hanc mere ſcholaſticam patres Tridentini non definierunt; proclives tamen fuere in Franciſcanorum ſententiam, teſte Pallavicino (*60*). Eiuſmodi ſententiam meliores theologi hodie tuentur. Nempe ex horum doctrina ſacramenta ſunt ſigna, quibus poſitis Deus ex ſua promiſſione gratiam largitur. Qui phyſicam ſacramentorum virtutem docent, explicare nequeunt, qua ratione materia, aut verba poſſint phyſice gratiam continere, & conferre, quum gratia nihil aliud ſit, quam aut caritas ſanctificans, aut vis alia Dei nos adiuvans ad opera bona. Confugiunt ad potentiam *obedientialem*, qua materiam elevari aiunt ad opera praeſtanda, quae exigit Deus. Sed voces ſunt ſenſu vacuae (*61*). Porro gratia, quam ſacramenta non ex meritis noſtris, ſed Mediatoris noſtri moraliter producunt, aut *iuſtificans* eſt, aut *ſanctificans*. Primam gratiam, ideſt *iuſtificantem*, duo tantum ſacramenta conferunt, baptiſmus, quo regeneramur, & poenitentia, qua a peccatis poſt baptiſmum admiſſis abſoluti iuſtificamur. Cetera ſacramenta ab homine iuſto ſuſcipiuntur; hinc gratiam adaugent, & hominis ſuſcipientis ſanctitatem.

§.XII. Alter ſacramentorum effectus eſt character, quem tria tantum ſacramenta, baptiſmus, confirmatio, & ordo producunt, adeoque repeti nequeunt, ut idem declaravit Tridentinum (*62*). Eſt autem character *ſignum quoddam ſpirituale*, *& indelebile*, ſeu ſpecialis quaedam hominis addictio divino cultui, qua veluti nota ab aliis diſtinguitur: quod baptiſmo, confirmatione, ac ordine fit. Vox *character*

(*60*) *In hiſt. Concil. Trident.* (*61*) Vid. Iuenin. *de ſacram. in gener. diſſ.* 1. *quaeſt.* 7. *art.* 2. §. 2. (*62*) *Cit. ſeſ.* 7. *cap.* 9.

ſter apud veteres eccleſiae patres nuſquam comparet. Eam ſaeculo XII. ſcholaſtici theologi invexerunt, primuſque pontificum uſurpavit Innocentius III. *(63)*. Res vero ipſa, quae novo hoc vocabulo ſignificatur, antiquiſſima eſt in eccleſia, ut ex Cyrillo Hieroſolymitano *(64)*, Baſilio *(65)*, Nazianzeno *(66)*, Chryſoſtomo *(67)*, Pſeudo Dionyſio *(68)*, Ambroſio *(69)*, Auguſtino (70), aliiſque compertum eſt. Idem confirmat Paulus (71): *Qui unxit nos Deus, & ſignavit nos*. Et alibi (72): *In quo, & credentes ſignati eſtis*. Quare *res antiqua novum nomen accepit, non vocabulo novae rei veritas acceſſit*, ut verbis utar Athanaſii (73). De re, non de vocabulo ſolliciti ſumus *(l)*.

CAP. II.

De ſacramentis in ſpecie, ac primum de baptiſmo.

§. I. Nunc de ſingulis evangelicae legis ſacramentis agendum. Agmen ducat baptiſmus, quo eccleſiae inſerimur. Baptiſmus proprie *merſionem* ſignificat a Graeco *βαπτιζειν mergere, tingere*, & per

me-

(63) *Cap. 3. ext. de baptiſmo, eiuſque effectu.*
(64) *Catecheſi 4. & 17.* (65) *Orat. 12.*
(66) *Orat. de baptiſmo.* (67) *Hom. II. & 14. in ep. ad Epheſ.*
(68) *De eccleſ. hierarch. c. 2.* (69) *De Spiritu ſancto c. 5.*
(70) *Lib. VI. de baptiſm. c. 1.* Vid. Bellarmin. *lib. II. de ſacrament. c. 22.* (71) *1. ad Cor. cap. 5. v. 21.* (72) *Ad Epheſ. cap. 1. v. 13.* (73) *Lib. de decretis Synodi Nicaenae.*

(l) Splendide mentiuntur novatores, qui characterem eſſe novum dogma, primum ab Innocentio III. adinventum, garriunt. Ipſe Innocentius *cit. cap. 3.* memorat opinionem adfirmantium, eos, qui inviti baptizantur, recipere ſolum *characterem:* tantum abeſt, ut eius ſive rei, ſive nominis auctor extiterit.

metalepſin *abluere*, quum aliquid fere mergi ſoleat, ut lavetur. Allegorice autem *baptizare* deſignat initiari in doctrina & myſteriis ſalutis: unde Paulus doctrinam evangelicam *lavacrum regenerationis* (1), & poenitentiam *lavacrum aquae* (2) adpellat (*a*). Hoc loco baptiſmus eſt *ſacramentum a Chriſto inſtitutum, quo ſub expreſſa Trinitatis invocatione per aquam homines regenerantur*. Quo autem tempore inſtitutus ſit, non ſatis liquet. Probabilius eſt, a Chriſto inſtitutum fuiſſe, quum a Ioanne baptizatus eſt; praeceptum vero baptiſmi ſuſcipiendi non obligaſſe ſaltem generaliter ante evangelii promulgationem: quod patrum teſtimoniis Nat. Alexander (3), Drouven (4), Bertius (5), aliique confirmant. Ethnici & Iudaei ſuos habuere baptiſmos, ſeu ablutiones ſacras (*b*), ipſum-

(1) *Ep. ad Tit. c. 3. v. 5.* (2) *Ad Epheſ. V. v. 26.*
(3) *Lib. II. theol. dogm. & moral. tract. 2. c. 3.*
(4) *Lib. II. de re ſacram. quaeſt. 7. §. 1.*
(5) *Lib. XXXI. de theologic. diſcipl. c. 3.*

(a) Varias baptiſmi ſignificationes & acceptiones apud veteres obvias congerit Suicerus *theſaur. eccleſ.* v. *βαπτισμα*.

(b) Gentes fere omnes varias adhibuerunt religioſas lotiones, quibus contractas ſordes eluebant, & ſcelera purgabant, & quod caput eſt, baptiſmo homines novis religionibus conſecrabant. Sic apud Aegyptios ſacris Iſidis, apud Perſas ſacris Mithrae per aquam homines initiabantur, teſte Tertulliano *de baptiſm. c. 5.* Fuſe de ethnicorum ablutionibus, luſtrationibus, expiationibus & regenerationibus per aquam ediſſerunt Huetius in *Alnetanis lib. II. c. 20.* Grotius *in Matth. c. 3. v. 6.* Spencerus *lib. II. de legib. Hebr. diſſ. 3. ſect. 1. c. 2.* Sperlingius *libro de baptiſmo ethnicorum*, Paciaudus *de ſacr. chriſtianor. balneis c. 1.* aliique permulti. A gentilium ablutionibus & expiationibus per aquam Iudaicas repetit Spencerus *cit. loc.* Quidquid ſit de hac re, Iudaei varias frequentarunt lotiones corporis, quibus legales ſordes abſtergebant, quas exponunt interpretes Levitici, itemque Buxtorfius *diſſ. 7. philologico-theol.* Theod.

ipſumque Chriſti baptiſmum Ioannis baptiſmus praeceſſit (*c*).

§. II. Remota baptiſmi materia eſt ſola aqua natu-

Theod. Daſſovius *diſſ. de luſtrationib. Hebraeor.* Io. Behmius *diſſ. de lotione in obeundis ſacris*, Conradus Ikenius *diſſ. de aſperſionibus Hebraeor.* Andr. Froelundius in *exercitationib. V. de χειρονιπτοδονιψια ſacerdotum Hebraeorum*, & Henric. Iac. van Bashuyſen *de omnibus lavacris & lotionibus Hebraeorum eorumque myſterio*. In primis habuerunt Hebraei baptiſmum initiationis ſeu proſelytorum, quo gentiles ad Iſtraëlitas tranſibant. Quo tempore baptiſmus proſelytorum apud Hebraeos inſtitutus ſit, diſſentiunt viri docti. Deylingius *part. 3. obſervat. ſacrar.* nullo idoneo teſtimonio probari poſſe cenſet, illum ante tempora Ioannis Baptiſtae fuiſſe: contra alii, longe ante Chriſtum invaluiſſe ſtatuunt. Vid. Io. Cyprianum *diſſ. de baptiſmo proſelytorum Iudaico ſacramento V. T.* Georg. Zeltnerum *diſſ. de initiis baptiſmi initiationis Iudaeorum*, Andr. Danzium *in antiquitate baptiſmi initiationis Iſtraëlitarum vindicata adverſus adſcribentes ipſi originem chriſtianam*, & Ant. Van Dale *in hiſtoria baptiſmorum Hebraicorum & chriſtianorum*. Atque ex Hebraeorum more derivaſſe baptiſmum chriſtianorum opinantur nonnulli etiam ex catholicis. Certe Chriſtus dum baptiſmum in ſacramentum novae legis conſecravit, ritui Iudaico ſe adcommodavit, eumque ex mere humano divinum effecit. Vid. Gottl. Wernſdorfium *diſſ. de baptiſmi chriſtianorum origine mere divina*.

(c) Ioannes Baptiſta, ut Iudaeos diſponeret ad regnum Meſſiae, baptiſmum in aqua inſtituit iuſſu Dei, *Matth. XXI.* 25. *Ioan. I.* 33. Fuiſſe baptiſmum Ioannis purificationibus legalibus praeſtantiorem docent Cyrillus *lib. I. in Ioan. cap.* 1. aliique patres. Multis autem nominibus Ioannis baptiſmus differebat a baptiſmo Chriſti, praeſertim quod Ioannis baptiſma iſagogicum *μετανοιας poenitentiae* fuit, non *υἱοθεσιας adoptionis*, Chriſti vero in Spiritu ſancto; nec a Ioanne baptizati renaſcebantur, quum contra Chriſti baptiſmo homines renaſcuntur. Vid. Milles *ad Cyrill. Hieroſolymit. p.* 287. Montacutium *T. I. origin. eccleſ. p.* 386. *ſeq.* Suicerum *theſ. eccleſ.* v. *βαπτισμα*. Labuntur ergo Voſſius *diſput.* 8. *de baptiſmo* aliique haeretici, qui eamdem baptiſmo Ioannis & Chriſti virtutem attribuunt.

turalis (*d*). Hac Ioannes (6), Apoſtoli (7), aliique tinxerunt. Hinc baptiſmus *aquae lavacrum* dicitur Paulo (8), & *aqua vitae* Iuſtino M. (9). Ex eccleſiae diſciplina, a primis temporibus obſervata (*e*), aqua

(6) *Matth. III.* 6. & 16. *Ioan. III.* 23. (7) *Ad IX.* 28. *&* *X.* 47. (8) *Ad Epheſ. V.* 26. (9) *Dialogo cum Triphone.*

(d) Stephanus II. epiſcopis Galliarum dediſſe undeviginti reſponſa fertur, quae primus ex MS. Laudunenſi edidit Sirmondus *tom. I. Concil. Galliae:* inter quae eſt undecimum *de presbytero, qui, cum deeſſet aqua, periclitantem infantem vino baptizavit.* Ipſa reſponſi verba haec ſunt: *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adſcribitur culpa. Infantes ſic permaneant in ipſo baptiſmo. Nam ſi aqua adfuit praeſens, ille presbyter excommunicetur, & poenitentiae ſubmittatur, quia contra canonum ſententiam agere praeſumſit.* Reſponſum hoc non modo mendoſum, quod nonnulli aiebant, ſed etiam ſubdititium, *& ab imperito aliquo conſarcinatore, nec ſatis provido aſſutam hanc infeliciter laciniam Stephani reſponſis; & ab eodem pari arte, atque fallacia Siricio quoque ipſi attributam ſub Gratiani monachi tempora*, multis oſtendit Harduinus *quaeſt. de baptiſmo in vino.* Sane de auctore eius reſcripti non conſtat, illudque duo MSS. Codices Stephano II., tertius Siricio adſcribit: nec deſunt eruditi, qui Stephano III. tribuunt. In omnibus iis MSS. non uno modo res ipſa narratur. Quis vero concoquat, pontificem in re protrita turpiſſime lapſum; quem enim praeterit, ex Chriſti inſtituto aqua tingi oportere? Adhaec, eius reſponſi non ſatis authentica, nec certa extant monumenta; neque ullus canonum collector, aut ſcriptor illius meminit. Adde Cointium *ad an. DCCLIV.* §. 17. Ant. Auguſtin. *de emendat. Gratian. p.* 200. Baluzium in *Ant. Auguſtin. p.* 431. & Nat. Alexandr. *in ſaec. VIII. cap.* 1. *art.* 6.

(e) Voſſius *de baptiſm. diſp.* 1. *theſ.* 3. ſcribit, Ioannem & Apoſtolos baptizaſſe aqua vulgari, *non per adiurationem, ſignationem, crucisve immiſſionem, & olei effuſionem, conſecrata.* Conſentit Baſnagius *Annal. politico-eccleſ. ad an. XXXVI. n.* 38. *& ſeq.* adſeverans, baptiſmum ab apoſtolico aevo ad Iuſtini martyris tempora ſola aqua naturali, nullis ornata caeremoniis conſtitiſſe, priſcamque ſimplicitatem aetate Tertulliani

aqua baptiſmo adhibenda a ſacerdote certis precibus con-

liani, qui ſecundo labente ſaeculo floruit, *defloravi coepiſſe, additis pluribus caeremoniis, ut ſacramento decus, & lumen conciliaretur, ac vis eius ſpiritualis ſigno viſibili adumbraretur, lactis ſcilicet & mellis praeguſtata concordia, unctione, manuum impoſitione, quas Apoſtoli caeremonias non uſurparunt, non Iuſtinus, non Athenagoras, imo non Irenaeus.* Nulla Baſnagio haec perhibenri habenda fides. Etenim Tertullianus ipſe has, aliaſque caeremonias iis eccleſiae conſuetudinibus accenſet, quae ob diuturnum, & immemorabilem uſum vim legis iam obtinuerant. Eius verba *de corona milit. cap.* 3. hic appingam: *Ergo quaeramus, an & traditio niſi ſcripta non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, ſi nulla exempla praeiudicent aliarum obſervationum, quas ſine ullius ſcripturae inſtrumento, ſolius traditionis titulo, & exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus. Denique ut a baptiſmate ingrediar; aquam adituri, ibidem, ſed & aliquanto prius in eccleſia ſub antiſtitis manu conteſtamur, nos renuntiare diabolo, & pompae, & Angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondendo, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde ſuſcepti, lactis & mellis concordiam praeguſtamus &c.* Et infra *cap.* 4.: *Harum & aliarum eiuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi praetenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* Et rurſus: *His igitur exemplis renuntiatum erit, poſſe etiam non ſcriptam traditionem in obſervatione defendi, confirmatam conſuetudine, idonea teſte probatae tunc traditionis ex perſeverantia obſervationis. Conſuetudo autem etiam in civilibus rebus pro lege ſuſcipitur, quum deficit lex.* Nae rerum eccleſiaſticarum prorſus rudem Tertullianum, ſi haec ſcribere auſus fuiſſet, praeter quam de rebus & inſtitutis, quorum ob nimiam vetuſtatem ignotae fuiſſent origines! Nonne riſum exciret, qui caeremoniae vix ante annos quinquaginta (tot enim a martyrio Iuſtini ad annum, quo Tertullianus librum de *corona militis* conſcripſit, non effluxerunt) ab eccleſia inſtitutae vetuſtatem iis, quibus Tertullianus recenſitorum baptiſmi rituum vetus inſtitutum, verbis amplificaret? Tertulliano conſonat Baſilius *de Spiritu ſancto cap.* 27. qui benedictionem aquae baptiſmaris, oleum unctionis, trinam merſionem, abrenunciationem Satanae, & reliquos baptiſmi ritus *ex Apoſtolorum traditione ad nos delata in myſterio* deducit. Vid. ſupra *cap.* 1. §. 5. *in adnotat.* Dum vero Baſnagius

conſecrari ſeu benedici debet : quod liquet ex Cypriano (10), Cyrillo Hieroſolymitano (11), Pſeudo-Clemente (12), Auguſtino (13), aliiſque. Spectat autem ſanctificatio aquae non baptiſmi *ουσιαν*, ſed diſciplinam: unde, urgente neceſſitate, aqua non benedicta uti licet.

§. III. Proxima baptiſmi materia eſt ipſa corporis ablutio, quae fieri tribus modis poteſt, *immerſione*, *adſperſione*, *effuſione*. Omnium antiquiſſima eſt immerſio, ut ipſa prodit vox *βαπτιζειν*, *mergere*. Ea Philippus Candacis eunuchum tinxit; nam *uterque deſcendiſſe in aquam* legitur in Actis (14). Servator ipſe per immerſionem a Ioanne baptizatus eſt; etenim *baptizatus Ieſus adſcendit ſtatim de aqua*, ut ait Matthaeus (15). Si ex aqua adſcendit, antea ſane deſcenderat. Mergebantur autem toto corpore nudi, & ne levi quidem faſciola obducti, ut oſtenderetur *baptizatos exuere veterem hominem*, iique imitarentur Chriſtum, *qui in cruce nudatus* (toto penitus corpore) *principatus & poteſtates huius ſaeculi ſpoliavit*, ut ex Cyrillo Hieroſolymitano (16), Chryſoſtomo (17), Bernardo (18), aliiſque liquet. Nec adulti tantum, ſed & infantes omnino nudi ſacro

fonti

(10) *Ep.* 70. (11) *Catecheſ.* 3. (12) *Lib. VIII. Conſtit. apoſtolic. cap.* 43. (13) *Hom.* 27. & 50. *T. X.*

(14) *Act. VIII.* 38.

(15) *Matth. III.* 16. Conf. Martene *de ritib. eccleſ. lib. I. p.* 128. *ſeq.* Vicecomitem *de ritib. vet. eccleſ. circa baptiſm. lib. IV. cap.* 7. & Henric. Pontanum in *diſſert. de ritu merſionis in ſacro baptiſmate.* (16) *Catech. myſtagogic.* 2.

(17) *Hom.* 6. *in cap.* 2. *ad Coloſſ.* (18) *Serm.* 46. *de paupertate.*

gius obiicit Iuſtini, Athenagorae, & Irenaei ſilentium, videat, ne vapulet a logicis, qui huiuſmodi argumenta negantia nullius roboris eſſe docent.

fonti mergebantur, ut habes ex Gregorio M. (19), & Ordine Romano (20). Eamdem in feminarum baptiſmo conſuetudinem obtinuiſſe, conſtat ex Chryſoſtomo (21). Huius denudationis ritum exhibent imagines Romani, Agilulfi, Theodolindae, aliorumque apud Ciampinum (22). Mulierum autem pudori conſulebatur in primis per diaconiſſas, quarum erat baptizandas honeſte nudare, ne quid baptizantis oculis inverecunde ingereretur, ut ex Epiphanio (23) liquet. Inde ab apoſtolicis temporibus ter mergebatur, *propter Trinitatis myſterium*, ut Tertullianus (24), vel ad Chriſti poſt triduum e ſepulchro prodeuntis fidem reſtandam, uti Pſeudo-Dionyſius (25) cenſet. Semel in trina merſione baptiſmi forma pronuntiabatur. Ordo Romanus (26): *Baptizant eos ſub trina merſione, tantum ſanctam Trinitatem ſemel invocando, ita dicendo*, ego baptizo te in nomine Patris, *& mergit ſemel*: & Filii, *& mergit iterum*: & Spiritus ſancti, *& mergit tertio*. Originem trinae in baptiſmo merſionis ab ipſo Chriſto arceſſunt Chryſoſtomus (27), & Auctor canonum Apoſtolicorum (28); ab eccleſiaſtica traditione Tertullianus (29), Hieronymus (30), & Baſilius (31). Non autem ad vim ſacramenti trina haec merſio ſpectabat. Cum enim ſaeculo VI. nonnulli Hiſpaniarum epiſcopi ſemel mergere coepiſſent, ne viderentur Arianos imitari

(19) *In Sacramentario.* (20) *Cap. de die ſabb. S. paſchal., in Auctario Biblioth. Patr. col.* 82. *&* 83. (21) *Ep. ad Innocent. papam.* (22) *Libro infra laudando.*

(23) *Haereſ.* 79. quae ad Collyridianorum. (24) *Contr. Praxeam cap.* 26. (25) *De eccleſ. hierarch. cap.* 2. *n.* 8.

(26) *Ext. in Biblioth. Patr. tom. XIII.* (27) *Hom. de fide.* (28) *Can.* 50. (29) *De corona militis cap.* 3.

(30) *Dialogo adv. Luciferian.* (31) *De Spiritu ſancto cap.* 2.

tari, qui ter mergentes ſignificabant Filium & Spiritum ſanctum non eiuſdem οὐσίας eſſe; eorum factum probavit Gregorius I. (32). Baptiſmus per immerſionem prioribus XIII. ſaeculis obtinuit. Saeculo XIII. nonnulli per effuſionem baptizare coeperunt; at vulgo tamen vigebat immerſio: quod utrumque teſtatur B. Thomas [33], qui an.1274. obiit: *Tutius eſt baptizare per modum immerſionis; quia hoc habet communis uſus*. Sub exitum eiuſdem ſaeculi immerſio deſueſcere, ac effuſio frequentari coepit, ut Ritualia ab eo tempore condita demonſtrant. Praecipuae huius mutationis cauſſae duae videntur: altera, ut valetudini parvulorum, quorum baptiſmus ad provectam aetatem hodie non differtur, damnum ex immerſione non inferretur; altera, ut pudori miniſtri, & ſuſcipientium proſpiceretur, maxime deficientibus diaconiſſis, quarum erat denudatas mulieres immergere (*f*).

§.IV. Quamquam autem inde ab apoſtolicis temporibus immerſio praevaluerit apud veteres; interdum

(32) *Lib.* 1. *ep.* 41. *ad Leandrum Hiſpalenſ.*
(33) *Part. III. quaeſt.* 66. *art.* 7.

(f) Vt alibi, ſic in eccleſiis noſtris, a primis uſque ſaeculis baptiſmus trina immerſione conferebatur. Diſciplinam hanc in Sicilia viguiſſe, ſupponit Leo M. *ep.* 16. *ad univerſos epiſcopos Siciliae*. Ea magis invaluit, quum Siculi vi Leonis Iſaurici a Romano ad CPolitanum patriarcham abducti ſunt, uti liquet ex Theophane Cerameo illius aevi ſcriptore *hom. XXVIII.* Sub Nortmannis etiam perennaſſe in Sicilia trinam baptiſmi immerſionem, oſtendit Miſſale membranaceum Panormitanae eccleſiae ſex circiter ſaeculorum, apud Io. de Ioanne *de divin. Sicul. offic. cap.*29. Saeculo XVI. ineunte effuſionem, omiſſa immerſione, adhiberi apud Siculos coepiſſe, probat Miſſale Gallo-Siculum ſecundum morem eccleſiae Meſſanenſis, excuſum Venetiis an. MDXXVII.

dum tamen effuſione, vel adſperſione ab iiſdem baptizatum eſt. Verbum βαπτιζειν utrumque denotat, & *mergere*, & *abluere*. Apoſtolos aliquando ita baptizaſſe ob multitudinem baptizandorum, colligi ex Actis (34) poteſt, quibus una die ter mille, altera quinquies mille baptizati dicuntur: quod effuſione, vel adſperſione factum, putat B. Thomas (35). Perfuſione baptizatos fuiſſe clinicos (g), conſtat ex Cornelio papa (36), & Cypriano (37). Num vero clinicorum baptiſmus valeret, quod non immerſione, ſed effuſione, vel adſperſione daretur, dubitarunt veteres. Cyprianus a Magno interrogatus, an valeret baptiſmus eorum, qui in infirmitate & languore baptizantur, *quod aqua ſalutari non loti, ſed perfuſi ſint*, valere reſpondit, ſive *adſpergantur*, ſive *perfundantur* aegri. Eumdem clinicorum baptiſmum probavit Synodus Laodicaena (38). Sane ablutio ad baptiſmi οὐσιαν pertinet; immerſio, effuſio, & adſperſio di-

(34) *Act. cap. II.* 41. & *cap. IV.* 4. (35) *Cit. loc.*
(36) *Ep. ad Fabium Antiochen.*, apud Euſeb. *lib. VI. hiſt. eccleſ. cap.* 43. (37) *Ep.* 76. *ad Magnum*. (38) *Can.* 12.

(g) In veteri eccleſia *Clinici* dicebantur, qui ob morbum in aquam mergi non poterant; tantumque in lecto aqua perfundebantur, vel adſpergebantur. Clinicorum, qui, in extremis conſtituti, baptiſmum deſiderarent, genera fuere duo; unum catechumenorum, & gentilium ſe ſe convertentium: alterum eorum, qui iamdiu chriſtiana religione inſtructi, diſtuliſſent baptiſmum in extremum vitae tempus. Interim Clinici, ſi convaleſcerent, in clerum aſſumi non poterant; tum quia videbantur neceſſitate, non ſponte, facti chriſtiani; tum quia non conveniebat inter omnes, an adſperſio, vel perfuſio, verus eſſet baptiſmus. Plura de Clinicis congerunt Marquardus Gudius *diſſ. de Clinicis, ſive Grabatariis vet. eccleſ.* Suicerus *in Obſ. ſacr. p.* 68. *ſeq.* Lambecius *not. ad vit. S. Anſcharii*, & Martene *de antiquis eccleſ. ritib. lib. I. p.* 149. *ſeq.*

diverſi ſunt ablutionis modi, qui re ipſa nihil differunt. Nonnumquam baptiſmum per immerſionem ſimul in aquam & ſuperfuſionem aquae collatum, probant imagines baptiſmi Agilulfi Longobardorum regis, eiuſque uxoris Theodolindae, aliorumque, quas Mabillonius (39), & Ciampinus (40) exhibent.

§. V. Forma baptiſmi apud Latinos eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ut habent concilium Florentinum (41), & Tridentinum (42). Apud Graecos vero eſt: *Baptizatur* βαπτιζεται *ſervus Dei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ut eſt in Euchologio Graecorum (43). Ita Graecorum forma *enunciativa* eſt, non *deprecativa*. Iam ſalvo ſacramento *το ego* omitti poſſe, & Graecorum formula probat, & ipſa natura verbi perſonam exprimentis. Si vero nullo modo exprimatur ſubiectum, vel pronomine *te*, vel aequivalenti vocabulo, haud ſubſiſtit baptiſmus. In omnibus enim Euchologiis, & Ritualibus forma baptiſmi comprehendit perſonam eius, qui baptizatur, aut nomine, aut pronomine, aut adiuncto aliquo. Porro niſi exprimatur ſubiectum certa, ac determinata actio deſignari nequit. Nec baptiſmum valere praetermiſſis verbis, *ego te baptizo*, reſcripſit Alexander III. (44). Quod idem definivit Alexander VIII. (45). Expreſſa vero Trinitatis invocatione opus eſt. Diſerte Chriſtus (46) praecepit baptizari in *nomino*

(39) *Muſei Italici tom.* 1. *p.* 73. 81.
(40) *In explicatione duorum ſarcophagorum baptiſmi ritum indicantium*. (41) *In decreto pro inſtruct. Armenor.*
(42) *Seſſ.* 7. *de baptiſm. can.* 4. (43) Vid. Goar. *not. in Euchol.* *p.* 365., & Arcudium *lib.* 1. *Concord. cap.* 8.
(44) *In cap.* 1. *ex. de baptiſmo*. (45) *In propoſitionib. proſcriptis n.* 27. (46) *Matth. cap. ult. v.* 19.

mine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Hac forma, expreſſam Trinitatis invocationem continente, Apoſtoli abluerunt (*h*). Eius originem ad ἀπαραβατην

(h) Magna animorum contentione diſceptatur, an poſſit quis baptizari in ſolo nomine Chriſti, non ſacta menrione Patris, aut Spiritus ſancti. Non pauci adfirmant, quia Apoſtoli non aliter baptizaſſe leguntur, quam in *nomine Chriſti*. Sic *Act cap.* 3. *v.* 38. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti*. *Cap. VIII. v.* 12. *In nomine Ieſu Chriſti baptizabantur viri, ac mulieres*. Ibid. v. 16 *Baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu Chriſti*. Idem legitur *cap. XVIII. v.* 48., *cap. XIX. v.* 5., & alibi paſſim. Quid in his locis ſit ἐπι τω ὀνοματι Ἰησου Χριςυ, vel ἐν τω ὀνοματι τυ Κυριυ βαπτισθηναι, inquirendum. Equidem aio, baptizari in nomine Chriſti eſſe baptiſmum adminiſtrare forma a Chriſto inſtituta, adeoque Apoſtolos non uno Chriſti nomine prolato, ſed expreſſis Trinitatis nominibus baptizaſſe. Scite Eulogius *in Bibliotheca Photii, Codic. CCLXXX p.* 1608. docet: „ In Chriſtum Ieſum baptizari „ το εἰς Χριςον Ἰησυν βαπτισθηναι, *ſignificat, ſecundum praeceptum & traditionem Ieſu Chriſti baptizari, hoc eſt, in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum*. Et paullo ante ex eodem Eulogio *p.* 1604. haec affert Photius: *Quod dictum eſt in Actis de iis, qui babtiſmum Ioannis habebant* „ his auditis baptizati ſunt in nomen Domini Ieſu „ *hoc ſignificat, baptizati ſunt ſecundum traditionem, & doctrinam Domini Ieſu*, κατα την παραδοσιν και διδασκαλιαν τυ Κυριυ Ἰησυ. *Quare etiam alibi, cum dicit* „ In Chriſtum „ *vel* „ in mortem Chriſti baptizati ſunt „, *eumdem ſenſum debemus intelligere ſignificari, hoc eſt, in nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizati ſunt. Sic enim docuit & tradidit Dominus noſter Ieſus Chriſtus ut baptiſma fieret*. Verum non deſunt, qui baptiſmum in ſolo Chriſti nomine ab Apoſtolis interdum collatum tuentur, vel ex peculiari privilegio, uti putat B. Thomas; vel quia cum *dicitur* „ in nomine Chriſti „ *per unitatem nominis impletum eſt myſterium*, ut verba uſurpem Ambroſii *lib. I. de Spiritu ſancto cap.* 3., quippe *Chriſti appellatio, totius Deitatis eſt confeſſio: declarat enim Deum, qui unxit; & Filium, qui unctus eſt; & Spiritum ſanctum, qui eſt unctio*, verba ſunt Baſilii *de Spiritu ſancto cap. XII.*. Fuſe argumentum hoc expediunt prae ceteris Harduinus in *quaeſt. de baptiſmo in nomine*

τὴν παράδοσιν, *inviolabilem traditionem*, refert Baſilius (47), docetque omnino baptizandum in *nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus ſancti*, nec valere baptiſmum, *ſi ſeparetur Spiritus a Patre*, *& Filio*. Eamdem baptiſmi formam a Chriſto (48) praeſcriptam, confitentur Cyrillus Hieroſolymitanus (49), Chryſoſtomus (50), Damaſcenus (51), aliique patres. Tandem concilium Nicaenum I. (52) Novatianorum baptiſmum probat; contra Paulianiſtarum improbat (53): cuius rei hanc affert rationem Innocentius I. (54), *quod Paulianiſtae in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus ſancti minime baptizabant*, *& Novatiani iiſdem tremendis*, *venerandiſque nominibus baptizant*.

§. VI. Ordinarius baptiſmi miniſter eſt ſolus epiſcopus. Apoſtolis, quibus epiſcopi ſucceſſerunt, Chriſtus dixit (55): *Euntes docete omnes gentes*, *baptizantes eos*. Ita Petrus (56) tria millia hominum; & Paullus (57) Criſpum, Caium, domum Stephanae, alioſque baptizavit. Solos fere epiſcopos prioribus ſaeculis baptizaſſe, teſtantur Ignatius martyr (58), Tertullianus (59), Hieronymus (60), aliique. Pachy-

(47) *De Spiritu ſancto cap.* 12. (48) *Matth. cit. loc.*
(49) *Catecheſ.* 16. (50) *Hom.* 20. *in ep. ad Epheſ.*
(51) *Lib. IV. Orthodox. fid. cap.* 10. (52) *Can.* 7.
(53) *Can.* 19. (54) *Ep.* 22. *cap.* 5. apud Labbaeum *concil. tom. II. p.* 1275. & Couſtant. *tom. I. epiſt. Rom. pontif. p.*836.
(55) *Matth. cit. cap. ult.* (56) *Act. II.* 41.
(57) 1. *Corinth. I.* 14., & *Act. XVI. &* 33.
(58) *Ep. ad Smyrn. n.* 8. (59) *De baptiſm. cap.* 17.
(60) *Dialog. adv. Luciferian. cap.* 1. Vid. Martene *de antiquis eccleſ. ritib. lib. I. cap.* 1.

mine Chriſti, Calmet *pecul. diſſertat.*, quam Actis Apoſtolorum praefixit, Card. Orſi *diſſ. de baptiſmo in nomine Ieſu Chriſti*, & *in vindiciis eiuſdem diſſertationis adv. Sorbonicum doctorem*, ac Nat. Alexander *in ſaec. III. diſſ.* 13., quos conſule.

chymeres (*61*) *ἀρχαιαν συνηθειαν* eſſe ait, ut ſolus Ἀρχιερευς *epiſcopus* baptiſmum adminiſtret. Clerus Edeſſenus (*62*) petit, ut imminente paſchali feſtivitate ad ſedem ſuam Ibas epiſcopus remitteretur, quod eius praeſentia opus eſſet *propter cathechiſmos, & propter eos, qui digni ſunt ſancto baptiſmate*. Gregorius M. (*63*) Romanum exarchum Italiae hortatur, ne Ravennae Blondum Hortenſem epiſcopum detineat, quod eo abſente *eccleſia ſine rectore, & populus, quaſi ſine paſtore grex deflueret, & ibidem infantes abſque baptiſmate morerentur*; quibus verbis pontifex ſupponit, ſolos epiſcopos aevo ſuo baptiſmum conferre. In Sicilia, ut & aliis Regni noſtri regionibus, a ſolis epiſcopis uſque ad initium ſaeculi ſeptimi baptiſmum fuiſſe adminiſtratum, conſtat ex eodem Gregorio (*64*), qui an. DCIV. deceſſit; nam ſex epiſcopos Siciliae hortatur, ut quum ad baptizandos infantes per dioeceſes diſcurrerint, ſubiectos ſacerdotes ultra iuſtam ſummam non gravent. Sed & illud ſolos olim epiſcopos baptizaſſe conficit, quod in illa tantum civitatis eccleſia, in qua epiſcopus ſedebat, antiquitus erat baptiſterium; hodieque Florentiae, Piſis, Parmae, Patavii, Bononiae, & alibi in ſolis cathedralis eccleſiae baptiſteriis infantes baptizari ſolent. Extraordinarius autem miniſter eſt presbyter, & diaconus; hi enim venia epiſcopi baptizabant. Appoſite Tertullianus (*65*): *Dandi* (baptiſmum) *ius habet ſummus ſacerdos, qui eſt epiſcopus: dehinc presbyteri, & diaconi, non tamen*

(61) *In cap. 5. Dionyſii Areopagitae de eccleſ. hierarch. p. 323.*

(62) *In ep. ad Photium & Euſtachium.* Ext. in *Act. concil. Chalcedonenſ. act.* 10.

(63) *Lib. I. ep. 33. ad Romanum Patricium & Exarchum Italiae.* (64) *Lib. XIII. ep.* 18. (65) *Cit. loc.*

ſine epiſcopi auctoritate, propter eccleſiae honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt. Concinit Hieronymus (66): *Sine epiſcopi iuſſione neque presbyter, neque diaconus ius habent baptizandi*. Saeculo ſexto proprius presbyter etiam ſine licentia epiſcopi baptizare coepit: ac ſaeculo ſeptimo epiſcopus fere numquam baptizavit.

§. VII. Etiam laici, mulieres, pagani, Iudaei, & haeretici, forma & nomine eccleſiae rite baptizant. Laici quidem, urgente neceſſitate extrema, valide, & ſine culpa baptiſmum adminiſtrant; ſine neceſſitate vero peccant contra eccleſiae diſciplinam utpote alienum munus uſurpant, at valide tamen baptizant, *quia non ex hominibus eſt gratia baptiſmi*, ut ait Cyrillus Hieroſolymitanus (67), & quia ut *accipit quis, ita & dare poteſt*, ut inquit Hieronymus (68). Eſt haec vetuſtiſſima eccleſiae doctrina. Tertullianus (69): *Alioquin*, ait, *etiam laicis ius* (baptizandi) *eſt*. Eadem eſt ſententia concilii Illyberitani (70). Conſonat Hieronymus (71): *Si neceſſitas cogit, ſcimus etiam licere laicis baptizare; ut enim accipit quis, ita & dare poteſt*. Hanc etiam fuiſſe eccleſiarum noſtrarum diſciplinam, prodit Gelaſius I. (72): *Abſque epiſcopo, vel presbytero baptizare non praeſumat diaconus, niſi praedictis fortaſſe officiis longius conſtitutis, neceſſitas extrema compellat. Quod & laicis chriſtianis facere plerumque conceditur* (*i*). Ob eaſdem rationes mulieres quoque in ca-

(66) *Laud. dialog.* (67) *Catecheſ.* 17. (68) *Cit. dialog.*
(69) *Cit. cap.* 17. *de baptiſmo*. (70) *Can.* 38.
(71) *Cit. dialog.* (72) *Ep. ad epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos cap.* 7.

(i) Etſi receptior communiorque fuerit veterum ſententia, valere baptiſmum a laicis datum; non tamen defuiſſe, qui ali-

caſu neceſſitatis recte baptizant. Vapularunt Marcionitae apud Epiphanium (73), quod *dederint mulieribus facultatem* (ordinariam) *conferendi baptiſmum*. Apud Graecos etiamnum obſtetrices, neceſſitate impellente, baptizant, teſte Metrophane Critopulo (74) (*k*). Num vero conſiſtat baptiſmus a non baptizato collatus, ut eſt paganus, & Iudaeus, animo haeſit Auguſtinus (75): *Et haec quidem*, ait, *alia quaeſtio eſt, utrum & ab his, qui numquam fuerunt chriſtiani, poſſit baptiſmus dari: nec aliquid temere inde affirmandum eſt ſine auctoritate tanti concilii, quantum tantae rei ſufficit*. At Nicolaus I. (76) an. DCCCLXVI. definivit, valere baptiſmum a pagano, vel Iudaeo datum in nomine Trinitatis. Idem poſtea decrevit concilium Florentinum (77):

(73) *Haereſ.* 43. (74) *In confeſſione eccleſ. Oriental. cap.* 7.
(75) *Lib. II. contr. epiſt. Parmenian. cap.* 13.
(76) *Reſponſ. ad conſulta Bulgaror., apud Gratian. Can.* 24. *de conſecrat. diſt.* 4. (77) *In cit. decret. pro Armen.*

aliter ſentirent, fidem facit Baſilius *ep. ad Amphiloch. cap.* 1. ubi ait, omnes ab haereticis baptizatos eſſe rebaptizandos, veterumque hoc fuiſſe indicium, baptiſmum eorum non maioris eſſe faciendum, quam ſi quis baptizatus eſſet a laicis. Dum ita loquitur, ſatis indicat ſe baptiſmum laicorum pro vero haud agnoſcere. Verba eius inter alia ſunt: *Idcirco eos, velut a laicis baptizatus, ὡς παρα λαϊκων βαπτιζομενους, cum ad eccleſiam venirent, iuſſere verae eccleſiae baptiſmo repurgari*. Conf. Ioſeph. Bingham. *in hiſtor. ſcholaſtica baptiſmi laicorum*, *Opp. tom. XI.*

(k) Non defuere tamen inter veteres, qui mulierum baptiſmum improbaſſe videntur, ut Tertullianus *de praeſcript. adv. haereſ. cap. XLI.* & *de veland. virginib. cap. IX.*, itemque Pſeudo Clemens *Conſtit. apoſtolic. lib. III. cap.* 9. Epiphanius *haereſ. LXXIX.*, aliique. Vid. Suicer. *theſ. eccleſ. v. βαπτισμα p.* 632. *tom. I.* Bingham. *cit. loc. ſect.* 18. & Petrum Patinum *ad Baſilium Seleucienſ. de vita Theclae p.* 235.

In cauſſa neceſſitatis, ait, *non ſolum ſacerdos, vel diaconus, ſed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus, & haereticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet eccleſiae, & facere intendat, quod facit eccleſia.*

§.VIII. Valet quoque baptiſmus praeſcripta eccleſiae forma ab haereticis collatus. Magnis animis de hac re a veteribus diſputatum. Primus omnium Agrippinus Carthaginienſis epiſcopus baptiſmum ab haereticis adminiſtratum inanem cenſuit in Synodo epiſcoporum Aſiae & Numidiae, cui is praeſedit, coacta an. CCXVII., uti Baronius (78), Pagius (79), aliique putant. Eadem Tertulliano (80) ſententia inſedit. Agrippini deceſſoris ſui veſtigiis inſtitit Cyprianus, qui collatum ab haereticis baptiſma iterandum eſſe putavit (*l*); idque ratum fecit tribus conciliis Carthagine celebratis (*m*). Idem viſum Firmiliano Caeſareae in Cappadocia metropolitano, aliiſque Aſiae antiſtitibus in unum congregatis, & ipſi

(78) *Ad an.* 217. *n.* 2. (79) *Ad an.* 215.
(80) *De baptiſm. cap.* 15.

(l) Raymundus Miſſorius *peculiari diſſertat.* contendit, ſuppoſititias eſſe Firmiliani, & Cypriani de rebaptizandis epiſtolas. Nae is magno conatu maximas agit nugas, quas inter alios diſpulit Bertius *de theologic. diſciplin. lib. XXXI. cap.* 13.

(m) Tria concilia Carthagine celebravit Cyprianus ad ſuam de repetendo baptiſmo ab haereticis collato ſententiam tuendam. Primum habitum eſt an. CCLIV. cum XXXII. epiſcopis, ut ex eius *ep. LXXI. ad Quintum*. Secundum ſequenti an. CCLV. cum LXXI. epiſcopis, ut ex *ep. LXXIII. ad Iubaian.* Tertium item ann. CCLV. cum LXXXVII. epiſcopis ex Numidia, Africa, & Mauritania. Conf. Baron. *ad an. CCLVIII.* §. 17. 27. & 42. Pearſonium in *Annalibus Cyprianicis*, & Auctorem vitae S. Cypriani praefixae eius Operibus §. XXX.

ipſi Dionyſio patriarchae Alexandrino (81). At Cypriano aliiſque obſtitit Stephanus I., qui baptiſmum ab haereticis collatum forma a Chriſto inſtituta valere pronuntiavit, & *nihil innovandum*, *niſi quod traditum eſt*, edixit (*n*). Stephani decreto univerſa con-

(81) Vide eius *ep. ad Xyſtum*, apud Euſeb. *lib. VII. hiſt. eccleſ. cap.* 4.

(n) Launoius *lib. VIII. ep.* 15. §. 4. Stephanum criminatur, quaſi *haereticorum baptiſmum admiſerit quemcumque*, ſicut *Cyprianus haereticorum baptiſmum reiiciebat quemcumque*. Ei adſtipulantur Baſnagius *Annal. politico-eccleſ. ad an. CCLXI.* §. 4. Dupinius *in Nova Bibliothec. Auct. eccleſ. tom. I. p.* 151. 152. & 176. aliique. At iniuria haec ſancto prudentique pontifici dica cuditur, & invidia conflatur. Stephanus enim ratum eſſe iuſſit baptiſmum ab haereticis quibuſcumque adminiſtratum, ſed forma tamen a Chriſto imperata; quod ipſius Stephani conſtitutio apud Cyprianum *ep. LXXIV. ad Pompeium* ſatis adſtruit: *Si quis ergo a quacumque haereſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in poenitentiam*. Traditum autem erat, ac *talis per omnia conſuetudo tenebatur, ut baptiſmus Chriſti* (hoc eſt forma a Chriſto inſtituta collatus) *non niſi Chriſti baptiſmus haberetur, etiamsi apud haereticos vel ſchiſmaticos datus fuiſſe probaretur*, ut Auguſtinus inquit *lib. III. de baptiſm. contr. Donatiſt. cap.* 2. Addit Stephanus apud eumdem Cyprianum *ibid.*: *Cum ipſi haeretici proprie alterutrum ad ſe venientes non baptizarent, ſed communicent tantum*: quibus verbis ſignificat, haereticos proprium ſibi non arrogare baptiſma, quo venientes ad ſe baptizent, ſed commune & in ſua & in aliis ſectis revereri, ideoque horum exemplum Cypriano ad imitandum proponit; quod haud effeciſſet, niſi pro certo habuiſſet, etiam haereticos praeſcriptam a Chriſto formam baptiſmatis ſervare conſueviſſe. Porro ipſi Stephani adverſarii Cyprianus *cit. ep. LXXIV.* & Firmilianus *ep. ad Cyprian.*, quae inter epiſtol. S. Cypriani eſt LXXV., confitentur, eum ad veram baptiſmi rationem exquiri voluiſſe, non quis baptiſmum adminiſtraſſet, ſed cuius nomine, auctoritate, & quibus verbis adminiſtraſſet. Probavit igitur Stephanus baptiſmum collatum a quocumque ea verborum formula, qua ſola baptiſmum perfici catholica eccleſia do-

conquievit eccleſia, & ſecundum eius ſententiam *in plenario totius orbis concilio* controverſiam diremtam, inquit Auguſtinus (*o*). Noviſſime collatum ab haereti-

docet: alioquin Cyprianus & Firmilianus aliter ſentientis crimen haud reticuiſſent. Quid quod Stephani decreto univerſa adquievit eccleſia, & ſecundum illud in plenario totius orbis concilio pronuntiatum eſt? At enim Cyprianus *cit. ep. LXXIV.* teſtatur, Stephanum *a quacumque haeresi venientem baptizari in ecclesia vetuiſſe, ideſt omnium haereticorum baptiſmata iuſta eſſe & legitima iudicaſſe*. Ergo probavit Stephanus indiſcriminatim haereticorum omnium baptiſmum, etiam eorum, qui non expreſſo Trinitatis nomine tingebant; quis enim credat, Cyprianum ſententiam Stephani adverſarii ſui ignoraſſe? Verum Stephani verba *a quacumque haeresi* intelligenda ſunt de ſolis haereticis, qui integra ſorma baptiſmi, nulloque modo vitiata, uterentur. Etenim verba, quae e veſtigio ſubdit, *nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*, luculenter oſtendunt, Stephanum ratum iuſſiſſe illud dumtaxat baptiſma, quod traditio probaret; traditione autem probatur tantum baptiſma forma a Chriſto praeſcripta collatum. Conſ. Monachum Mauro Benedictinum *praeſ. ad Opera S. Cypriani* §. 4. *pag.* 15., Nat. Alexandr. *in ſaec.* 3. *diſſ.* 14. & Baluzium *not. ad ep.* 72. *S. Cyprian.*

(o) Auguſtinus *lib.* 1. *de baptiſm. contr. Donatiſt. cap.* 7. ſcribit, controverſiam de baptiſmo haereticorum ex Stephani ſententia *in plenario totius orbis concilio* diiudicatam fuiſſe. Idem *lib. II. cap.* 9. concilium hoc celebratum ait *poſt Cypriani quidem paſſionem, ſed antequam ipſe natus eſſet*. Poſt mortem autem Cypriani, qui an. CCLVIII. obiit, & ante ortum Auguſtini, qui an. CCCLV. natus eſt, duo habita ſunt concilia, in quibus de baptiſmo ab haereticis collato actum, Arelatenſe I. an. CCCXIV. & Nicaenum I. oecumenicum an. CCCXXV. In primo aperte omnis controverſia, in ſecundo autem ex neceſſaria tantum conſecutione dirimitur. Etenim concilium Arelatenſe *can.* 8. decernit haereticos omnes ſine baptiſmo ſuſcipiendos, exceptis iis, qui forma a Chriſto praeſcripta non baptizarent. Concilium vero Nicaenum *can.* 8. admittit baptiſmum a Novatianis collatum, & *can.* 19. improbat baptiſmum a Paulianiſtis datum; quod illi expreſſis Trinitatis nominibus, hi non item, abluerent. Itaque utrum ex

his

reticis baptiſma ſecundum eccleſiae catholicae formam probavit Tridentina Synodus (82).

§. IX. Suſcipientes baptiſmum ſunt homines, ſive parvuli, ſive adulti. Parvulos recte in *ſola fide eccleſiae baptizari*, decernit Tridentinum (83). Sane Chriſtus (84) generale mandatum dedit de cunctis baptizandis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Univerſali autem mandato poſito, pars eius negari non debet. Infantes recte baptizari patet ex Petro (85) & Luca (86). Inde ab ipſis cunabulis parvulos ſacris aquis intingere conſuevit eccleſia. Ab Apoſtolis etiam parvulis baptiſmum fuiſſe collatum, colligitur ex Actis, in quibus legitur, baptizatam integram familiam Lydiae purpurariae (87), & *domum omnem* cuſtodis carceris (88). Paullus (89) etiam *Stephanae domum* baptizaſſe ait. Nullum in familiis hiſce fuiſſe infantem, quis credat? Nomine ſa-

(82) *Seſſ. 7. de baptiſm. can.* 4. (83) *Cit. ſeſſ. 7. can.* 13.
(84) *Matth. XXVIII.* 19. (85) *Act. II.* 39. *ſeq.*
(86) *Cap. XVIII. v.* 16. (87) *Act. XVI. v.*15. (88) *Ibid. v.* 33. (89) *II. ad Cor.* 16.

his duobus conciliis Auguſtinus *plenarii* nomine deſignaverit, mira eruditorum diſcrepantia. Indicaſſe concilium Arelatenſe, tuentur Launoius *diſſ. de vera notione* plenarii *apud Auguſtinum concilii in cauſſa rebaptizantium*, & rurſus in *confirmatione diſſertationis de plenarii apud Auguſtinum concilii notione*, *Opp. tom. II. part.* 2., cui Petrus de Marca, Sirmondus, Albaſpinaeus, & Editores Benedictini Operum S. Auguſtini *tom. IX.* ſuffragantur. Contra concilium Nicaenum I. ab Auguſtino deſignatum, adſeverant Io. Nicolai peculiari de hac re diſſertat. contra Launoium ſcripta, & in propugnatione eius diſſertationis, atque in *part. III. D. Thomae quaeſt. 67. art.*5., Noriſius in *hiſtor. Donatiſtar. p.*178. *ſeqq.* Nat. Alexander *in ſaec.*3. *diſſ.XIX.* Sandinus *diſp.*8. quae eſt *de concilio* plenario *D. Auguſtini*, aliique permulti.

familiae infantes quoque contineri, certum eſt. Et ſi mandatum eſt univerſale, Apoſtolos ei paruiſſe, ne ambigas. Conceptis verbis Origenes (90): *Ecclesia* inquit, *traditionem ab Apoſtolis ſuſcepit, etiam parvulis baptiſmum dare*. Auguſtinus (91) conſuetudinem eccleſiae in parvulis baptizandis *ab apoſtolica traditione* repetit. Irenaeus (92) docet *infantes, & pueros, & iuvenes, & ſeniores* rite baptizari. Teſtis eſt Cyprianus (93), in concilio, quod ex epiſcopis LXVI., quibus ipſe praefuit, Carthagine coaluit, unanimi conſenſione iudicatum, parvulos baptiſmo haud arcendos: quo quidem conſenſu non rem novam, ſed praecedenti uſu receptam probarunt (p). In conteſtanda paedobaptiſmi validitate, perpetuoque uſu in utraque eccleſia, mire patres con-ſpi-

(90) *Lib. V. in epiſt. ad Roman.*
(91) *Lib. IX. de Geneſ. ad litter. c.* 23. (92) *Lib. II. contr. haereſ. c.* 39. *edit. Maſſuet.* (93) *Ep.* 52. *ad Fidum.*

(p) Claudius Salmaſius ſub ficto *Simplicii Verini* nomine libro *de Tranſubſtantiatione ad Iuſtum Pacium contr. Hugon. Grotium p.* 495. ſcribit, primis duobus ſaeculis neminem baptiſmum accepiſſe, niſi aetate iam adulta. In eadem ſententia ſunt Paullus Colomeſius in *Obſervationibus ſacris p.* 15. Grotius *in epiſtolis ad Gallos p.* 418. & in *not. ad Matth. XIX.* 14. Vitringa *de paedobaptiſmo*, Van-Dale *in hiſtoria baptiſmorum Hebraicorum & Chriſtianorum*, Io. Phereponus ſeu Clericus *in Animadv. ad Auguſtin. ep. CLXVI.* Eraſmus in epiſtola quadam, quam Paullus Merula cum aliis an. MDCVII. edidit, Lud. Vives *Annot. in Auguſtin. de civit. Dei lib. I. cap.* 27., aliique. At haec doctrina omni deſtituitur antiquitatis praeſidio, & ſatis refellitur ex iis, quae ſupra produximus, patrum teſtimoniis, quibus baptiſmum infantium inde uſque a ſaeculo Apoſtolorum viguiſſe, conſtanterque in eccleſia ſervatum, edocemur. Adde Pamelium *not. ad Tertullian. de baptiſm. n.* 126., & Franc. Buddaeum in *Obſervationib. theologic. de paedobaptiſmo, oppoſitis Antonio Van-Dale* §. 20.

ſpirant, quos longo agmine hic proferre, ſupervacaneum duco (q). Quin ab antiquiſſimis temporibus infantes citra vitae periculum baptizatos fuiſſe, adſtruunt etiam tres chriſtianae inſcriptiones; altera de PASCASIO, qui annos natus ſex baptiſmum accepit; altera de POSTVMIO, anno aetatis ſuae pariter VI.; tertia de LEOPARDO an. VII. baptizatis, quas erudite illuſtrat Franc. Victorius (94).

§. X. Adulti baptiſmo donandi prius rudimentis fidei imbuebantur: unde nomen κατηχȣμενων, *catechumenorum*, a Graeco κατηχȣμαι, *docere*. Ita catechumenus eſt qui in fide inſtruitur: catechizans vero qui voce inſtruit in religionis elementis: ac ipſa in fide per vivam vocem facta inſtitutio Graecis κατηχησις, Latinis *catechiſmus* dicitur. Catechumeni autem medii inter ethnicos & fideles habebantur: unde πιϛοι & κατηχȣμενοι plerumque opponuntur (95). Qui chriſtiana ſacra amplecti cupiebant, ii epiſcopis oblati inter catechumenos referebantur manuum impoſitione, ſigno crucis, & recitatione precum (96). In catechumenatum adſciti rudimenta fidei,

(94) *In nummo aereo veter. chriſtianor. part. II. c.*17. Adde Noriſium *diſſ. ad Faſt. conſul. p.* 32. & Fabrett. *Inſcript. domeſtic. c.* 8. *n.*70. (95) Vid. Suicer. *theſ. eccleſ. v.* πιϛοι. (96) Conf. Valeſ. *in Euſeb. de vit. Conſtantin. lib. IV. c.* 61. & Coteler. *in conſtit. apoſtolic. lib. VII. c.* 39.

(q) Fuſe argumentum hoc de paedobaptiſmo, ſeu parvulorum baptiſmo, prae ceteris exornant Martene *de antiq. eccleſ. ritib. lib. I. cap.* 1. *art.* 7. Iac. Acamus in *ep. de paedobaptiſmo ſollemni in eccleſia Latina & Graeca*, Petr. Zornius *in hiſt. euchariſtiae infantium cap.* 8., Walchius *in hiſtor. paedobaptiſmi quatuor primorum ſaeculorum*, Hammondus *in defenſione baptiſmi infantium, tom. II. Opp.*, & Wilhelmus Wall *in hiſtoria baptiſmi infantium*.

fidei, & chriſtianae vitae officia edocebantur; ſed reticebantur tamen quaedam religionis myſteria, ut *ea tanto ardentius a catechumenis concupiſcerentur, quanto eis honorabilius occultabantur*, ut Auguſtinus (97) inquit. Erant autem in catechumenatu alicubi biennio, alicubi triennio: quod tempus ob multitudinem baptizandorum, aut periculoſum catechumeni morbum, interdum contrahebatur. Si quis in catechumenatu peccaret, legitimum tempus producebatur, iſque de ſuperiore ad inferiorem gradum deiiciebatur: ſi in imo ordine erat, e catechumenis prorſus extrudebatur. Porro tres fuere catechumenorum gradus, *Audientium*, *Genuflectentium*, & *Competentium*. In imo ordine erant *Audientes*. Qui enim baptiſmum exoptaſſent, ad ſacras conciones & lectiones audiendas admittebantur; unde factum *Audientium* nomen. In medio ordine erant *Genuflectentes*, quod iis in genua provolutis imponerentur manus, & benediceretur: atque hi veteribus proprie *catechumeni* dicti ſunt. In ſummo demum ordine erant *Competentes*, quod iam peterent baptiſmum; dicti etiam *Electi*, quod ad baptiſmum proxime futuris diebus feſtis ſuſcipiendum deligerentur. Petebant catechumeni baptiſmum in terram proſtrati: unde adhuc in Mediolanenſi eccleſia infans humi prope baptiſterium locari ſolet. Tum dabant nomina ſua, quae iuſſu epiſcopi cum nominibus ſuſceptorum inſerebantur libris eccleſiae, qui *Diptycha viventium* dicebantur; & quidem duabus vel tribus ante paſcha hebdomadis, & plerumque diebus quadraginta, ac aliquando dominica in Palmis. Eccleſia vero ſedulo curabat, ne initiarentur indigni, inſtituto circa *Competentium* mores

(97) *Hom. 97. in Ioan.* Vid. Schelſtratium *diſſ. de diſciplina arcani*.

res examine, quod *ſcrutinium* vocabant. Septem habebantur ſcrutinia, ac praecipuum feria IV, maioris hebdomadae, quae ideo *dies ſcrutinii* dicta eſt. Adhibebantur in ſcrutiniis manuum impoſitio, exorciſmi, exufflationes, ſal benedictum, certae preces, aliique ritus. Competentibus, niſi prioribus ſcrutiniis inventi fuiſſent indigni, tradebatur *ſymbolum*, quo veluti auctorabantur ad ſacram militiam, ſacriſque chriſtianis initiabantur. Tradebatur autem dominica Palmarum, quae ideo *paſcha Competentium* dicta eſt. Eo accepto *Competentes* dicebantur *Electi*. Tum paullo ante baptiſmum *ſymbolum reddebant*, hoc eſt, memoria recitabant. Cum ſymbolo tradebatur catechumenis *oratio Dominica*, quam tamen non ſabbato ſancto, ſed proximo paſchatis die poſt euchariſtiam reddebant. Per id autem tempus catechumeni crebris orationibus, ieiuniis, geniculationibus, pervigiliis ſe ſe ad regenerationis ſacramentum accipiendum parabant: carne, vino, uxoribus abſtinebant: admiſſa peccata confitebantur, non quidem ſacramentali confeſſione, ſed ea, quae ipſorum converſionem, meliuſque propoſitum indicaret. Tandem adveniente legitimo die catechumeni ad locum baptiſmi deducebantur, ubi compluribus ſollemnibus baptiſmo donabantur, de quibus inferius (*r*).

§.XI. In baptiſmo *patrini* ſeu *compatres* adhibentur. Hi olim dicti *ſuſceptores*, quod ſuſciperent mergentes: *ſponſores*, & *fideiuſſores*, quod ſuam pro baptizandis fidem interponerent: & Graecis *ἀναδοχοι*, *ſuſceptores*; unde *ἀναδοχη*, ipſe actus ſuſcipiendi ali-

(r) De catechumenis conſule prae ceteris Albaſpinaeum *lib. II. Obſ. eccleſ.* Morinum *de expiatione catechumenor.* Fileſacum *in luce baptiſmi* & Pfannerum *de catechumenis veter. eccleſ.*

liquem ex baptiſmo (98). Eiuſmodi ſponſorum origo ex apoſtolica conſuetudine repetenda eſt: quippe quae vetuſtiſſima eſt, ubique gentium recepta, nec eius poſt Apoſtolorum tempora invenitur inſtitutio. Tertullianus (99) ſponſores parvulorum memorat, dum cunctationem baptiſmi, maxime parvulorum, commendat: *Quid enim*, inquit, *neceſſe eſt, ſi non tam neceſſe ſponſores etiam periculo ingeri?* Idem (100) & ſuſcipientes adultorum commemorat iis verbis: *Inde ſuſcepti, lactis & mellis concordiam praegustamus*. Sponſorum autem alii infantum erant, alii adultorum. Quod parvuli a miniſtro interrogati Satanae abrenunciare, fidemque profiteri per ſe ipſi non poſſent, ſponſores adhibebantur, qui pro iis reſpondebant, ſicque parvuli fidem *per verba geſtantium* profitebantur, teſte Auguſtino (101). Horum itaque ſponſorum munus erat, conceptis verbis parvulorum nomine reſpondere, eos in divinis rebus erudire, ac polliceri ſe illos poſt baptiſmum ad ſanctam vitam informaturos, uti ſcribit Pſeudo-Dionyſius (102): unde *ſponſores etiam periculo ingeri*, ait Tertullianus (103). Pro adultis etiam ſponſores adhibiti ſunt, ſive morbo impedirentur, uti liquet ex Cyrillo Alexandrino (104), ſive per ſe ipſi reſpondere poſſent, ut habes ex Pſeudo-Clemente (105): quo tamen caſu ipſi reſpondere debebant, uti diſerte Auguſtinus (106). Eiuſmodi ſuſceptorum partes erant, baptizandos modum edocere reſpondendi baptizanti, vitaeque poſt baptiſmum inſtituendae rationem, eoſ-

que

(98) Vid. Suicer. *theſ. eccleſ. v. ἀναδέχομαι*. (99) *De baptiſm. c.* 18. (100) *De coron. milit. c.* 3. (101) *Ep.* 98. *ad Bonifac.* (102) *De eccleſ. hierarch. c.*8. (103) *Cit. loc.*
(104) *In Ioan. XI.* 26. (105) *Lib. III. conſt. apoſtolic. c.*16. (106) *Lib. IV. de baptiſm. c.* 24.

que ſuſcipere de ſacro fonte, uti vulgatus Dionyſius (107), Pſeudo-Auguſtinus (108), aliique tradunt. Olim parentes ipſi filios ſuos ſuſcipiebant in baptiſmo, iiſque deficientibus, alii, teſte Auguſtino (109). Elpidiphorum quemdam baptizatum, a *Murita diacono de alveo fontis ſuſceptum*, refert Victor Uticenſis (110). Curialem quemdam *paſchali ſabbato iuvenculam cuiuſdam filiam in baptiſmate ſuſcepiſſe*, ait Gregorius M. (111). Verum ſaeculo IX. parentibus filios ſuos ſacro fonte levare primum interdixit concilium Moguntinum an. DCCCXIII. coactum (112): *Nullus*, inquit, *proprium filium, vel filiam de fonte baptiſmatis ſuſcipiat*. Forte huic interdictioni cauſſam dedit opinio, quae tunc invaluit, per patrini officium connubia impediri, ob ſpiritualem ſcilicet cognationem. Hinc duo tantum conceſſi ſunt diverſi ſexus patrini, ne multitudine eorum matrimonia impedirentur ob ſpiritualem cognationem. Quod ratum habuit Tridentina ſynodus (113), qua cautum, *ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier, iuxta ſacrorum canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant*. Inſtituta canonum proſtant apud Gratianum (114). Porro ex veteri diſciplina, qua baptizandi prorſus nudi ſacro fonti mergebantur, maſculi mares, feminae feminas ſuſcipiebant, ut habes ex Pſeudo-Clemente (115). Ceterum in ſuſceptoribus requiritur, ut *ſacro chriſmate confirmati ſint*, ceu habet Rituale

(107) *Cit. loc.* (108) *Serm.* 168. *de tempore in Appendice Opp. Auguſtin. n.* 3. (109) *Cit. ep. ad Bonifac.* (110) *Lib. II. de perſecut. Wandalic.* (111) *Lib. IV. Dialog. c.* 33.
(112) *Can.* 55. (113) *Seſſ.* 24. *cap.* 2. (114) *Can.* 100. & 101. *diſt. IV. de conſecr.* (115) *Lib. III. conſtit. apoſtolic. p.* 228. Vid. Coteler. *PP. Apoſt. T.* 1. *p.* 288.

le Romanum. Monachi vero ex eodem Rituali *ſuſcipere de baptiſmo filios*, *aut commatres habere* vetantur (*t*).

§.XII. Inquirendum nunc quo aetatis tempore ſuſcipiendus ſit baptiſmus. Tertullianus (116) baptiſmi dilationem ad adoleſcentiam uſque commendat. Gregorius Nazianzenus (117) tertium circiter annum baptiſmo ſuſcipiendo maxime aptum putat, niſi mortis periculum immineat. At horum patrum ſententiam eccleſia Graeca & Latina numquam deduxit in uſum; quin ſemper infantes extra mortis periculum ſacro fonte initiavit, uti ſupra oſtendimus. Fidus exiſtimavit baptiſmum infantibus ante diem octavum conferendum non eſſe, quia baptiſmus in circumciſionis locum ſucceſſit. At eius ſententia improbata eſt in concilio Africano epiſcoporum LXVI. praeſide Cypriano, ut iſte (118) teſtatur. Porro multi in Oriente ac Occidente omnium ordinum homines uſque ad trigeſimum, alii ad extremam ſenectutem, non pauci ad mortem uſque baptiſmum protraxerunt. Ita Conſtantinus M. morti proximus Nicomediae ab Euſebio eiuſdem urbis antiſtite baptizatus eſt an. 337. (119). Conſtantinus eius filius Antiochiae paullo ante mortem baptiſmum ab Euzoio accepit an. 361. Valens anno imperii tertio baptiſmum ſuſcepit. Theodoſius M. gravem in morbum delapſus ab Aſcho-

(116) *De baptiſm. c.* 18. (117) *Orat.* 40. *in S. baptiſma*. (118) *Ep.*59. *ad Fidum edit. Baluz.* (119) Euſeb. *lib.IV. de vit. Conſtantin. c.* 61. *ſeq.* Vide inter alios Ant. Sandinum *diſput. XII. de baptiſmo Conſtantini M.*

(s) De patrinis fuſe Ger. van Maſtricht *ſchediaſm. de ſuſceptoribus infantum ex baptiſmo*, Beveregius *in can.* 3. *Nicaeno Arabic.* & Martene *de antiq. eccleſ. ritib. lib. I. p.*153.

ſcholio Theſſalonicenſi epiſcopo baptiſmum promeruit. Ambroſius paucis ante ordinationem diebus ſacris undis admotus eſt. Auguſtinus, ut alios omittam, anno aetatis XXXIII. ablutus eſt (120). Cauſſae autem dilati apud veteres baptiſmi tres praecipue fuerunt. Alii enim baptiſmum ad exitum vitae protrahebant, veriti ne acceptam baptiſmi gratiam graviter peccando amitterent, ſed loti & ſancti ex vita migrarent; decepti male intellecto Paulli loco (121), unde cum Novatianis colligebant, nullam poſt baptiſmum delinquentibus ſpem veniae reliquam eſſe. Hic baptiſmus eleganter vocatur *ἐνταφιον βαπτισμα*, *baptiſma ad exequias*, a Gregorio Nyſſeno (122). Alii vero baptiſmum protrahebant in longius, ne florente aetate illecebris vale dicerent, neve ſeverioribus publicae poenitentiae legibus ſubiicerentur. Baptiſmum Auguſtini diſtulit Monica, rata maturandum non eſſe tempus in adoleſcente, qui aeſtu cupiditatum abripiebatur (123). Alii tandem utilem cenſebant cunctationem baptiſmi, quia ſponſores poſſunt promiſſiones ſuas deſtituere, & proventu malae indolis falli: quam ob cauſſam dilationem baptiſmi ad adoleſcentiam commendat Tertullianus (124); ad triennium vero plus minus Gregorius Nazianzenus (125). Quid quod nonnulli exemplo Chriſti ad trigeſimum aetatis annum baptiſma differebant & ultra, teſte eodem Nazianzeno (126)? Ceterum in hanc baptiſmi differendi conſuetudinem

(120) Vid. Noriſ. *Appendice ad hiſtor. Donatiſtar. ſect.* 8. *Opp. T.IV.* & Franc. Victorium *in nummo aereo vet. chriſtianor.*

(121) *Ad Hebr. VI.* 4. (122) *Orat. adv. eos, qui baptiſm. differunt Oper. T. II. p.* 224. (123) Benedictini *not. ad Ambroſ. lib. II. de poenit. c. XI.* (124) *Cit. loc.*

(125) *Cit. orat.* (126) *Ibid.*

graviter inveſti ſunt patres, nominatim Gregorius Nazianzenus (127), Chryſoſtomus (128), & Gregorius Nyſſenus (129).

§. XIII. Prioribus tribus eccleſiae ſaeculis, quibus nulla erat chriſtianiſmi profitendi libertas, baptiſmus quovis loco celebratus eſt, in ſtagnis, fluminibus, carceribus, privatis aedibus, antris, caemeteriis. Apoſtoli ubivis locorum baptizarunt: ut ſub dio (130), in via (131), in domibus (132), in carcere (133). Ioannes Baptiſta in aquis prope Salim baptizavit (134). Apoſtolorum exemplo inſtitit primitiva eccleſia. Credentes in fluminibus & ſtagnis baptizatos, prodit Tertullianus (135). Martyres in carcere baptiſmum accepiſſe, narrat Euſebius (136). Clinicos in lectulo perfundi conſueviſſe, monſtrat Cyprianus (137). Multos in memoriam Chriſti in Iordane baptizari concupiviſſe, teſtatur Hieronymus (138): nominatim Conſtantinus, qui tamen voti compos factus non eſt, quippe qui morbo correptus Nicomediae baptizatus eſt, teſte Euſebio (139). Reddita per Conſtantinum pace, & eccleſiis publice conſtructis, certus baptiſmo conferendo locus delectus eſt, extra quem, neceſſitate non impellente, abluere non liceret, qui & *baptiſterium* dicebatur. Eiuſmodi baptiſteria primum in ſolis cathedralibus Eccleſiis; deinde in minoribus urbibus; tan-

(127) *Cit. orat.* 40. (128) *Hom. I. & 23. in Acta.*
(129) *Cit. orat.* Conf. Baumgebaverum *diſſ. de procraſtinatione baptiſmi apud veteres, eiuſque cauſſis.* (130) *Act. II.* 41.
(131) *Act. VIII.* 38. (132) *Act. IX.* 19. (133) *Act. XVI.* 33. (134) *Matth. III.* 6. (135) *De baptiſm. c.* 1.
(136) *Lib. VI. H. E. c.* 5. (137) *Ep. ad Magnum.*
(138) *Libro de locis Hebraicis.* (139) *Lib. IV. de vit. Conſtantin. c.* 61.

tandem in pagis conſtructa ſunt. Sed iam quarto deſinente ſaeculo in parochiis ruralibus baptiſteria fuiſſe, liquet ex Hieronymo (140). In quadam viliſſima poſſeſſione *Meltinas* dicta baptiſterium erectum exhibet Paſchaſinus Lilyboetanus in Sicilia epiſcopus (141). Non autem in omnibus civitatum, pagorumve eccleſiis baptiſmus conferebatur, ſed in certis tantum huic uſui deputatis, quae & *catholicae*, & *plebales* ſeu baptiſmales adpellatae ſunt, quibus rurales archipresbyteri praeerant, dicti etiam *decani chriſtianitatis*, quod in ea eccleſia homines baptiſmo fierent chriſtiani. Extra plebanas has eccleſias, ſecluſo neceſſitatis caſu, baptiſmum adminiſtrare non licebat. In concilio CPolitano V. monachi Mennae patriarchae aiunt (142): *Eos, qui per domum baptizant, eiice foras*. Concilium Trullanum (143) inhibet conferri baptiſmum in *oratorio domeſtico*, tantumque adminiſtrari in *catholicis eccleſiis* iubet. Haec conſuetudo tam arcte ſervabatur, ut ipſi reges, eorumque liberi, in eccleſia baptizarentur: quod de Theodoſio iuniore prodit Marcus Gazenſis (144), & de Clodoveo, eiuſque filio, Hincmarus Remenſis (145). Primus *regum & principum liberos* domi baptizari permiſit Clemens V. in concilio Viennenſi an. MCCCXI. (146). In eccleſiis quoque noſtris, ut olim, ita nunc, non licet in privatis oratoriis, vel monachorum eccleſiis baptiſteria ponere. Sic Gregorius M. (147) iniungit Benenato Tyndaritano in Sicilia epiſcopo, ut ora-

 to-

(140) *In dialog. adv. Luciferian.* (141) *Ep. ad Leonem P. c. 3. int. Oper. S. Leonis edit. Queſnell.* (142) *In libello Mennae patriarchae oblato Act. IV.* (143) *Can. 69.*

(144) In epiſtola apud Baron. *ad ann.* 401. *T. VI. Annal.*

(145) *In vita S. Remigii*. (146) *Clement. unic. de baptiſmo, & eius effectu*. (147) *Lib. IX. ep.* 84.

torium a Ianuaria extructum conſecret, *ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptiſterium conſtruatur*. Idem pontifex (148) Secundino Tauromenitano epiſcopo ſcribit, ut *de monaſterio S. Andreae, quod eſt ſuper Maſcalas, baptiſterium propter monachorum inſolentias debuiſſet auferri* (t). Ceterum antiqua baptiſteria, non ut noſtra, ſupra pavimentum eminuere, ſed in terram defoſſa fuerunt, ad quae per ſeptem gradus deſcendebatur, ut apud Iſidorum Hiſpalenſem (149) legere eſt. Plures in uno baptiſterio fontes fuere, ut baptizandorum multitudini commodius conſuleretur; maxime quod viri ſeorſim a mulieribus abluebantur (u).

§. XIV. Apoſtolico aevo baptiſmum quovis die, ubi ſe dabat occaſio, adminiſtratum, ex Actis liquet. Deinde in Orientali ac Occidentali eccleſia parvulis una cum adultis citra periculum vitae ſacro fonte ſollemniter expiandis duo tantum in toto anno conſtituta ſunt tempora, pervigilium paſchae, & pen-

(148) *Lib. III. ep. 59.* (149) *Lib. II. de divin. offic. c. 24.*

(t) Mabillonius *Annal. Benedict. tom. I. lib. VIII. cap. 36.* & Martene *de antiq. eccleſ. ritib. lib. I. cap. 1. art. 2. n. 16.* haec Gregorii verba ſic accipiunt, ut baptiſterium ab hoc monaſterio ablatum velint, non quod monachorum eccleſiae privilegio caruerint conſtruendi fontes baptiſmales; ſed quod monachi huius monaſterii inſolenter ſe geſſerant. At haec interpretatio toti adverſatur antiquitati, quae non patiebatur monachos paroecialia munia exercere, & adminiſtrandis ſacramentis intendere.

(u) De baptiſteriis fuſe Martene *de antiq. eccleſ. ritib. lib. I. c. 1. art. 3.* Sauſſaeus *de myſtic. Galliae ſcript. p. 169. ſeq.* Sarnellius *baſilicograph. c. 49.* Binghamus *lib. VIII. origin. eccleſ. c. 7.* Milles *ad Cyrill. Hieroſolymit. p. 278.* Suicerus *theſaur. eccleſ. p. 659. T. I. & p. 139. T. II.* & Io. Henric. Wedderkampius libro *de baptiſteriis*.

pentecoſtes, uti conſtat ex Tertulliano (150), Hieronymo (151), Siricio papa (152), Gregorio M. (153), Baſilio (154), Chryſoſtomo (155), aliiſque. Quin in Theſſalicis eccleſiis ſemel dumtaxat in anno, hoc eſt die paſchatis, adminiſtrari baptiſmum conſuevisſe, teſtatur Socrates (156). Graecos ſollemni baptiſmo conferendo epiphaniam addidiſſe, docemur ex Gregorio Nazianzeno (157), Chryſoſtomo (158), Gregorio Nyſſeno (159), aliiſque. Eamdem conſuetudinem in Africa & Galliis receptam, habes ex Victore Uticenſi (160), & Gregorio Turonenſi (161). Galli praeterea adiunxerunt natalem Domini, & feſtum S. Io. Baptiſtae, teſte eodem Gregorio Turonenſi (162). In quibuſdam Hiſpanicis eccleſiis acceſſerunt etiam feſti dies Apoſtolorum, & martyrum, teſte Siricio papa (163). Quod ſi neceſſitas urgeret, quovis die infantes & adulti tingebantur, ut ex Tertulliano (164), Baſilio (165), Siricio P. (166), & Leone I. (167) liquet. Vetus diſciplina de ſollemnis baptiſmi tempore apud Graecos defecit, ſed quo tempore incertum; iamque hodie filios baptizant poſt octavum a nativitate diem, teſte Allatio (168).

 Apud

(150) *De baptiſm. c. 19.* (151) *Ep. ad Pammach. adv. Io. Hieroſolymit.* (152) *Ep. ad Himer. Tarracon.*
(153) *In Sacrament.* (154) *In exhortat. ad baptiſm.*
(155) *Hom. 1. in Act.* (156) *Lib. IV. hiſt. eccleſ. c. 21.*
(157) *Orat. 39. & 40.* (158) *Hom. 14. T. I.*
(159) *Orat. de baptiſm.* (160) *Lib. II. de perſecut. Wandalic.*
(161) *De glor. martyr. c. 6.* (162) *Cit. loc.*
(163) *Cit. ep. ad Himer.* Vid. Martene *de antiq. eccleſ. ritib. lib. I. c. 1. art. 1. n. 4.* & Chardon. *lib. I. hiſt. ſacrament. c. 10.*
(164) *Cit. loc.* (165) *Ibid.* (166) *Cit. ep. ad Himer.*
(167) *Ep. 4. ad univerſos epiſcopos per Siciliam conſtitutos c. 5. & 6.* (168) *Lib. III. de conſenſ. Orient. & Occid. eccleſ. c. 8. n. 2.*

Apud Occidentales autem baptiſmus parvulis & adultis extra vitae periculum conſtitutis datus eſt in pervigilio paſchatis & pentecoſtes ad exitum uſque ſaeculi XI., uti ſcite Couſtantius (*169*). Saeculo XII. conſuetudo primum induci coepit baptizandi parvulos quavis die, uti colligitur ex Ruperto Abbate Tuitienſi, qui an. MCXXXV. deceſſit (170). Sed novum hunc morem non ubique his temporibus receptum, conſtat ex veteri Miſſali medio ſaeculo XII. conſcripto (171), Codice ad uſum eccleſiae Rivenſis, Ordinibus Romanis I. & VII. (172), Auctore vitae S. Ottonis Bambergenſis (173), & concilio Redingenſi in Anglia an. MCCLXXIX. celebrato (174). Tandem ſaeculo XIII. deſinente, vel XIV. ineunte ubique deſuevit ſollemne baptiſma in pervigiliis paſchae ac pentecoſtes, atque invaluit parvulos, ubi prodiiſſent in lucem, baptiſmo donari, ob urgentius cui ſubſunt vitae periculum, ne tam neceſſario ſacramento deſtituti caeleſti regno exciderent: quod adſtruunt Rituales omnes libri ſaeculo XIII. & XIV. exarati, quibus altum de veteri illo more ſilentium, novo ubique inducto baptizandi parvulos quovis die & hora miniſtris eccleſiae oblatos.

§. XV. Quibuſdam caeremoniis baptiſmus confertur. Primum baptizandi per patrinos praeſentati, catechumeni quidem per ſe, parvuli per ſuſceptores, facie ad Occidentem verſa, quae regio eſt principis te-

(*169*) *Not. ad cit. ep. Siricii p. 627.*
(170) *Lib. IV. de div. offic. c. 18. n. 6.* (171) Vid. Mabillon. *comment. praev. in Ordinem Roman. p. 76.*
(172) Apud Mabillon. *Muſei Italic. T. II. p. 28. n. 45. & p. 84. n. 12.* (173) Apud Bollandianos *die 2. Iulii T. I. n. 71. p. 39.* (174) *Can. 4.*

tenebrarum, ſollemni formula abrenunciabant *Satanae, pompae, & Angelis eius*, in eum exſufflabant, expuebant, aliaſque adverſantis animi ſignificationes edebant. Huius *ἀποταξεως renunciationis* originem ab apoſtolica traditione repetit Baſilius (175). Tum converſi ad Orientem, quae lucis regio eſt, ſponſionem ſeu pactum cum Chriſto inibant, ſe in poſterum ei ſervituros (*x*). Inde catechumeni manibus oculiſque ad caelum ſublatis apud multos teſtes ter fidei profeſſionem edebant ſecundum verba ſymboli ſibi antea traditi, & rogati reſpondebant. Adhibebantur *exorciſmi* & *exſufflationes* ad malignum ſpiritum, quo ante baptiſmum vexati cenſebantur, abigendum (*y*). Sequebatur *ſignum crucis*, quod potiſſimum in fronte baptizandi tamquam in ſede pudoris imprimebatur: quem ritum ab apoſtolica traditione repetit Baſilius (176). Apud Latinos etiam *ſal ori baptizandi* iniiciebatur, *ſaliva aures & nares* eius liniebantur, ut Ambroſius (177), Auguſtinus (178), aliique teſtantur (*z*). Iam baptizatis oſcu-

(175) *De Spirit. Sanct. c.* 27. (176) *Cit. loc.*
(177) *Lib. X. in Luc. n.* 48. & *lib. I. de ſacram. c.* 1.
(178) *Lib. I. confeſſ. c. XI.* & *in pſalm.* 44.

(x) De ſollemni hac Satanae abrenunciatione vide quoque Briſſonium *comment. ad tit. Cod. de ſpectaculis & feriis*, Merillium *lib. III. Obſ. cap.* 3. Vicecomitem *de antiq. baptiſm. ritib. lib. II. cap.* 16. *ſeqq.* & Voſſium *ad Ephrem. Syrum p.* 197.

(y) De exorciſmi ritu & antiquitate videſis Menardum *ad Sacram. Gregorii M. p.* 132. *ſeq.* Martenium *lib. I. de ritib. p.* 183. Milles *not. ad Cyrill. Hieroſolym. p.* 7. Elmenhorſtium *not. ad Gennadii dogmat. eccleſ. cap.* 31. & Goar *ad Eucholog. p.* 335. *ſeqq.*

(z) Vide de hac re Menardum *in Sacram. Gregor. M. p.* 377. Vicecomitem *de antiq. baptiſm. ritib. lib. II. cap.* 42., Lupum *in expulſione* 13. *calumniae Mich. Cerular. part. III. p.* 877. Albaſpinaeum *lib. II. obſ. cap.* 36. & Benedictinos *ad Ambroſ. lib. X. in Luc. tom.* 1. *p.* 1514.

oſculum ſacerdos dabat, teſte Cypriano (179), aliiſque. Inde e ſacro fonte egreſſi albas veſtes, quae tótum tegebant corpus, induebant, eaſque a Sabbato Sancto ad Sabbatum in Albis geſtabant, quo in veſtiario eccleſiae deponebant (*a*). Statim poſt baptiſmum neophyti ab epiſcopo ungebantur in fronte, ideſt confirmationis ſacramentum accipiebant. Neophytis iam conſignatis euchariſtia dabatur: adultis quidem ſub utraque ſpecie, parvulis vero ſub ſpecie vini, digito ſacerdotis intincto: qua de re infra cap. IV. Poſt euchariſtiam neophytis tam adultis, quam infantibus dabatur *lac & mel* benedictum in calice baptiſmali deguſtandum, ad infantiam ſignificandam, hoc eſt, illos omni malitia per baptiſmum exutos debere infantium ſimplicitatem ſemper conſervare: unde recens baptizati etiam adulti paſſim *infantes* Auguſtino (180) aliiſque veteribus dicti (*b*). Iam prope exciderat *nominis impoſitio*. Catechumeni ante baptiſmum nomen ſuum dabant; parvulis vero nomen in ipſo baptiſmo imponebatur. Pagani novum nomen

(179) *Ep.* 59. Vid. Martini Kempii opus *de oſculis diſſ.8.* §. 9. *ſeqq.* (180) *Serm.* 227.

(a) De alba veſte baptizatorum fuſe Vicecomes *lib. IV. de ritib. baptiſm. c.* 14. Martene *de antiq. eccleſ. ritib. lib.I. c.*1. *art.* 15. *n.* 5. Suicer. *Obſ. ſacr. c.* 3. Godofr. Vegnerus *diſſ. de veſte alba baptizator.* & Schmidius *diſſ. de uſu veſtium albarum*. Id addo, etiam in eccleſiis Regni baptizatos candidam ſtolam, ut alibi, induere conſueviſſe. Hinc Gregorius M. *lib.VIII. ep.*23. iniungit Fantino in Sicilia Defenſori, ut comparet veſtes albas Iudaeis pauperibus in Agrigentino territorio conſtitutis, qui chriſtianam fidem amplecti cupiebant, ut eas ad baptiſma habeant.

(b) Vide Chriſt. Henric. Zeibichium *diſſ. de infantatione per concordiam lactis & mellis baptiſmali*, Roſweidum *ad vitam Pachomii p.*107. & viros doctos *ad epiſtolam S.Barnabae cap.6.*

men adſumebant: fidelium liberi ante baptiſmum nomine plerumque carebant, ac ſi quod haberent, mutare ſolebant. Imponebantur autem nomina Martyrum, & in primis Apoſtolorum: devitabantur gentilium nomina, iis exceptis, quae chriſtianorum evaſerant (*c*).

C A P. III.

De confirmatione.

§.I. Confirmatio eſt *ſacramentum novae legis, quo baptizati Spiritum ſanctum ad robur & ſpiritualia auxilia accipiunt, ut fidem conſtanter ſervent, invictoque animo profiteantur.* Ea veteribus dicta χειροθεσια *manuum impoſitio*, quod ita conferretur: χρισμα *unctio*, quod baptizati oleo ungerentur: σφαγις *ſigillum*, quod ſpiritualem animae notam imprimit: τελιωσις *perfectio*, quia baptizatum perficit, gratiaque auget: & *confirmatio*, quia Spiritum ſanctum ad robur & incrementum confert: quod nomen occurrit in conſtitutionibus apoſtolicis (1), Concilio Arauſicano I. (2), Arelatenſi III. (3), apud Leonem M. (4), alioſque veteres. Eſſe confirmationem *verum & proprium ſacramentum, characteremque imprimere*, definivit Tridentina Synodus (5). (*a*) Inſti-

(1) *Lib. III. c.* 17. (2) *Can.* 1. (3) *Can.* 2. (4) *Ep.* 79. *ad Nicetam*. (5) *Seſſ.* 7. *de ſacram. in gener. can.* 2.

(c) Conſule Fleurium *de morib. chriſtianor. part. II. c.* 7. Caſalium *de vet. ſacr. chriſtian. ritib. diſput.* 1. *c.* 5. Baruffaldum *ad Ritual. Roman. t.* 10. *n.* 64. & Sarnellium *ep.* 38. *tom. IV.*

(a) Prae ceteris haeterodoxis Io. Dallaeus *libris tribus de confirmatione* contendit, confirmationem non eſſe ſacramentum a baptiſmo diſtinctum, ſed ritum a baptiſmo ſaeculo XII. demum apud Latinos avulſum. At Calvinianum miniſtrum ſo-

ſtitutum autem coniicitur eo tempore, quod inter Chriſti reſurrectionem & adſcenſionem proceſſit, quo *magna confirmata ſacramenta, magna ſunt revelata myſteria*, ut ait Leo M. (6).

§. II. De materia confirmationis, non idem omnibus ſedet. Sirmondus (7), Sambovius (8), Habert (9), Du-Vert (10), aliique ſolam manuum impoſitionem eſſe putant, unctionem vero eſſe materiam accidentalem & integrantem ex auctoritate eccleſiae. Scholaſtici ſolum chriſma eſſe materiam eſſentialem ſtatuunt. Morinus (11) utramque materiam disiunctive cenſet eſſentialem, adeo ut unam, aut alteram adhiberi ſit ſatis; traditque a Graecis ſolum chriſma, a Latinis chriſma cum impoſitione manuum ſemper adhibitum. Tandem Iueninus (12), Tournelius (13), Drouvenus (14), Bertius (15), aliique eſſentialem confirmationis materiam in manuum impoſitione & frontis unctione reponunt. Equidem Sirmondi aliorumque ſententiam amplector.

Apo-

(6) *Serm.* 1. *de Adſcenſ. c.* 2.

(7) *Anthirr. II. part.* 1. *c. ult.* (8) *De ſacram. confirmat. diſput.* 3. & 4. (9) *Not. in euchalog. Graecor.*

(10) *De ritib. eccleſ. p.* 402. *T. II.* (11) In opere poſtumo *de confirmatione*. (12) *De ſacram. diſput.* 3. *q.* 2. *c.* 3.

(13) *De ſacram. confirmat. q.* 1. (14) *De re ſacrament. lib. III. q.* 3. *c.* 1. (15) *De theologic. diſcipl. lib. XXXII. c.* 5.

ſolide refellunt Nat. Alexander *pecul. diſſ.* Io. Sambovius *de ſacramentis confirmationis & unctionis extremae*, & ex proteſtantibus ipſis Henric. Hammondus *lib. de confirmatione*, *Opp. T. IV. p.* 851., & Hieremias Taylorus *tractat. de confirmatione*. Eamdem adverſus haereticos veritatem, Scriptura & traditione duce, fuſe vindicant Bellarminus *de confirmat. cap.* 1. *ſeqq.* Iueninus *de ſacram. confirmat. diſſ.* 3. Bertius *de theol. diſcipl. lib. XXXII. c.* 2. Card. Orſi *diſſ. de chriſmate confirmatorio c.* 2. ceterique.

Apoſtoli enim ſola manuum impoſitione baptizatos confirmarunt, ut ex Actis (16) conſtat: *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*. Manuum impoſitione Spiritum ſanctum confirmatis elargiri adfirmant Tertullianus (17), Cyprianus (18), Hieronymus (19), Auguſtinus (20) aliique Latini patres; quibuſcum amice conſpirant Firmilianus Caeſarienſis epiſcopus (21), Chryſoſtomus (22), Theodoretus (23), aliique veteres Graecae eccleſiae patres (*b*). Quum itaque Apoſtoli, eorumque ſucceſſores ſola manuum impoſitione Spiritum ſanctum dederint, & veteres Occidentalis ac Orientalis eccleſiae patres impoſitione manuum baptizatos accipere Spiritum ſanctum doceant, profecto eſſentialis confirmationis materia in ſola χειροθεσια conſiſtit (*c*).

§. III. Non modo manuum impoſitione, verum etiam chriſmate ex antiquiſſimo eccleſiae praecepto, confirmatio conferenda eſt. De chriſmatis origine diſſen-

(16) *Cap. VIII. v.* 17. (17) *De baptiſm. c.* 8. & *de reſurrect. carn. c.* 8. (18) *Ep.* 73. *ad Iubaian.* (19) *Dialog. adv. Luciferian.* (20) *Lib. XV. de Trinit. c.* 26.

(21) *Ep.* 75. *ad Cyprian. inter Cyprianic.* (22) *Hom.* 18. *in Act. Apoſtolic.* (23) *In ep. ad Hebraeos c.* 6.

(b) Morinus *de ſacram. confirmat.* c. 4. ſcribit, veterum ſcriptorum neminem teſtari, in eccleſia Graeca olim adhibitam manuum impoſitionem ad dandum Spiritum ſanctum. Nae is manifeſti erroris arguitur ex tot Graecorum luculentiſſimis in eam rem teſtimoniis. Conf. etiam Grancolas *antiq. ſacramentar. part. II. p.* 116. *ſeq.*

(c) Nihil obturbat Eugenius IV. in *inſtruct. Armenor.* adfirmans, materiam confirmationis eſſe chriſma; ſat enim conſtat, pontificem eo decreto peculiares eccleſiae Latinae ritus in conficiendis ſacramentis, non veras & proprias materias & formas, quae Armenos non latebant, propoſuiſſe.

ſentiunt viri docti. Prae ceteris Petrus Aurelius (24); & Card. Orſi (25) ungendi ritum apoſtolicum eſſe ſtatuunt. Id vero negant Habert (26), Eſtius (27), aliique. Apoſtolos enim manuum impoſitione conſignaſſe conſtat ex Scriptura, & patribus apoſtolicis: adhibuiſſe etiam chriſma in confirmando, nec Scriptura, nec ullo idoneo monumento probari poteſt. Sicubi in novo foedere (28) chriſtiani *inuncti* & *ſignati* eſſe dicuntur, id intelligendum de internis & myſticis unctionibus, quales gratiae ſuae effuſione Deus operatur. Contra Baſnagius (29), Binghamus (30) aliique chriſma circa finem ſaeculi ſecundi inductum putant, quod eius primi Tertullianus & Origenes meminerint. Sed ſcite Pearſonius (31) coniicit, olei unctionem non multo poſt Apoſtolos inductam. Profecto Tertullianus (32), qui primus e Latinis olei unctionem, qua neophyti ungebantur, memorat, eam non aevo ſuo primum invectam, ſed iam antea in eccleſiis receptam ſupponit: *Exinde egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione de priſtina diſciplina* (hoc eſt Iudaica), *qua ungi oleo de cornu in ſacerdotium ſolebant*.

§.IV. Iam Latini ſolam frontem; Graeci etiam aures, nares, & pectus inungunt, teſte Cyrillo Hieroſolymitano (33). Conſtat Latinorum chriſma tantum oleo & balſamo per epiſcopum benedicto; Grae-

co-

(24) In libro inſcripto *Orthodoxus* contra Sirmondum, cuius auctor Ioannes Vergerius, qui ſub Petri Aurelii nomine latet.

(25) *Diſs. de chriſmate confirmatorio c.* 1. (26) *In Graecor. archierat.* (27) *In lib. IV. Sentent. diſt.* 7. §. 7. (28) *II. ad Cor. I.* 21. *ſeqq. Ad Epheſ. I.* 14. (29) *Ad an.* 37. *n.*38. *ſeq.* (30) *Lib. XII. origin. eccleſ.*

(31) *Lect. in Act.* 5. *n.* 6. (32) *De baptiſm. c.* 7.

(33) *Catecheſ.* 3.

corum vero XXXV. aliis aromatum ſpeciebus (34). Olim in Latina & Graeca eccleſia oleum ſine balſami admixtione conſignandis fidelibus adhibitum eſt. Balſami enim haud meminere Baſilius, Cyrillus Hieroſolymitanus, item Cyprianus, Innocentius I., & Auguſtinus, qui de chriſmate ſaepe agunt. Quin diſerte Tertullianus (35) ſolo oleo neophytos inunctos prodit. Primum ſaeculo ſexto coeperunt Latini oleo balſamum admiſcere; unde ſub exitum eius ſaeculi de balſamo loquuntur Gregorius M. (36), & Gregorius Turonenſis (37) (*d*): tum Latinorum exemplum ſecuti ſunt Graeci. Nec vero commixtio balſami cum oleo eſt de neceſſitate ſacramenti. Hinc confirmationis ſacramentum, per errorem non chriſmate, ſed oleo collatum, *iterandum non eſſe, ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerat praetermiſſum*, reſpondit Innocentius III. (38). Chriſma ex vetuſtiſſima ec-

(34) Vid. *Euchologium Graecor. p.637.* & ibi Goar. Adde Habert ad *Archieratic. Graecor. ſub fin.* (35) *Cit. loc.*
(36) *In Sacrament.* (37) *De glor. martyr. c.* 41.
(38) *Cap.* 1. *extr. de ſacram. non iterand.*

(d) Fabianus papa, qui ineunte ſaeculo III. ſedit, in *ep.2. ad epiſcop. Oriental.* apud Gratian. *can.* 18. *diſt.* 3. *de conſecr.* balſami oleo admixti meminit, iubetque epiſcopos quotannis conficere chriſma in Coena Domini. At eam Fabiano poſt ſaeculum ſextum ſuppoſitam, conſtat. S. Cyprianus *lib. de cardinalib. Chriſti operib. ad Cornelium papam, ſerm. de unctione chriſmatis, & aliis ſacrament.* ſcribit, feria V. in Coena Domini confici chriſma balſamo oleo admiſto. Sed opus hoc Cypriano abiudicant critici, & Arnoldo Bonae-Vallis Abbati in dioeceſi Carnotenſi, qui ſaeculo XII. vixit, iure attribuunt Nat. Alexander *in ſaec. III. cap.* 4. *art.* 4. *n.* 3. & Caveus *in hiſt. litterar. ſcript. eccleſ.* Apud Gregorium Turonenſ. *de glor. Martyr. cap.*41. ſacerdos idolorum, qui ſaeculo IV. ſub Iuliano Apoſtata vixit, balſamum memorat. Verum Gregorius eum pro more ſui temporis loquentem facit.

eccleſiae diſciplina conſecrari ſeu benedici ab epiſcopo debet, ut habes ex Tertulliano (39), Cypriano (40), Baſilio (41), Cyrillo Hieroſolymitano (42), aliiſque (e). Quibuſdam precibus conſecratur chriſma, quae proſtant apud Gregorium M. (43). Olim licebat epiſcopo chriſma *omni tempore* conficere, teſte Concilio Toletano I. (44). Saeculo VI. inducta eſt diſciplina ſollemniter conficiendi chriſma in Coena Domini ab epiſcopo; eius enim primus meminit Gregorius M. (45).

§.V. De confirmationis forma, aeque diſſentiunt theologi. Qui huius ſacramenti materiam in ſola manuum impoſitione collocant, formam ſtatuunt oratio-

(39) *De baptiſm.* c. 13. (40) *Cit. ep.* 73. *ad Iubaian.* (41) *De Spirit. ſanct.* c. 27. (42) *Catecheſ. myſtag.* 3. (43) *In Sacramentario*. (44) *Can.* 20. (45) *In cit. Sacrament.*

(e) Conſecrationem chriſmatis ordinario iure ad ſolos epiſcopos ſpectare, certum eſt. Presbyteros chriſma conficere canones vetant. Concilium Carthaginienſe II. an. 380. *can.* 3., & Carthaginienſe III. an. 398. *can.* 36. Presbyteros chriſma conficere audentes depoſitione coercet Synodus Bracarenſis an. 561. *can.* 19. Et Montanus epiſcopus Toletanus in *ep. ad Thuribium* acerbe carpit presbyteros, qui uſurpabant ius conſecrandi chriſma, *ab initio fidei catholicae tantum pontificibus debitum*. Num vero conſecratio chriſmatis ſimplici presbytero committi a R. pontifice queat, diſputatur. Et poſſe quidem liquet in primis ex bulla Eugenii IV., quam ex autographo Vaticano edidit Wadingus *in Annal. Minor. ad an.* 1444. *tom. II.*, qua Fabiano de Bachia Ordinis Minorum, ad Indos proficiſcenti, indulſit chriſma conficere, & conferre. Quin presbyteros olim chriſma alicubi confecraſſe, ex concilio Laodiceno, Toletano, Bracarenſi, aliiſque, quibus ſtatuitur, ne in poſterum presbyter chriſma conficiat, colligunt Morinus *de ſacram. confirmat. cap.* 13. & Holſtenius *diſſ. de miniſtr. confirmat. cap.* 4. Sed & presbyteris nonnumquam chriſma conficere permiſſum, teſtatur Io. Diaconus *ep. ad Senarium*, apud Mabillon. *Muſei Italici part. II. tom. I.*, quem vide.

tionem, qua epiſcopus neophyto manus imponens invocat Spiritum ſanctum. Contra qui pro materia conſtituunt chriſma, formam eſſe aiunt verba, quae epiſcopus inungens profert. Qui tandem materiam in manuum impoſitione & chriſmate ponunt, ii formam conſtituunt in oratione epiſcopi manus imponentis, & verbis in chriſmatis unctione prolatis. Nunc apud Latinos confirmationis forma ſunt indicativa verba, quae chriſmatis unctionem comitantur: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis &c.* Quo tempore ea Latini uti coeperint, non liquet. Certe primis decem ſaeculis ignota fuit, nec ab ullo ſcriptorum ante ſaeculum XII. memorata; proinde eſſentialis confirmationis forma non eſt (*f*). Ante receptam deſcriptam formam variis pro temporum & eccleſiarum varietate formulis confirmabatur. Omnium videtur antiquiſſima, quae proſtat in Sacramentario Gelaſiano, quod Card. Thomaſius evulgavit: *Signum Chriſti in vitam aeternam.* In Pontificali Egberti ſaeculo VIII. conſcripto forma eſt: *Accipe ſignum ſanctae crucis chriſmate ſalutis in Chriſto Ieſu in vitam aeternam.* In Ordinibus Romanis, a Mabillonio editis, haec tantum verba leguntur: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Pax tecum:* quae ſola etiam extabant in Libello Romano, cuius ſaepe meminit Amalarius(46), ex-

(46) *Lib. I. de eccleſ. offic. c. 27.*

(f) Nihil obſtat Eugenius IV. *in Inſtruct. Armenor.* adfirmans, formam confirmationis eſſe allata verba: *Signo te ſigno crucis &c.* Pontifici enim propoſitum non fuit eſſentialem huius ſacramentl formam definire, ſed tantum Armenis tradere formam in Romana eccleſia uſitatam, cui illi ſe ſe adcommodare ſtudebant, uti ſcite Farvacquius *opuſc. de confirmat. cap.* 3. *q.* 2. & Eſpenius *iur. eccleſ. part. II. ſect.* 1. *tit.* 3. *n.* 10.

extantque in libro de divinis officiis ſub nomine Alcuini edito (47). Apud Fulbertum Carnotenſem (48) haec eſt formula: ***Deus qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu, ipſe te linit chriſmate ſalutis.*** Ceterum formulae in Ritualibus ab annis 530. exaratis ferme indicativae ſunt, earumque varietates vide prae ceteris apud Morinum (49), & Martenium (50). De forma Graecorum non idem omnibus. Morinus (51), Sambovius (52), aliique tuentur, apud Graecos confirmationis formam eſſe orationem, quae in eorum Euchologiis neophyti unctionem praecedit, cuius initium: ***Benedictus es Domine***. Contra Arcudius (53), Goar (54), Habert (55), Holſtenius (56), aliique, Graecorum formam eſſe ſtatuunt verba: *Σφραγις δωρεας πνευματος αγιȣ, ſignaculum doni Spiritus ſancti*, quae in eorum Euchologio habentur. Antiquiſſimum apud Graecos fuiſſe huius formulae uſum, rite adſtruitur ex Cyrillo Hieroſolymitano (57), Aſterio epiſcopo Amaſiae (58), & Concilio CPolitano I. (59).

§.VI. Ordinarius confirmationis miniſter eſt ſolus epiſcopus, ut a ſynodis Florentina (60), & Tridentina (61) definitum eſt. Inde uſque ab eccleſiae primordiis primum Apoſtoli, tum epiſcopi eorum ſucceſſores, neophytos conſignarunt. Petrus & Ioannes Sa-

(47) *In cap. de ſabbato ſancto.* (48) *Ep.* 1. (49) *Lib. VIII. de poenit. c.* 16. (50) *Lib. I. de antiq. eccleſ. ritib. c.* 2.
(51) *De confirmatione.* (52) *De ſacrament. confirmat.*
(53) *Lib. II. de ſacram. c.* 7. (54) *In Euchołog. Graecor. p.* 368. (55) *Ad Graecor. archierat. in obſ. ad rit. chriſmat. p.* 701. (56) *Diſſ. de forma confirmationis apud Graecos.*
(57) *Cit. loc.* (58) *In ſerm. de prodigo*, apud Phot. *Biblioth. cod.* 271. (59) *Can.* 7. (60) *In inſtruct. Armen.*
(61) *Seſſ.* 7. *de confirmat. can.* 3.

Samariam profecti ſunt, ad baptizatos a Philippo diacono per manuum impoſitionem confirmandos, ut in Actis (62) legitur (*g*). Eamdem conſignandi poteſtatem ſolis epiſcopis adſerunt Cornelius papa (63), Cyprianus (64), Innocentius I. (65), Hieronymus (66), Auguſtinus (67), itemque Pſeudo-Clemens (68), Chryſoſtomus (69), Iſidorus Peluſiota (70), aliique (*h*). Extraordinarius autem miniſter eſt ſolus presbyter, qui ex delegatione confirmat; diacono autem conſignandi poteſtas numquam delegata eſt (*i*). Olim

(62) *Cap. VIII. v.* 17. (63) *In ep. ad Fabium Antiochen.* apud Euſeb. *lib. VI. hiſt. eccleſ. c.* 17. (64) *Cit. ep.* 73.
(65) *Ep. ad Decent. c.* 3. (66) *In dialog. adv. Luciferian.*
(67) *Lib. XV. de Trinit. c.* 26. (68) *Lib. III. Conſt. Apoſt. c.* 17. (69) *Hom.* 18. *in Acta.* (70) *Lib. I. ep.* 450. *ad Antiochen.*

(g) Obſtare huic doctrinae videtur locus *Act. IX. v.* 17., ubi ſcriptum eſt, ab Anania manus Saulo recens converſo impoſitas; Ananias autem non Apoſtolus, ſed unus ex LXX. diſcipulis fuit. At ea manus impoſitio non fuit *confirmatoria*, adeoque Spiritum ſanctum non contulit, quippe quae baptiſmum Paulli praeceſſit, ſed *curatoria*, hoc eſt, adhibita ad caecitatem a Paullo avertendam, haud abſimilis illi, de qua Marci cap. ult. *ſuper aegros manus imponent, & bene habebunt*. Quod ex eodem *cap. 9. ſeq. v.* 18. liquet: *Viſum* (Saul) *recepit, & ſurgens baptizatus eſt*.

(h) Euſebius papa *ep. 3. ad epiſcopos Tuſciae & Campaniae*, apud Gratian. *can. 4. de conſecr. diſt.* 5. ſcribit, confirmationis ſacramentum non niſi a *ſummis ſacerdotibus perfici poſſe*. At haec epiſtola commenticia eſt.

(i) Morinus *diſſ. de ſacramento confirmationis cap.* 16. & Holſtenius *diſſ. 1. de miniſtro confirmationis cap.* 1. confirmandi copiam olim diaconis factam ab epiſcopis colligunt ex Innocentio I. *ep. ad Decent. cap. 6. n.* 9. ubi ait: *De his vero baptizatis, qui poſtea a daemonio . . . arripiuntur, eſt ſollicita dilectio tua, ſi a presbytero, vel diacono poſſint, aut debeant conſignari. Quod hoc, niſi epiſcopus praeceperit, non licet. Nam*

Olim in Occidente presbyteros confirmaſſe abſente epiſcopo, aut eius iuſſu, conſtat ex Concilio Toletano I. (71), Arauſicano I. (72), Epaonenſi an. 417. (73), aliiſque (*k*). Saeculo VI. Gregorius M. presbyteris Sardis indulſit, ut baptizatos confirmarent (*l*). Sed iam ante ſchiſma Photianum, quod no-

(71) *Can.* 20. (72) *Can.* 1. (73) *Can.* 16.

bis manus imponenda omnino non eſt, niſi epiſcopus auctoritatem dederit id efficiendi. At Innocentius hoc loco non loquitur de ſacramento confirmationis, quod eo tempore ſtatim poſt baptiſmum dabatur, adeoque non de *ſacramentali* manuum impoſitione accipiendus eſt; ſed de *caeremoniali*, quae ad curandos eos, qui poſt baptiſmum daemone arrepti erant, adhibebatur, ut Morini editor Moretus *ad cit. cap.* 16., & Couſtantius *ad cit. epiſt.* oſtendunt.

(k) Sunt qui laudata veterum teſtimonia accipienda putant de unctione *caeremoniali*, quae in vertice, non de *ſacramentali*, quae in fronte fiebat; atque illam, non hanc presbyteris delegatam fuiſſe. Nae ii vetera novis metiuntur, nebulaſque offundere luculentis ſcriptorum teſtimoniis conanituntur. Videſis prae ceteris Thomaſſinum *diſcipl. part. I. lib. II. cap.* 23. *n.*6., Lupum *diſſ. de VIII. ſynod. cap.* 5. & Couſtantium *in epiſt. Rom. pontific. col.* 857.

(l) Gregorius M. *lib. IV. ep.* 9. *ad Ianuar. Calarit.* interdixit presbyteris Calaritanis baptizatos ſeu baptizandos chriſmate in fronte conſignare: *Epiſcopi*, inquit, *baptizatos infantes ſignare bis in frontibus chriſmate non praeſumant. Sed presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut epiſcopi poſtmodum ungere debeant in fronte*. Deinde audiens presbyteros Sardos interdictam frontis chriſmationem aegre tuliſſe, & ſcandala inde oboriri, quam antea denegaverat confirmandi poteſtatem, eam illis Gregorius indulſit *cit. lib.IV. ep.* 26. *ad eumdem Ianuar.* ſequentibus verbis: *Pervenit quoque ad nos, quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod presbyteros chriſmate tangere in fronte eos, qui baptizati ſunt, prohibuimus. Et nos quidem ſecundum uſum veterem eccleſiae noſtrae fecimus. Sed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi epiſcopi deſunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos chriſmate tangere debeant, concedimus*.

His

nono ſaeculo erupit, Occidentales presbyteri ubique confirmare deſierunt; Photiani enim Latinos vel eo nomine calumniati ſunt, quod ii presbyteris confirmare non permitterent; idque iure a Latinis fieri, adſeverarunt Ratramnus Corbeienſis (74), aliique Latinorum vindices. Poſterioribus temporibus Romani pontifices quibuſdam ſacerdotibus conſignandi copiam fecerunt. Hoc privilegio nonnullos Fratres Minores Nicolaus IV. aliique pontifices (75); Caſinenſem Abbatem Benedictus XIII. (76); & Cuſtodem Terrae ſanctae Benedictus XIV. (77), donarunt.

§. VII. Quod vero pertinet ad Graecos, presbyteri apud eos ex priſca conſuetudine confirmant. Olim ſolos epiſcopos, non presbyteros, ſaltem ubique, in Oriente conſignaſſe, liquet ex Chryſoſtomo (78). Idem adſtruitur ex Pſeudo-Dionyſio (79), eiuſque ſcholiaſte Georgio Pachymere, qui generalem Graecae

(74) *Lib. IV. contr. oppoſit. Graecor. c.* 7. (75) Vid. Wadingum in *Annalib. Minor. T. XXI. ad an.* 1444. & 1447. & *T. XVI. ad an.* 1521. *& ſeq.* (76) *Conſt.* 8. *poſt Concil. Roman.* (77) *Conſt.* 20. *& conſt.* 87. §. 4. *T. I. Bullar. eiuſdem p.* 28. *&* 294.

(78) *Cit. hom.* 18. (79) *De eccleſ. hierarch. c.* 5.

His verbis a Gregorio presbyteris Sardis indultum ſacramentum confirmationis extra ordinem adminiſtrare, eruditi fere omnes conſentiunt: idque demonſtrarunt Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſput.* 36. *ſect.* 1. Berti *de theolog. diſcipl. XXXII. cap.* 7. *prop.* 2., & in primis Benedictini *not. in dict. ep.* 26. Contra Petrus de Marca ad *can.* 28. *concilii Claromontani*, Gulielm. Eſtius *in IV. diſt.* 7. & noviſſime Card. Orſi *diſſ. de chriſmate confirmatorio cap.* 3. §. 4. contendunt, Gregorium intelligendum eſſe non de confirmatione, ſed de unctione quadam caeremoniali, illi ſimili, quae fit in vertice baptizati, quam presbyteri Calaritani contra uſum Romanae eccleſiae ante vel poſt baptiſmum faciebant in fronte.

cae eccleſiae conſuetudinem fuiſſe ait, ut ſoli pontifices conſignarent. Ambroſiaſter (80) refert, *apud Aegyptum presbyteros conſignare, ſi praeſens non ſit epiſcopus*. Sed longe ante Photianum ſchiſma Graecorum moribus receptum eſt, ut presbyteri confirmarent; id enim ſupponit Photius (81). Hodie etiam Orientales presbyteri conſignant ex veteri conſuetudine apud eos recepta, non per abuſum. Sane in concilio Florentino, ubi unio inter Graecos Latinoſque inita eſt, propoſita ab Eugenio IV. Graecis inter undecim quaeſtiones etiam hac, *quare epiſcopi non ungunt ſacro chriſmate, ſed ſacerdotes, cum hoc pontificibus ſit datum?* Dorothaeus Mitylenenſis metropolita eamdem cum aliis quaeſtionem κανονικῶς καὶ νομικῶς, *canonice & legitime diſſolvit* (82): quod Graecorum conſuetudinem ab Eugenio probatam oſtendit (*m*).

§. VIII.

(80) *Comment. in ep. ad Epheſ. in Appendic. Opp. S. Ambroſ. tom. II. p.* 241. (81) *In encyclica ad patriarch. Orient.* (82) *Vid. Acta Concilii Florent. tom. XIII. Concil. p.* 256.

(m) Nihil obturbat Innocentius III. *cap.* 4. *ext. de conſuetud.*, ubi inhibet *omnibus presbyteris apud Conſtantinopolim conſtitutis, ne in poſterum ſacramentum confirmationis fidelibus exhibeant*. Etenim caput hoc deſcriptum eſt ex Innocentii epiſtola ad Lucium Vicarium ſuum apud CPolim data an. 1199., quae integra extat in tertia collectione apud Ant. Auguſtinum, & apud Baluzium *tom. I. epiſt. Innoc. III. p.* 480., ubi legitur *omnibus LATINIS presbyteris;* Raymundus autem *vo Latinis* omiſit. Hinc ſe ſe exſerit Innocentii mens. Nimirum is conſignare interdicit Latinis tantum presbyteris apud CPolim morantibus. Quum enim eo tempore urbs CPolitana Francorum imperio ſubeſſet, eiuſque patriarcha Venetus eſſet, ex Francis & Venetis incolis magnam partem conſtabat. Latini autem presbyteri, Conſtantinopoli degentes, Graecorum more confirmationem adminiſtrare coeperunt; quem La-

ti-

§.VIII. Suſcipientes confirmationem ſoli baptizati ſunt: quod conſtans eccleſiae diſciplina ab Apoſtolis ducta neophytos tantum conſignandi, & patres confirmationem adpellantes *conſummationem* & *perfectionem baptizatorum*, ſatis adſtruunt. Nimirum baptiſmo datur Spiritus ſanctus; confirmatione autem eius plenitudo, ut baptizatus in fide adſcita magis roboretur. Zacharias papa (83) Scotum quemdam, non baptizatos recte confirmari poſſe docentem, damnavit. Baptizati autem ſive adulti, ſive parvuli rite confirmantur. Diu adultos & infantes ſtatim poſt baptiſmum confirmatos, produnt Tertullianus, Cyprianus, aliique infra laudandi. Nominatim de conſignandis infantibus loquuntur Innocentius I. (84), Auguſtinus (85), Gregorius M. (86), Ordo Romanus (87), aliique. Saeculo adhuc decimo ſtatim poſt baptiſmum infantes confirmari conſueviſſe, liquet ex Burchardo (88), & duobus Pontificalibus ſaeculo IX. & X. exaratis (89). Saeculo XIII. diſciplina haec in quibuſdam eccleſiis deſueſcere coepit: tum ſequenti aetate penitus defecit, ſatiuſque eſt viſum, tempus opperiri, quo confirmandus rationis uſum adeptus fuerit (90). Pueros ſeptennes confirmandos, ſta-

 tue-

(83) *Ep. ad S. Bonifac.* (84) *Cit. Ep. ad Decent. c. 3.*
(85) *Tract. VI. in Ep. 1. Ioan. n. 10.* (86) *In Sacramentario* (87) *Tit. de Sabbato Sancto* Conf. Holſtenium *diſſ. de minoribus confirmandis.* (88) *Lib. IV. Decret. c. 59.*
(89) Apud Baluzium *not. ad Reginon. lib. I. c. 69.*
(90) Vid. Martene *lib. I. de antiq. eccleſ. ritib. c. 2. art. 1. n. 3.*

tinorum ſacerdotum abuſum retudit Innocentius, iiſque praecepit, ut Latinae eccleſiae conſuetudinem obſervent, nec agere praeſumant, quod ſolis Graecis presbyteris permiſſum eſt. Conf. Morinum *de ſacram. confirmat. cap. 22.* & Holſtenium *diſſ. de miniſtro confirmat. apud Graec.*

fuerunt concilium Colonienſe an. 1536. (91), Mediolanenſe I. an. 1566. (92), Turonenſe an. 1582. (93), & Catechiſmus Romanus (94). Quod ſi pueri ſeptennio minores eo morbo laborent, ut morituri praevideantur, confirmandos eſſe, docet B. Thomas (95), *ut confirmati decedentes maiorem gloriam conſequantur, ſicut & hic maiorem obtinent gratiam*. Graeci adhuc ex veteri more pueros ſtatim poſt baptiſmum conſignant, ut Allatius (96) teſtatur.

§. IX. Chriſtiani autem omnes tenentur confirmationem accipere ex praecepto eccleſiaſtico. Id tradit Cyprianus (97): *Vngi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus eſt, ut accepto chriſmate, ideſt, unctione, eſſet unctus Dei, ut habere in ſe gratiam Chriſti poſſit*. Synodus Laodicena (98) cavit: Ὁτι δει τȣς φωτιζομονȣς μετα το βαπτισμα χριεσϑαι χρισματι ἐπȣρανιω. *Quod oportet, eos qui baptizantur, poſt baptiſma inungi ſupercaeleſti chriſmate*. Auguſtinus (99) docet, chriſtianos non recte vocari, niſi *chriſmate unctos*. Gregorius M. (100) conſignari eos iubet, de quibus prudenter dubitatur, an confirmati ſint, *ne talis dubitatio ruina fidelibus ſit*. Diu in eccleſia baptizati ſtatim confirmabantur; nec ante acceptam confirmationem chriſtiani nomen demerebantur, uti mox oſtendetur. Quin eccleſia de confirmandis fidelibus adeo ſollicita fuit, ut nonnumquam haud conſignatis euchariſtiam denegaverit: quod ex conciliis

Lam-

(91) *Part. VII. c. 9.* (92) *Part. II. Act. Mediolan. eccleſ. p. 7.*
(93) *Cap. 7.* (94) *Part. III. de confirmat. n. 15.*
(95) *Part. III. quaeſt. 73. art.* 8. *ad* 4. Vid. Catalanum *ad Pontific. Rom. p. 227. n. 22. tom. III.*
(96) *Lib. I. de orient. & occid. eccleſ. conſenſ. c. 18.*
(97) *Ep. 70.* (98) *Can. 48.* (99) *Lib. XVII. de civit. Dei c. 14.* (100) *Lib. XIV. ep. 17.*

Lambethenſi & Bituricenſi Martenius (101) adſtruit. Denique Tridentina Synodus (102) vetat *prima tonſura initiari, qui ſacramentum confirmationis non ſuſceperint.*

§. X. Iam inde ab apoſtolicis temporibus ſtatim poſt baptiſmum confirmatio dabatur, ut neophyti ad fidem, quam in baptiſmo profeſſi erant, ſervandam invictoque animo confitendam, fortes evaderent. Tertulliani aevo baptizati de lavacro egreſſi ſtatim ungebantur *de priſtina* (Moſaica) *diſciplina*, unctique manuum impoſitione Spiritum ſanctum accipiebant, ut ipſe teſtatur (103). Idem Cypriani aetate ſervabatur. Is enim (104) Petrum & Ioannem Samaritanis baptizatis manus impoſuiſſe ait, inque ipſos, precibus adhibitis, Spiritum ſanctum effuſum fuiſſe: tum ſubdit idem ſuis temporibus obſervari, ut baptizati epiſcopis oblati per orationem ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur. Concilium Illyberitanum (105) cavit, baptizatum ſtatim ad epiſcopum perducendum, ut perficiatur, hoc eſt, confirmetur. Eadem ſequentibus ſaeculis diſciplina viguit (106). In veteri inſcriptione apud Baronium (107), *Picentia Neophyta conſignata a Liberio papa* dicitur. In toto etiam Oriente egreſſis e lavacro ſtatim chriſmatio adhibebatur ad Spiritum ſanctum accipiendum, ut ex concilio Laodiceno (108), Cyrillo Alexandrino (109), Iobio (110), aliiſque conſtat. Quin olim nemo *chriſtiani* nomen ſortiebatur, nemo *perfe-*

(101) *De antiq. eccleſ. ritib. tom. I. p. 237.* (102) *Seſſ. XXIII. de ref. cap. 4.* (103) *De baptiſm. c. 7.*
(104) *Cit. ep. 123. ad Iubaian.*
(105) *Can. 38. & 77.* (106) Conf. Menard. *ad Sacrament. p. 145.* (107) *Ad an. 367.* (108) *Can. 48.*
(109) *Catena in cap. 9. Ioan.* (110) *Apud Phot. Cod. 222.*

fectus exiſtimabatur *chriſtianus*, qui dono Spiritus ſancti confirmatus & donatus non eſſet, ut ex concilio Illyberitano & Cyrillo Alexandrino obſervat Albaſpinaeus (111). Quamdiu autem baptiſmus & confirmatio ſimul adminiſtrabantur, haec eodem quo baptiſmus loco, eodemque tempore, nempe in paſcha & pentecoſte, citra neceſſitatem, conferebatur. Vetus diſciplina ſtatim conſignandi recens baptizatos adhuc in Oriente ſtat. At ea tandem in Occidente defecit eo tempore, quo adultorum baptiſmus deſiit, ſoluſque fere parvulorum invaluit; tunc enim confirmatio a baptiſmo ſeiuncta eſt. Huic ſeiunctioni cauſſam dedit Latinorum diſciplina, quae ſolis epiſcopis confirmare permittit. Cum enim infantium baptiſmus invaluiſſet, iſque a presbyteris plerumque conferretur, qui confirmandi poteſtate carebant; factum eſt, ut confirmatio differretur, quouſque copia epiſcopi haberetur, quae, aucto fidelium numero, ſaepe ad longum tempus trahebatur. Tandem praeſtare viſum eſt confirmationem differri, quouſque baptizati rationis uſum adipiſcerentur, quam eos rationis expertes confirmare.

§. XI. Confirmationis effectus duo ſunt, *gratia*, & *character*. Gratiam quidem confert ſanctificationis & roboris ad profitendam ſervandamque fidem. Conſtans eſt patrum doctrina, neophytos epiſcopali confirmatione accipere *Spiritum ſanctum*, *perfici*, *conſummari*. Inter alios Latinorum vetuſtiſſimus Tertullianus (112) ſignari carnem ait, ut *anima muniatur*. Cyprianus (113) ſcribit, *neceſſe eſſe baptizatum ungi*, *ut accepto chriſmate habere in ſe gratiam Chriſti poſ-*

(111) *Lib. I. Obſ. cap.* 25. (112) *De reſurrect. carn. cap.* 8. (113) *Ep.* 70.

poſſit. Concilium Illyberitanum (114) baptizatos conſignatione *perfici* ait. Cyrillus Hieroſolymitanus (115) tradit nos chriſmate inungi, ut *induti thoracem iuſtitiae fortiter adverſus inſidias diaboli conſiſtamus*. Characterem vero confirmatione imprimi, teſtantur Tertullianus [116], Cyprianus [117], Ambroſius [118], Auguſtinus [119], ceterique. Quod vero ſpirituale ſignaculum confirmatio imprimit, ea idcirco repeti nequit [n]. Sic Auguſtinus [120]: *Manus*,

(114) *Can.* 38. & 70. (115) *Catecheſ.* 3.
(116) *De praeſcript. cap.* 40. (117) *Cit. ep. ad Iubaian.*
(118) *Lib. III. de ſacrament. cap.* 2. (119) *Lib. II. contr. litter. Petil. cap.* 104. (120) *Lib. II. de baptiſ. cap.* 16.

(n) De confirmatione non iteranda, & per epiſcopum vel presbyterum adminiſtranda, acriter diſputarunt Iac. Sirmondus, & Petrus Aurelius, ſub qua perſona latet Io. Vergerius de Haurance, Abbas Sancyranus. Contentionem excitavit ex fide plurium veterum codicum impeditiſſimo canoni 2. Concilii Arauſicani I. adiecta negatio a Sirmondo *in Collectione conciliorum Galliae*, qui eius lectionem ſic conſtituit: *Nullum miniſtrorum, qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate uſquam progredi debere, quia inter nos placuit ſemel chriſmari. De eo autem, qui in baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in confirmatione ſacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chriſmatis ipſius non niſi una benedictio eſt; non ut praeiudicans quidquam, ſed ut NON neceſſaria habeatur repetita chriſmatio*. Mentem vero canonis hanc eſſe ait, ut unicam, eamque in fronte, chriſmatis unctionem fieri praecipiat: ideoque miniſtrum baptiſmi chriſma in promtu habere, ut baptizatum mox liniat. Si quo vero caſu chriſmatus in baptiſmo quiſpiam non fuerit, commonendum epiſcopum in confirmatione; nempe ut baptizatus, cui chriſma adminiſtratum non eſt in baptiſmo, tunc ab epiſcopo chriſmetur. Chriſmatis unam eſſe benedictionem, vel in baptiſmo, vel in confirmatione. Neceſſariam autem non eſſe repetitam chriſmationem, ſemel ſcilicet a presbytero in baptiſmo, & iterum ab epiſcopo in confirmatione; quae ſola manuum impoſitione confertur. Hanc interpretationem, adiectamque canoni negationem

nus, inquit, *impoſitio*, *ſicut & baptiſmus repeti non poteſt*.

nem acerbe carpit Petrus Aurelius, qui vulgatam lectionem tuetur, *ut neceſſaria habeatur repetita chriſmatio*, canonemque ſic interpretatur. Nullus presbyterorum vel diaconorum, qui ad aegros vel laborantes accedunt, baptiſmi gratia, ſine chriſmate progrediatur; quia id conſtitutum eſt, ut baptiſmus ab iis non adminiſtretur ſine chriſmatis unctione; quam *ſemel* tantum conferant; nulla alia ſcilicet extra baptiſmum chriſmatione illis permiſſa, quae tunc ab epiſcopis adminiſtrari debet. Si quis autem in baptiſmo chriſmatus non fuerit, epiſcopus ea de re tempore confirmationis admonendus eſt; nempe ut baptizatum arceat a confirmatione, & ad presbyterum remittat prius chriſmandum in vertice. Ipſe enim epiſcopus eiuſmodi chriſmationem praebere nequit, quia chriſmatis ipſius non niſi una benedictio eſt, ut loquitur canon, ideſt, chriſmatis *epiſcopi*, ſeu chriſmatis epiſcopalis, quod ab epiſcopo in confirmatione adminiſtratur. Eſſet autem duplex benedictio illius chriſmatis, ſi prius vicem eius, quae a miniſtris petenda erat, deinde ſuam expleret. Ceterum a miniſtris expetenda eſt prima chriſmatio omiſſa, quia neceſſaria eſt repetita chriſmatio, nempe prima illa baptiſmalis, & ſecunda, quae ab epiſcopo adhibetur in confirmatione. Sirmondus, ut ab Aurelio ſollicitatam emendationem & interpretationem ſuam vindicaret, primum emiſit *epiſtolam ad Petr. Aurelium de recta emendatione canonis Arauſicani*; tum *Antirrheticum de canone Arauſicano adv. Petr. Aurelium*; tandemque *Antirrheticum II. adv. eumdem Aurelium*. In hos libellos inſurrexit magno niſu Aurelius editis & *Reſponſione ad epiſtolam Sirmondi*, & *Anaeretico adv. Antirrheticum I.*, & *Orthodoxo adv. Antirrheticum II.*. Iam Sirmondiana canonis Arauſicani emendatio & interpretamentum eruditis probatur, ut Valeſio *not. ad Euſeb.*, Bignonio *in Gallica ad Grotium epiſtola*, Du Vert *de caeremoniis eccleſiae tom. II.*, Habert in *Archieratico*, *ad ritum chriſmatis obſ.* 1., Holſtenio *diſſ. de miniſtro confirmationis apud Graecos*, ac ipſis haeterodoxis Grotio *ep.* 319. *ad Petr. Cordeſium*, & Dallaeo *lib. II. de confirmat. cap.* 1. Verum ſummus vir Petrus de Marca *in not. ad concil. Claromontan. can.* 28. caſtigationem Arauſicani canonis a Sirmondo allertam probat; de mente vero ſynodi ab eo propoſita amplius deliberandum cenſet; tum ſuam de eo canone ſententiam expromit; quam amplectitur Card. Orſi *diſſ. de chriſmate confirmatorio cap.* 3.

poteſt. Gregorius M. [121] baptiſmum, vel confirmationem repeti vetat. Nec iterandam confirmationem, oſtendit etiam vetus epigramma de Marea epiſcopo apud Gruterum (122) (*o*).

§. XII. Ritus confirmationis aut eam praeeunt; aut

(121) *Lib. XIV. ep. 17. ad Felic. Meſſanenſ. epiſcop.*
(122) *Pag.* 1177.

(*o*) Olim haeretici in eccleſiam recipiebantur aut unctione chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſola fidei profeſſione, ut ex Gregorio M. *lib. XI. ep.* 67. patet. In Romana eccleſia Ariani ad eccleſiam redeuntes impoſitione manus, in Galliis & Hiſpaniis chriſmatis unctione recipiebantur, ut ex concilio Arauſicano I. *can.* 2. aliiſque conſtat. In Oriente quoque chriſmate recipiebantur. Num vero haec manus impoſitio, aut chriſmatis unctio, qua haeretici recipiebantur, fuerit ſacramentalis ſeu *confirmatoria*, ita ut ſacramentum confirmationis iterum conferretur, an tantum *reconciliatoria* ſeu *caeremonialis*, diſſentiunt eruditi. Controverſia de ſolis haereticis rite baptizatis & confirmatis procedit; qui enim invalide baptizati fuerant, ut Cataphrygae, Montaniſtae, Eunomiani, aliique, ad eccleſiam redeuntes rurſus baptizabantur & conſignabantur: quique baptizati, ſed non confirmati fuerant, ut de Novatianis prodit Pacianus *ep. ad Sympronianum*, ii reſipiſcentes confirmabantur. Iam Sirmondus *in Antirrhetico II. cap.* 5. contendit, haereticos omnes indiſcriminatim receptos impoſitione manus *confirmatoria*. Idem de haereticis baptizatis & confirmatis in haereſi, non autem de baptizatis conſignatiſque in catholica eccleſia, antequam in haereſim laberentur, adfirmat Morinus *lib. IX. de poenit. cap.* 7. Tandem Petrus Aurelius in *Orthodoxo*, Lupus *ad can.* 7. *CPolitan.*, Iuenin. *quaeſt.* 7. *cap.* 1. *art.* 2., aliique permulti ſtatuunt, haereticorum neminem iam baptizatum & confirmatum ſive in haereſi, ſive in eccleſia, receptum fuiſſe per ſacramentum confirmationis: proinde impoſitionem manus, aut chriſmationem in haereticis recipiendis adhibitam, *caeremonialem* fuiſſe, non *ſacramentalem*. Ex inſtituto argumentum hoc perſecuti ſumus in *diatriba de veteri haereticorum in catholicam eccleſiam receptione*.

aut comitantur, aut ſequuntur. Prioris generis ſunt hi. I. Confirmandi offeruntur a patrinis. Quo tempore ſtatim poſt baptiſmum confirmatio dabatur, idem in utroque ſacramento ſponſor interveniebat. Hinc in vetuſtis monumentis ſoli occurrunt patrini baptizandorum. Poſterioribus ſaeculis, cum confirmatio ſeorſim a baptiſmo dari coepiſſet, inducti ſunt peculiares confirmationis patrini; de quibus fere eadem, quae de baptizandorum ſponſoribus, cauta ſunt. II. Patrini infantes tenere in brachiis debent; ac ſi adulti ſint, *ponunt pedem ſuum ſuper pedem patrini ſui*, ut habet Pontificale Romanum: quem quidem ritum antiquum eſſe, liquet ex Sacramentario Gregoriano, & Ordine Romano. III. Confirmandi ieiuni ſint. Prioribus XII. ſaeculis confirmationem ieiunis in Graeca Latinaque eccleſia datam, ex eo evincitur, quod confirmatis continuo euchariſtia dabatur. Idem teſtantur concilia & patres (123). Diſciplinam hanc ſaeculo XII. ſtetiſſe, liquet ex Petro Lombardo (124). Saeculo XIII. oblangueſcere coepit, teſte B. Thoma (125). Eam reſtituere conati ſunt poſteriorum temporum patres, maxime Pontificale Romanum, & Concilii Tridentini Catechiſmus. Ritus confirmationem comitantes, hi ſunt. I. Epiſcopus confirmandis manus imponit cum orationis recitatione: qui ritus ab Apoſtolis adhibitus eſt, conſtanterque in utraque eccleſia ſervatus. II. Deinde illos chriſmate inungit in ſola fronte, ubi pudoris ſedes eſt; Graeci autem liniunt in *fronte*, *oculis*

(123) Horum teſtimonia habens apud Martene *de antiq. eccleſ. ritib. tom. I. p.* 231. Vicecomitem *de antiq. baptiſmi ritib. lib. I. cap.* 29. & Ioſeph. Catalanum *in Pontific. Roman. tom. I. p.* 9. (124) *In IV. diſt.* 7. *n.* 4.

(125) *In III. part. q.* 72. *art.* 12. *ad* 2.

lis, *naribus*, *ore*, *&* *duabus auribus*, ut eſt in eorum Euchologio. Cum Latini, tum Graeci ſigno crucis inungunt, ſuamque ſinguli verborum formulam proferunt. Tandem ritus, qui confirmationem proxime excipiunt, ſunt. I. Alapa, quam poſt frontis unctionem epiſcopus in confirmati maxillam leviter infligit. Nulla huius alapae apud ſcriptores priorum duodecim ſaeculorum mentio. Primus eius meminit Durandus Mimatenſis epiſcopus, qui ſaeculo XIII. claruit. II. Confirmato pacem adprecatur antiſtes, ut ex Ordine Romano, & Catechiſmo Concilii Tridentini. III. Olim pro chriſmatis reverentia confirmatorum frontes circumligabantur *bandellis*, ſeu vittis lineis. Has ad ſaeculum uſque XII. ſeptem diebus geſtatas, liquet ex Ordine Romano, Amalario, & Hugone Victorino (126). Poſtea in nonnullis eccleſiis obtinuit, ut per triduum geſtarentur, ceu ſanxerunt Concilium Beneventanum an.MCCCLXXIV., Trecenſe an. MCCCC., aliaque. Tum id ad *viginti quatuor boras* coercuit concilium Carnotenſe an. MDXXVI. Demum faſciolarum uſus ſublatus eſt, fronteſque bombyce diligenter abſtergeri, ſatis eſt viſum.

C A P. IV.

De euchariſtia.

§.I. GEnetatim εὐχαριστία ſignificat gratiarum pro acceptis beneficiis actionem. Sed κατ' ἐξοχὴν euchariſtia vocatur corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum: quo ſenſu ea vox antiquiſſima in Orientali ac Occidentali eccleſia eſt; eam enim paſſim uſur-

(126) *Lib. II. de Sacram. part. 7. cap. 7.*

uſurpant Iuſtinus (1), Origenes (2), Clemens Alexandrinus (3), itemque Tertullianus (4), & Cyprianus (5). Ideo autem ſacramentum hoc *eucharistia* dicta eſt, quod Chriſtus, *quando divinum illud myſterium tradidit, gratias egerit, nobiſque ſint agendae gratiae, quod tanta bona ſimus conſecuti*, uti ſcite Pachymeres (6). Revera vetuſtiſſimi fideles euchariſtiam accipientes, Deo *εὐχαριϛίαν ὑπὲρ τȣ κατηξιῶσθαι τȣτων παρ᾽ αὐτȣ*, *gratiarum actionem, pro eo quod nos donis hiſce dignatus ſit*, pluribus exſequebantur, ut inquit Iuſtinus (7). Habet euchariſtia & ſacramenti, & ſacrificii rationem. Eam, quatenus ſacramentum eſt, hoc capite; quatenus vero ſacrificium, in ſequenti contemplabimur.

§. II. Eſt autem euchariſtia *ſacramentum, in quo ſub ſpeciebus panis & vini verum Chriſti corpus & ſanguis continetur, ad ſpirituale fidelium alimentum*. Vere in euchariſtia contineri Dominicum corpus & ſanguinem; inque ea ſubſtantiam panis & vini non manere, ſed *per conſecrationem panis & vini converſionem fieri totius ſubſtantiae panis in ſubſtantiam corporis Domini, & totius ſubſtantiae vini in ſubſtantiam ſanguinis eius*, decreverunt concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. anni MCCXV. (8), & Tridentinum (9). Haec converſio totius ſubſtantiae panis & vini in ſubſtantiam corporis Domini convenienter & proprie ab eccleſia catholica *tranſubſtantiatio*, Graece *μετȣσίωσις*, appellatur: quod vocabulum in laudato concilio Lateranenſi IV., ad catholicam de hac

(1) *Apol. II.* (2) *Lib. VII. contr. Celſ.* (3) *Strom. I. p.* 271. (4) *De coron. milit. cap.* 3. (5) *Ep.* 10. & 11.

(6) *Ad Dionyſ. Areopagit. de caeleſt. hierarch. cap.* 1.

(7) *Cit. Apol. II.* (8) *In cap.* firmiter *ext. de ſumma Trinit. & fide catholic.* (9) *Seſſ.* 13. *cap.* 4.

hac re fidem enucleatius explicandam, conſecratum eſt. Sacroſanctum hoc catholicorum dogma, ex ſacris litteris, conſtantique Graecae Latinaeque eccleſiae doctrina, adverſus haereticorum ſophiſmata, latiſſime adſtruunt theologi, quos conſule. Inſtitutum a Chriſto ſacramentum hoc in poſtrema coena, poſtquam cum Apoſtolis Iudaicum paſcha manducavit, certum exploratumque eſt (*a*).

§.III.

(a) Quo tempore Chriſtus paſcha legale celebraverit, adeoque euchariſtiam inſtituerit, eamque azymo ne, an fermentato confecerit, mira eruditorum diſſenſio. Bernardus Lamius *tract. hiſtorico de veteri Iudeorum paſchate*, Grotius in *Matth. cap. 26. v. 18.*, Toynardus in *Harmonia quatuor Evangelior. p. 151.*, Calmet *diſſ. de noviſſimo paſchate D. N. Ieſu Chriſti*, aliique contendunt, Chriſtum ultimo vitae ſue anno non celebraſſe paſcha legitimum, ſed tantum euchariſtiam inſtituiſſe die 13. in ſecundis veſperis. Hanc ſententiam confutarunt prae ceteris Io. Harduinus *diſſ. de ſupremo Chriſti paſchate*, M. Ant. Cappellus libro *de ſuprema Chriſti coena*, & Paullus Pezron ſingul. diſſ., quam ſuae *Hiſtoriae evangelicae* ſubiecit. Iam Baſilius Poncius *de Agni typici & veri immolationis legitima tempore* adſeverat, Iudaicum paſcha a Chriſto celebratum ineunte luna XIV. Sententiam hanc oppugnarunt non pauci, inter quos Aegidius Strauchius *diſſ. de paſchate primo*, & *diſſ. de tempore πασχατος σταυρωσιμυ*. Porro Pezronius, & Harduinus *citatis locis* putant, paſcha legitimum a Chriſto mactatum luna XIV. non ineunte, ſed exeunte, more Galilaeorum. Nempe diſtinguunt ii duplicem *Neomeniam*, ſeu duplex menſis initium; *ἀπο της συνοδυ*, *a coniunctione*, ſeu congreſſu ſolis & lunae, & *ἀπο της φασεως*, *ab apparitione* prima lunae. Aſſerunt Iudaeos Hieroſolymitanos ſervatis diebus *ἀπο της φασεως*, a prima apparitione lunae, ceteros autem Iudaeos, inter quos Galilaei, ſpectatis diebus lunaribus *ἀπο της συνοδυ*, a congreſſu planetarum, paſcha celebraſſe. Tandem Chriſtum, utpote Galilaeum, poſtremo vitae anno paſcha cum Galilaeis celebraſſe luna XIV. feria quinta; Iudaeos autem Hieroſolymitanos etiam luna XIV;, ſed incidente in feriam ſextam, quando Chiſtus in crucem actus fuit, paſcha peregiſſe. Tu rationum momenta, quibus ſuam quiſque ſententiam tuetur, ſedulo expende, ut, cui praeſtet adſtipulari, habeas,

§. III. Materia euchariſtiae eſt *panis triticeus*, & *vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet*, ut inquit Florentina Synodus (10). Primum de pane agendum. Latini azymo pane, Graeci fermentato conſecrant. Azymo Chriſtus ipſe euchariſtiam confecit; quippe quam inſtituit primo die azymorum, quo nihil fermentati habere domi Iudaeis licebat (*b*). Conſentiunt veteres Graecae Latinaeque ecclesiae patres, Chriſtum paſcha legitimum comediſſe pridie, quam pateretur, eumque in azymo euchariſtiam conſecraſſe. Origenes (11) aſſerit, Chriſtum *more Iudaico* ultimum paſcha celebraſſe. Idem docent Cyrillus Alexandrinus (12), Epiphanius (13), Theodoretus (14), Chryſoſtomus (15), Photius (16), aliique. Ab hac maiorum ſuorum doctrina deſcivit Michaël Cerularius patriarcha CPolitanus an. 1053. (17), qui primus Latinis uſum azymorum exprobravit, contenditque Chriſtum fermento conſecraſſe: quod poſtea Graeculi adſeverarunt. At eos graviter refellerunt Latini, praeſertim Leo IX. (18), & cardinalis Humbertus Silvae Candidae epiſcopus (19).

IV.

(10) *In Inſtruct. Armenor.*
(11) *Tract. 25. in Matth.* (12) *In ſuis paſſim operib.*
(13) *Haereſ. 30. n. 22.* (14) *Quaeſt. 24. in Exod.*
(15) *Hom. 81. & 85. in Matth.*
(16) In *Bibliothec. Cod. 97.* Horum, & aliorum teſtimonia recitant Mabillonius *diſſ. de pane euchariſtico cap. 1.*, & Macedo *diſquiſit. de ritu azymi & fermentati cap. 5.*
(17) *In ep. ad Ioannem Tranenſem in Apulia epiſcopum ſuo & Leonis Acridani nomine ſcripta*, apud Baron. *ad an. 1053. n. 23.* (18) *Ep. 1. ad Cerularium & Leonem Acridanum.*
(19) *In reſponſ. ad Nicetam Pectoratum*. Ext. apud Caniſium *lect. antiq. tom. III. p. 318.*

(b) Vid. Scaliger. *de emendat. tempor. p. 567.* & Buxtorfium *diſſ. philologico theol. p. 296. ſeq.*

§. IV. Num vero Latini ab apoſtolicis temporibus azymo uſi fuerint, mira eruditorum diſcrepantia. Sirmondus (20) putat, Latinos ab eccleſiae cunabulis ad ſaeculum nonum fermento conſecraſſe: tum, fermento abiecto, conſecrare azymo coepiſſe eo tempore, quod inter Photium & Cerularium, hoc eſt ab an. 867. ad 1054., interceſſit. Contra Cardinalis Bona (21) ſuſpicatur, Latinos octo ſaltem vel novem prioribus ſaeculis nullum poſuiſſe diſcrimen inter azymum & fermentatum; ſed pro diverſa locorum & temporum occaſione alterutrum indifferenter obtinuiſſe. Tandem Latinos azymo pane ad euchariſtiam conficiendam ex apoſtolica traditione ſemper uſos, tuentur Franc. Macedo (22), Io. Mabillonius (23), Honoratus a S. Maria (24), Io. Ciampinus (25), Chriſt. Lupus (26), Franc. Florentinus (27), Ant. Sandinus (28), aliique permulti. His ego adſtipulor. Sane cum mos aliquis communiter ſervatur in eccleſia fundata ab Apoſtolis, quorum legitimi ſucceſſores ſerie numquam interrupta *nihil tale docuerunt*, morem illum in ea eccleſia perpetuo viguiſſe, & ex apoſtolica traditione fluxiſſe, credendum eſt, ut Irenaeus (29) tradit. Cum autem ſcriptores, qui ante an.867. claruerunt, quorum teſtimonia mox afferemus, adfirment, Roma-

(20) *In diſquiſit. de azymo, tom. IV. Oper. p.* 354. *ſeq.*
(21) *Lib.* 1. *rer. liturgic. cap.* 23.
(22) *In diſquiſit. theologica de ritu azymi & fermentati.*
(23) *In diſſ. de pane euchariſtico azymo & fermentato.*
(24) *Reflexions ſur les regles & ſur l'uſage de la critique tom.* II. *lib.* IV. *diſſ.* 4. (25) *In coniecturis de perpetuo azymorum uſu in eccleſia Latina.* (26) *Diſſ. de Actis S. Leonis* IX. *cap.* 5. (27) *In diſquiſit. de antiquo uſu fermentati panis & azymi.* (28) *Diſput. X., quae eſt* de azymo Latinorum.
(29) *Lib.* III. *adv. haereſ. cap.* 3.

nam eccleſiam tunc temporis panem azymum ex apoſtolica traditione conſecraſſe, nec deſignari queat pontifex, qui morem huiuſmodi induxerit, nec legitima Romanorum epiſcoporum ſucceſsio umquam deſierit; profecto azymi conſecrandi uſus a Romana eccleſia religioſiſsime ſervatus ab Apoſtolis fluxit. A Romana autem ad ceteras Occidentis eccleſias azymi conſecrandi mos manavit; *cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, inſulaſque interiacentes nullum inſtituiſſe eccleſias, niſi eos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerint ſacerdotes*, uti loquitur Innocentius I. [30]: quos id ubique de euchariſtiae conſecrandae materia docuiſſe credendum eſt, quod Romana eccleſia obſervare conſueverat. Acceptum ab Apoſtolis azymi uſum in Latina eccleſia perpetuo viguiſſe, diuque receptum ante Photianum ſchiſma, hoc eſt an. 867. (poſt quem annum Latinos azymis uti coepiſſe, adverſarii contendunt) conſtat ex Alcuino [31], qui an. 804. obiit: *Panis*, inquit, *qui in Chriſti corpus conſecratur, abſque fermento ullius alterius infectionis debet eſſe mundiſſimus ... ex aqua, & farina panis ſit, qui conſecratur in corpus Chriſti*. Hoc idem adfirmat Rabanus Maurus [32], qui an. 856. deceſsit: *Panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſanctificari oportet*. Et rurſus [33]: *Iſtum ergo ordinem ab Apoſtolis & apoſtolicis viris traditum Romana tenet eccleſia, & per totum paene Occidentem omnes eccleſiae eamdem traditionem ſervant*. His adde Leonem

(30) *Ep. 1. ad Decent.* (31) *Ep. 69. ad Lugdunenſ.*
(32) *De inſtit. clericor. cap. 31.*
(33) *Ibid. cap. 33.*

nem IX. (34), quo pontificatum gerente, Michaël Cerularius debacchari in Latinos coepit, eoſque praeſertim de uſu azymorum obiurgare: *Ecce iam poſt mille ac ferme viginti a paſſione Salvatoris noſtri annos incipit per vos diſcere Romana eccleſia, qualiter memoria paſſionis ſit recolenda, quaſi nihil ei contulerit praeſentia, converſatio, diuturna inſtitutio, & mors Petri:* tum Graecos, ut reſipiſcant, hortatur, neve Latinos *Petri diſcipulos, inſtitutionis eius devotiores ſectatores*, laceſſere pergant. Cum Leone IX. ſentit Humbertus Silvae Candidae epiſcopus (35), qui *Romanam eccleſiam ad haec moderna tempora, ſicut ab Apoſtolis accepit, azymum fideliter retinuiſſe*, ait. Neque regeras, binos hos ſcriptores eſſe recentiores, quam ut in re adeo incerta & difficili quidquam auctoritatis habere queant. Recentiores enim ſunt, ſi cum temporibus Apoſtolorum conferantur, non ſi ſaeculum decimum ſpectes, quo potiſſimum azyma invaluiſſe, adverſarii putant. Sed & illud Latinos azymo ſemper uſos confirmat, quod ſi perpetuus in Occidente azymorum uſus non fuiſſet, & Latini ad ſaeculum VIII., ut adverſarii putant, fermentato conſecraſſent, Michaël Cerularius, qui primus Latinos perſtrinxit, quod pane azymo, minime apta, ut aiebat, materia uterentur, illud multo acrius obieciſſet, quae auſi eſſent in locum fermentati, cuius erat antea uſus communis, azymum panem ſubſtituere, & per ſummam inconſtantiam ac ſcelus euchariſtiae materiam immutare. Iam ex veteri eccleſiae diſciplina pa-

(34) *Ep. 1. ad Cerularium & Leonem Acridanum cap. 5. & 20., & ep. 6. ad Michaël. Cerular.* (35) *In cit. Reſponſ. ad Nicetam Pectoratum*, apud Caniſium *Lect. antiq. tom.* III. *p.* 318.

panis azymus in euchariſtia conſecrandus eſſe figura rotundus & exilis debet: qua de re plura Mabillonius (36), Martenius (37), & Bona (38) congerunt.

§. V. Quod ſpectat ad Graecos, hos ab eccleſiae initiis ad haec tempora ſemper fermentato conſecraſſe, putant Mabillonius (39), Bona (40), Calmet (41), aliique. Sed Graecos uſque ad ſaeculum VII. azymum adhibuiſſe: tum ſpatio quinquaginta annorum, qui a medio ſaeculo VI. ad ſeptimi initium excurrunt, abiectis azymis, conſecrare fermentato coepiſſe, haud contemnendis coniecturis adſtruit Sandinus (42). Ex dictis habes, Latinos azymo, Graecos fermentato uti. Pane triticeo, ſive azymus ſit, ſive fermentatus, rite conficitur euchariſtia, cum uterque re ipſa non differant, uti definivit Florentina ſynodus (43). Sed propria eccleſiae conſuetudo ſervanda eſt; ita ut nec Graecis apud Latinos verſantibus, azymum, nec Latinis apud Graecos agentibus fermentatum liceat adhibere ſub poenis perpetuae ſuſpenſionis a divinis, uti noviſſime ſancivit Benedictus XIV. (44).

§. VI. Altera euchariſticae materiae pars eſt vinum ex uvis expreſſum. Naturali hoc vulgarique vino ex Chriſti inſtitutione conſecrandum eſt; is enim in ſuprema coena vinum illud conſecravit, quod γεννημα της ἀμπελȣ, *genimen vitis*, adpellat Matthaeus (45). Ex apoſtolica traditione, perpetuoque utriuſ-

(36) *Praef.* 1. *in ſaec.* 3. *Benedict.* (37) *De antiq. eccleſ. ritib. lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 7. (38) *Lib.* 1. *rer. liturg. cap.* 23. §. 18. *ſeq.*
(39) *Cit. diſſ. de pane euchariſt. cap.* 3. (40) *Lib.* 1. *rer. liturg. cap.* 23. §. 7. (41) *Diſſ. de noviſſimo paſchate Chriſti.*
(42) *Diſput.* 11. quae eſt *de azymo Graecorum.* (43) *In Inſtruct. Armenor.* (44) *Conſt. ſuper ritib. Graecor.* §. 6. *n.* 10.
(45) *Cap.* 26. *v.* 29.

utriuſque eccleſiae uſu, vino conſecrando aqua miſcetur. Huius admixtionis vetuſtiſſimi eccleſiae patres meminere. E Graecis Iuſtinus (46) de oblationibus, e quibus euchariſtia conſecrabatur, ait: *Deinde ei, qui fratribus praeeſt, offertur* (ἁρτος και ποτηριον ὑδατος και κραματος) *panis, & poculum aquae & vini.* Irenaeus (47): *Quando ergo* (και το κεκραμενο ποτηριον, και ὁ γεγονως ἁρτος) *& mixtus calix, & fractus panis, percipit verbum Dei, & fit euchariſtia.* E Latinis mos aquae vino admiſcendae, *Dominica traditio* ac *evangelica & apoſtolica diſciplina* dicitur Cypriano (48). Quin Graeci ante conſecrationem frigidam, paullo poſt conſecrationem calidam vino aquam admiſcent ex pervetuſta conſuetudine, cuius Gregorius Nyſſenus (49), Theodoretus (50), Damaſcenus (51), aliique meminerunt. Nullo autem divino, ſed vetuſtiſsimo eccleſiae praecepto vinum aqua temperandum eſt. Hinc Cyprianus (52) ſcribit, eſſe *ſanguinem Chriſti*, ſi vinum ſine aqua conſecratum ſit. Ceterum vino ante conſecrationem *paullulum aquae* admiſcendum, ita ut multo maior ſit vini quantitas. Quare Honorius III. (53) contrarium conſuetudini univerſalis eccleſiae adpellat abuſum quorumdam Septentrionalium, qui ob vini inopiam, calici *maiorem aquae, quam vini quantitatem infundebant*. Huius praecepti cum multae ſunt rationes, tum haec praecipue, quod vino Chriſtus, aqua fidelis populus ei adhaerens exhibetur, uti Cyprianus (54) ait: decet autem mul-

(46) *Apol. 2.* (47) *Lib. V. adv. haereſ. cap. 2. n. 3.*
(48) *Ep.63. ad Caecilium.* (49) *In orat. catechetica cap.37.*
(50) *Dialogo 1.* (51) *Lib. 4. de fide orthod. cap. 14.*
(52) *Cit. ep. 63.* (53) *Ep. ad Archiepiſcopum Vpſalenſem.*
(54) *Cit. ep. 63.*

to apertius Chriſtum referri, quam populum.

§. VII. Forma, qua conſecratur panis, eſt: *Hoc eſt corpus meum:* forma vero, qua vinum conſecratur, eſt haec: *Hic eſt calix ſanguinis mei, novi & aeterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* His verbis euchariſtiam a Chriſto in poſtrema coena conſecratam, Graeci patres tradunt, nominatim Iuſtinus (55), Irenaeus (56), Gregorius Nyſſenus (57), Chryſoſtomus (58), Damaſcenus (59), itemque Latini Tertullianus (60), Ambroſius (61), aliique (c). Num in forma, qua vinum conſecratur, priora tantum verba, *hic eſt calix ſanguinis mei*, an ea etiam, quae ſequuntur, ad vim ſacramenti ſpectent, vetus eſt theologorum quaeſtio. Et priora dumtaxat adſcri-

(55) *Apol.* 2. (56) *Lib.* IV. *adv. haereſ. cap.* 17. *n.* 5., & *lib.* V. *cap.* 2. *n.* 3. *edit. Maſſuet.*

(57) *In orat.catech. cap.*37. (58) *Hom.*2.*in epiſt.*2.*ad Timoth.*

(59) *Lib.* XIV. *de fide orthod. cap.* 15. (60) *Lib.* IV. *contr. Marcion. cap.* 40. (61) *De myſteriis cap.* 9. *n.* 52. & 54.

(c) Innocentius III. *lib.* II. *de myſt. Miſſae cap.* 6. docet, Chriſtum ſine ulla verborum forma, per internum divinae voluntatis actum euchariſtiam conſecraſſe; tum, conſecrata iam euchariſtia, formam conſecrationis praeſcripſiſſe, quam adhiberent ſacerdotes: *Sane*, inquit, *dici poteſt, quod Chriſtus divina virtute confecit, & poſtea formam expreſſit, ſub qua poſteri benedicerent. Ipſe namque per ſe virtute propria benedixit: nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis.* Innocentium ſequuntur Catharinus, Mayronius, Durandus, aliique theologi. Verum Chriſtum in conficienda euchariſtia verbis, *hoc eſt corpus meum*, itemque iis, *hic eſt calix ſanguinis mei*, uſum fuiſſe, patrum teſtimoniis docemur. In privatis Tridentinae ſynodi conventibus nonnulli contenderunt, ut id tamquam fidei dogma a Synodo declararetur: at alii nullam Innocentii ſententiae notam inurendam aiebant: remque hanc in medio patres reliquerunt.

ſcripta verba, non item conſequentia, ad ἐπίαν conſecrationis pertinent. Ea enim perfectam orationem, ſenſumque determinatum continent. Iis tantum verbis Chriſti ſanguinem confici, tradunt laudati patres. Nec omnia, quae a nobis recitantur, verba proſtant in Graecorum liturgiis, praeſertim τα *novi & aeterni teſtamenti* (*d*). Preces nonnullas in euchariſtia conficienda adhibet eccleſia, quae tamen ad eius vim non pertinent (*e*). Ceterum ſatius eſt ſubmiſſa, quam elata voce conſecrationis verba proferre, ad conciliandam ſacris reverentiam, quamvis varia de hac re fuerit eccleſiarum diſciplina (*f*).

§. VIII. Ordinarius euchariſtiae iam confectae diſpen-

F 4

(d) Vid. Marten. *de antiq. eccleſ. ritib. lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 8. *n.* 19., ubi varias conſecrationis formulas collegit.

(e) Nicolaus Cabaſilas in *Expoſit. liturg. cap.* 27. *ſeqq.*, Marcus Epheſinus *ſingulari opuſc.*, aliique Graeci contendunt, euchariſtiam non ſolis verbis Dominicis, ſed & precibus, quae antea, vel poſtea a Sacerdote recitantur, conſecrari. Hanc ſententiam ſtrenue profligarunt Card. Beſſarion *opuſc. de euchariſt.*, Allatius *lib.* 3. *de conſenſ. Occid. & Orient. eccleſ. cap.* 15., & Arcudius *lib.* 3. *Concordiae a cap.* 26. *ad* 37. Eamdem excitavit ſuperioribus retro temporibus Ant. Auguſtinus Touttee *diſſ.* 3. praemiſſa Operib. S. Cyrilli, qua propugnat, conſecrationis formam conſiſtere non ſolum in verbis Chriſti, verum etiam in precibus ab eccleſia inſtitutis; ita ut eſſentialis euchariſtiae forma componatur ex duplici hac partiali & adaequata forma, nempe verbis Chriſti, & precibus eccleſiae. Ad Touttei partes acceſſit Petrus Le Brun *tom.* III. *explication. caeremoniar. eccleſ. p.* 212. *ſeqq.* Sed Toutteum refellit Card. Vrſius *diſſ. de invocatione Spiritus ſancti in liturgiis Graecorum & Orientalium p.* 108. Contra le Brunium vero ſcripſit Bougeantius, cui tamen peculiari edito libro Le Brunius reſpondit.

(f) Conf. Card. Bona *lib.* II. *rer. liturgic. cap.* 13. Menardum *not.* 1036. *in Sacram. Gregor. M.* Habert *in* Ἀρχιερατ *Graecor. p.* 147. & Voſſium *de ſacris coenae Dominicae ſymbolis diſput.* 2. *theſi* 3.

ſpenſandae miniſter eſt ſolus epiſcopus, & presbyter (g). Hos enim *miniſtros Chriſti*, *&* *diſpenſatores myſteriorum Dei*, hoc eſt, ſacramentorum, praeſertim euchariſtiae, adpellat Paullus (62). Quod vero ſoli epiſcopi & parochi vi curae animarum ſibi ordinario iure competentis copiam habent adminiſtrandi ſacramenta, uti Tridentinum (63) declarat, non omnibus presbyteris, ſed *propriis* tantum, ſeu parochis ordinarium ius eſt euchariſtiam & alia ſacramenta paroecianis ſuis adminiſtrandi. Hinc *Religioſi, qui clericis, aut laicis ſacramentum euchariſtiae miniſtrare, non habita ſuper his parochialis presbyteri licentia ſpeciali, praeſumſerint, excommunicationis incurrunt ſententiam ipſo facto, per ſedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendi*, uti cavit Clemens V. (64). Sed poſtquam in eccleſiis monachorum, aliiſque ſacellis miſſae publicae, quibus nempe intereſſe populo licet, celebrari coeperunt, conſuetudo invaluit, ut vel ſine ſpeciali parochorum venia Religioſi, & presbyteri omnes euchariſtiam conferrent, quae quodammodo ſacrificii pars eſt; ſicque ad ſolam paſchalem communionem & viaticum ius parochorum redactum eſt. Extraordinarius autem euchariſtiae miniſter eſt diaconus. Hic in Oriente euchariſtiam diſpenſavit, ut ex Iuſtino (65), Concilio Nicaeno (66), Pſeudo-Clemente (67), aliiſque, & quidem ut miniſter ſacerdotum. In Occidente panem euchariſticum diſtribuit urgente neceſſitate, & abſente, vel iubente presbytero, ut habes ex concilio Carthagini-

nienſi

(62) 1. *ad Corinth.* 4. (63) *Seſſ.* 24. *de ref. cap.* 13.
(64) *Clement.* 2. *de privilegiis*. (65) *Apol.* 2.
(66) *Can.* 18. (67) *Lib. VIII. conſt. apoſt. cap.* 28.

(g) De euchariſtiae conſecrandae miniſtro dicam *cap. ſeq.*

nienſi IV. (68), & Arelatenſi I. (69); calicem vero in omnibus eccleſiis frequentius miniſtravit. Hic calicis euchariſtici per diaconos diſtribuendi mos deſiit quo tempore communio laicorum ſub utraque ſpecie defecit, nempe circa ſaeculum XII., & XIII. Nonnumquam, neceſſitate urgente, euchariſtiam per minores clericos adminiſtratam, liquet ex Euſebio (70), & hiſtoria S. Tharſitii (71). Quin graſſantibus perſecutionum procellis ipſi laici euchariſticum panem in domos ſuas deferebant, eoque ſingulis diebus clam ſumto, ſe adverſus tyrannos inſtruebant, teſte Tertulliano (72).

§.IX. Suſcipientes euchariſtiam ſunt chriſtiani cum adulti, tum infantes. Olim in Oriente ac Occidente euchariſtiam infantibus ſtatim poſt baptiſmum & confirmationem adminiſtratam, conſtat ex Auctore conſtitutionum apoſtolicarum (73), Pſeudo-Dionyſio (74), itemque Cypriano (75), Auguſtino (76), Gregorio M. (77), ceteriſque (*h*). In Occidente ſaeculo XII. infantium communio deſueſcere coepit, uti colligitur ex Hugone Victorino (78), & Guiberto Abbate (79), qui hac tempeſtate claruerunt. Sed ſequente ſaeculo XIII. penitus defecit, teſte B. Tho-

(68) *Can.* 38. (69) *Can.* 15. (70) *Lib. VI. hiſt. eccleſ. cap.* 44. (71) Vid. Martyrologium Bedae. (72) *Lib. II. ad uxor. cap.* 5. (73) *Lib. VIII. cap.* 12. (74) *De eccleſ. hierarch. cap.*5. (75) *Lib. de lapſis.* (76) *Lib. I. de peccat. merit. cap.*20., aliiſque locis. (77) *In Sacrament. tit. de ſabbato ſancto.* (78) *Lib. I. de Sacram. cap.* 20.
(79) *Lib. I. de pignoribus ſanctor. cap.* 2. §. 1.

(h) Vide prae ceteris Martene *de antiq. eccleſ. ritib. lib. I. cap.* 1. *art.* 15., Petr. Zornium *in hiſtoria euchariſtiae infantium*, & Io. Frid. Mayer in *comment. hiſtorico theologic. de euchariſtia infantibus etiam data*.

Thoma (80). In Oriente autem vetuſtiſſimus euchariſtiae infantibus praebendae mos ſtat adhuc, ut Arcudius (81) tradit. Illud ſemper ratum habuit eccleſia, infantibus, ut & adultis, euchariſtiam non ita ad ſalutem neceſſariam eſſe, ut ſine ea conſequi ſalutem nequeant. Sane parvuli rationis uſu carentes nulla euchariſtiae percipiendae neceſſitate urgentur, quia *per baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati adeptam iam filiorum gratiam in illa aetate amittere non poſſunt;* Patres vero, qui etiam parvulis euchariſtiam dedere, *ſui facti probabilem cauſſam, pro illius temporis ratione, habuerunt*, idque *nulla ſalutis neceſſitate fecerunt*, uti ſcite pronuntiat Tridentina Synodus (82) (*i*). Adulti autem eccleſiaſtico praecepto ad ſacramenralem communionem obſtringuntur ſemel ſaltem in anno tempore paſchatis, uti cavit concilium Lateranenſe IV.: qua de re infra.

§. X. Ab eccleſiae primordiis ad ſaeculum XII. fideles etiam laici in publicis coetibus ſub utraque ſpecie communicarunt: quod ex Paullo (83), Iuſtino (84), Cypriano (85), Leone M. (86), aliiſque

(80) *III. part. quaeſt.* 80. *art.*9. *ad* 3. (81) *Lib. III. de Sacram. euchariſt. cap.*2. (82) *Seſſ.* 21. *de communione cap.*4. (83) *I. ad Corinth. cap.* 11: (84) *Apol.* 2. (85) *Lib. de lapſis*. (86) *Serm.* 4. *in quadrageſ.*

(i) Euchariſtiam infantibus ad ſalutem neceſſariam eſſe, videtur adfirmare Auguſtinus *lib. I. de peccat. merit. & remiſſ. cap.* 20., aliiſque locis, dum adverſus Pelagianos docet, parvulos vita aeterna excludi, *niſi manducaverint carnem filii hominis*. Auguſtino conſonant Innocentius I. *ep. ad Concil. Milevit.*, & Gelaſius *ep. ad epiſcopos per Picenum*. At Auguſtinum non de *ſacramentalis*, ſed *myſticae* communionis neceſſitate, ſeu *incorporatione* eccleſiae, extra quam haberi ſalus nequit., recte interpretantur Noriſius *Vindic. Auguſtin. cap.*3., & Bona *lib.* 2. *rer. liturgic. cap.* 19.

que compertiſſimum eſt (*k*). Haee diſciplina etiamnum apud Graecos viget; apud Latinos adhuc ſaeculo XIII. non ubique defecerat, teſte B. Thoma (87). Nullo autem *divino praecepto*, *vel neceſſitate ſalutis* laici, & clerici non ſacrificantes communicare ſub utraque ſpecie compelluntur; nam *ſub una tantum ſpecie totus & integer Chriſtus continetur*, adeoque *tantumdem ſub alterutra*, *ac ſub utraque* accipitur, uti pronuntiat Tridentinum (88). Profecto Paullus (89) disiunctive ait: *Quicumque manducaverit panem hunc*, *vel biberit calicem Domini &c.*: quibus verbis alterutram ſpeciem ſumi poſſe ſignificat. Communione unius tantum ſpeciei aeternam vitam conferri, habes ex Ioanne (90): *Si quis manducaverit ex hoc pane*, *vivet in aeternum*. Hanc eccleſiae ſententiam conſtanter inſediſſe, conſtat ex eo, quod quamvis frequentiſſime euchariſtiam ſub utraque ſpecie in publicis ſynaxibus adminiſtraverit, ſaepe tamen ſub una tantum porrexit. Vetuſtiſſimos chriſtianos ſub ſola panis ſpecie intra domeſticos parietes communicaſſe, colligitur ex Tertulliano (91), qui ſolum conſecratum panem domi ſervatum memorat. In publicis quoque conventibus diu Occidentales ſub ſola panis ſpecie communicaſſe die Paraſceves, habes ex Ordine Romano. Eodem modo ut plurimum communicabant aegroti: ut Ambroſium in exitu vitae communicaſſe, prodit

(87) *III. part. quaeſt.* 86. *art.* 12. (88) *Cit. ſeſſ.* 21. *can.* 1. 2. & 3. (89) *Cit. ep.* 1. *ad Corinth. cap.* 11. *v.* 27. Vid. Eſtium *comment. in epiſt. Paulli tom.* 1. *p.* 325.
(90) *Cap.* 6. *v.* 52. & 59. (91) *Lib. II. ad uxor.*

(k) Vide de hac re Mabillon. *praef.* 1. *in ſaec. III. Benedict.* & Boſſuet. *de communione ſub utraque ſpecie*.

dit Paullinus (92). Idem conſtat ex veteri ſervandae pro infirmorum viatico euchariſtiae diſciplina (*l*); ſolus enim panis ſervabatur, non vinum, quod facile corrumpitur: unde de pane tantum ſervando canones loquuntur, calicis nuſpiam meminerunt. Parvulis ſolum Chriſti ſanguinem *digito ſacerdotis intinſto* datum, teſtatur Hugo Victorinus (93). In Oriente quoque nonnumquam euchariſtia ſub unica ſpecie adminiſtrata eſt. Aegri ſolo pane euchariſtico interdum communicabant. Ita porrectam Serapioni animam iam agenti exiguam panis particulam *aqua intinctam*, refert Euſebius (94). In perſecutione euchariſtiam domi ſumtam ab unoquoque, procul dubio ſub ſpecie panis, ſcribit Baſilius (95). In miſſa *praeſanctificatorum* Graeci ſolam panis ſpeciem abſumunt. Infantibus recens baptizatis ſolum *Chriſti ſanguinem* datum, inquit Iobius (96).

§. XI. Euchariſtia ab omnino ieiunis ſumenda eſt. Nullum quidem in ſacris litteris extat divinum praeceptum, ut fideles non niſi ieiuni communicent: quin Chriſtum Apoſtolis iam coenatis corpus & ſanguinem ſuum dediſſe, produnt Evangeliſtae. Cum vero ita ferat univerſae eccleſiae conſue-

(92) *In vita Ambroſii*. (93) *Lib. I. de Sacram. cap.* 20. (94) *Lib. VI. hiſt. eccleſ. cap.* 44. (95) *Ep.* 289. *ad Caeſariam Patriciam*. (96) *Lib. III. de Verbi incarnat. cap.* 18.

(l) Euchariſtia pro infirmorum viatico vel capſula incluſa ſervabatur in Secretario, aut altari; vel vaſculo in turris, vel columbae ſpeciem elaborato, pone maius altare ad ſummum templi parietem ſuſpenſo, non ſuppoſita ara. De his euchariſtiae conditoriis vide Mabillon. *comment. ad Ordin. Roman. p.* 134., Steph. Durantum *lib. I. de ritib. eccleſ. cap.* 16., Roſweid. *not. ad Paulin. ep.* 12., & Marten. *lib. I. de antiq. eccleſ. ritib. cap.* 5. *art.* 3.

ſuetudo, cuius initium ignoratur, ab apoſtolica traditione repetenda eſt ex probatiſſima Auguſtini (97) regula. Paullus (98) de iis agens, qui euchariſtiam profanis cibis admiſcebant, inquit, *cetera, quum venero, diſponam*: unde primum ab Apoſtolis legem de hoc ieiunio perlatam colligit Auguſtinus (99), *ut in honorem tanti ſacramenti in os chriſtianorum prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi.* Huius traditionis teſtem habemus vetuſtiſſimum ſcriptorem Tertullianum, qui euchariſtiam *ante omnem cibum* (100), itemque *antelucanis coetibus* (101), ſumi ait. Idem habent Cyprianus (102), Baſilius (103), Chryſoſtomus (104), ceterique patres. Nec vero contrarium Chriſti factum Apoſtolos movit; non enim quidquid Servator egit, id eo conſilio egiſſe dicendum eſt, ut pro praecepto haberetur: alioquin & ſemel, & in paſcha tantum, & poſt coenam legitimam euchariſtia confici ac ſumi deberet; quandoquidem eo tempore a Chriſto inſtituta & Apoſtolis tradita eſt: baptiſmus etiam differendus eſſet ad trigeſimum aetatis annum, quo illum Dominus accepit. Multa quidem Servator fecit ſecundum temporum & locorum rationes, quorum ut aequius melius conſtituendorum poteſtatem Apoſtolis & ſucceſſoribus conceſſit; quod argumentum pertractant Cyprianus (105), & Auguſtinus (106). Verum ab univerſali hac eccleſiae conſuetudine quandoque deſcitum. In quibuſdam Aegypti urbibus ſabbato fideles

(97) *Ep.* 118. *ad Ianuar.* (98) *I. ad Corinth. II. v.* 34.
(99) *Cit. loc.* (100) *Lib. II. ad uxor. cap.* 5.
(101) *De coron. milit. cap.* 3. (102) *Ep.* 63. *ad Caecilium.*
(103) *Hom.* 1. *de ieiunio.* (104) *Hom.* 27. *in* 1. *ad Corinth.*, & *hom.* 9. *ad popul. Antiochen.*
(105) *Cit. ep.* 63. (106) *Cit. ep.* 118.

les conveniſſe ſub veſperam contra communem morem, & poſt epulum euchariſtiam percepiſſe, teſtatur Sozomenus (107): *Apud Aegyptios in multis urbibus & pagis*, *παρα το κοινη πασι νενομισμενον*, *praeter communem conſuetudinem*, *ſub veſperam ſabbati convenientes*, *pranſi iam myſteriorum participes fiunt*. Idem de Aegyptiis refert Sedulius (108): *In quibuſdam locis*, inquit, *per Aegypti vel Syriae loca*, *die ſabbati nocte poſt coenam dicitur ad eccleſiam convenire;* idque *de gentili adhuc ſuperſtitione venire*, ait. Concilium Carthaginienſe III. (109) ſanxit, *ut ſacramenta altaris non niſi a ieiunis hominibus celebrarentur*. Excipit tamen *unum diem in anno*, *quo coena Domini celebratur*. Eo quippe die a coenatis ſumebatur ſecundum inſtitutionem Chriſti: quod relaxato iure communi a patribus Carthaginienſibus factum, inquit Concilium Trullanum (110), cuius haec ſunt verba: *Tunc fortaſſe propter aliquas in iis locis occaſiones eccleſiae utiles ſanctis illis patribus hac occaſione uſis*. Hunc morem euchariſtiae poſt coenam ſumendae feria quinta maioris hebdomadae in memoriam coenae Dominicae adhuc aevo ſuo in quibuſdam Africanis eccleſiis perſeveraſſe, ſcribit Auguſtinus (111). Quin primitivi chriſtiani nonnumquam poſt agapas euchariſtiam ſumſerunt (*m*). In-

fan-

(107) *Lib.VII. hiſt.eccleſ. cap.*19. (108) *Collectaneis in* 1. *ad Corinth. cap.*11. (109) *Can.*41. (110) *Can.*29. (111) *Cit. loc.*

(m) Inde ab Apoſtolorum temporibus agapae cum euchariſtiae celebratione fuerunt coniunctae: quod ex *Act.* II. 46. & II. 1. *Cor.* XI. 21. collato cum *v.* 20. colligitur. Hinc Ignatius *ep. ad Smyrnaeos*, *ἀγαπην ποιειν* adpellat *euchariſtiam celebrare*. Hinc forte factum, ut Thyeſtaeas coenas, in quibus immolati parvuli ederentur, chriſtianis ethnici obiecerint. Erant *ἀγαπαι* ſobrium convivium, a chriſtianis in eccleſia

com-

fantibus, quos matrum ubera paullo ante lactaverant, olim eucharistiam statim post baptiſmum datam,

communiter celebrari ſolitum cum eucharistia. Institutae autem fuerunt, tum ut per eas foveretur mutua inter fideles dilectio, ſeu caritas, unde *ἀγάπαι*, hoc eſt, *caritates* metonymice adpellatae ſunt; tum potiſſimum inopum refocillandorum gratia. Eiuſmodi agaparum meminere Paullus *I. ad Corinth. XI. v.* 21., Tertullianus *Apologetic. cap.* 39., Cyprianus *lib. III. contr. Quirinum cap.* 3., Plinius *lib. X. ep.* 97., aliique. Quum autem abuſus irrepſiſſent in agapas divitum ambitione, ac multitudinis inſolentia, eas in eccleſiis celebrari vetuerunt Synodus Laodicena *can.* 28., Carthaginienſis III. *can.* 43., & Trullana *can.* 74. Sed canones horum conciliorum, utpote localium, non ubique recepti ſunt. Aevo Chryſoſtomi & Auguſtini eiuſmodi convivia adhuc in eccleſiis celebrata, liquet ex illius *hom.* 27. *in ep. ad Corinth. cap.* 2.; & huius *lib. XX. contr. Fauſt. cap.*20. Agapis ob varios abuſus ſublatis, remanſit nomen in uſu eccleſiaſtico, ut convivia, quae pauperibus & hoſpitibus reficiendis inſtruuntur, *ἀγάπαι* & *caritates* dicerentur, & a Dominica coena ſepararentur, quam in eccleſia tantum adminiſtrari fas erat. Priſcae autem conſuetudinis veſtigia etiamnum Graeci obſervare dicuntur, qui die paſchatis poſt euchariſtiam, allatis in eccleſiam epulis, communiter convivantur. Num vero eiuſmodi agapae ante, an poſt euchariſtiam primis temporibus celebrari conſueverint, diſſentiunt docti. Salmaſius *Apparat. ad libros de primatu papae*, Suicerus *theſ. eccleſ. v. ἀγάπη p.* 23. *tom.* 1., aliique; agapas ante euchariſtiam habitas putant. Contra eas poſt euchariſtiam celebratas, tuentur Albaſpinaeus *lib.* 1. *obſ.* 18., & Stuckius *Antiq. conviv. lib.*1. *cap.* 1. *&* 33. In utramque ſententiam iactatur locus Paulli 1. *ad Corinth. cap.* 11., unde Corinthios prius coenaſſe, deinde euchariſtiam in iis conviviis ſumſiſſe, prioris ſententiae patroni colligunt: contra Corinthios agapas poſt coenam Dominicam celebraſſe, ex eodem loco ſtatuunt alii. Id quidem veteribus viſum, nominatim Chryſoſtomo *hom.* 27. *in* 1. *ad Corinth.*, & *hom.* 54., Theodoreto, Theophilacto, & Oecumenio in *cit. Paulli loc.*, ac Zonarae *ad can.* 74. *Trullan.* De agapis veterum chriſtianorum videndi etiam Io. Fronto *ep. de philotheſiis veterum*, Murator. *diſſ.*2. *in Anecdot. Graec.*, Iuſtell. *in can.XI. Laodic.* Beveteg. *in can.* 74. *Trullan.* Coteler. *ad Conſt. Apoſt. II.* 28. & interpretes epiſtolae Iudae v. 12.

tam, conſtat ex Gregorio M. (112), Ordine Romano I. (113) & Ordine XV. eccleſiae Apamienſis (114). Quandoque a priſcis eremitis iam pranſis ſacrificium oblatum, refert S. Bernardus (115): quod piae ipſorum ſimplicitati tribuendum. Tandem Concilium Conſtantienſe (116) *in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis a iure vel eccleſia conceſſo, vel admiſſo*, ieiunium remittit.

§.XII. Primitivi chriſtiani quotidie, ſaltem frequentiſſime, communicabant; eos enim fuiſſe προσκαρτερȣντες τῃ κοινωνια, και τῃ κλασει τȣ ἀρτȣ, *perſeverantes in communione, & fractione panis*, narrat Lucas (117). Per κοινωνιαν heic intelligendam *eucharistiae participationem*, antecedentia & conſequentia ἀναντιῤῥητως evincunt; de ea enim agit. Per κλασιν τȣ ἀρτȣ *eucharistia* ſignificatur. Hinc Syrus interpres verba illa τῃ κλασει τȣ ἀρτȣ vertit, *in fractione eucharistiae*. Ita etiam intellexerunt Chryſoſtomus (118), aliique. Omnes, qui ſacris myſteriis intererant, communicare oportebat, ut ex Iuſtino (119), & Pſeudo-Clemente (120) conſtat. Quin ſaevientibus perſecutionibus fideles euchariſticum panem domi ſuae adſervatum quotidie ſumebant, teſte Tertulliano (121). Primum quidem dum fideles & numero pauciores erant, & caritate fervidiores, euchariſtiam quotidie accipiebant. Quotidianam communionem ſuadent Cyprianus (122),

Am-

(112) *In Sacramentario p. 73.*, in quod v. Menardi notas.
(113) Apud Mabillon. *tom. II. Muſei Italic. p. 28. n. 46.*
(114) Apud Marten. *de antiq. eccleſ. ritib. lib. 1. cap. 1. art. 18.*
(115) *De paſſion. Domini cap. 42.* (116) *Seſſ. 13.*
(117) *Act. 2. 42.* (118) *Hom. 27. in 1. ad Corinth.*
(119) *Apol. 2.* (120) *Lib. VIII. conſt. apoſtol. cap. 20.*
(121) *Lib. II. ad uxor. cap. 5.* (122) *De orat. Dominica.*

Ambroſius (123), Auguſtinus (124), Baſilius (125), Chryſoſtomus (126), aliique. Sed vel primis temporibus hac in re variarunt eccleſiae. In pleriſque eccleſiis euchariſtia quotidie accipiebatur, ut Romae ſuo etiam aevo fieri, teſtatur Hieronymus (127): in aliis vel bis in hebdomada, puta ſabbato, & dominica, ut innuit Auguſtinus (128): vel ter, nempe feria prima, quarta, & ſexta, ut Epiphanius (129) tradit: vel quater, ab iis ſcilicet, qui ſabbati diem tribus iſtis adiungerent, uti feciſſe aliquos teſtatur Baſilius (130). Quibuſdam in locis Dominico tantum die communicatum, indicat Auguſtinus (131). Poſtea deferveſcente fidelium caritate, Synodus Agathenſis an. 506. (132) neceſſitatem laicis impoſuit communicandi in *natali Domini*, *paſcha*, & *pentecoſte*. Tandem caritatis ſtudio fere collapſo concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. an. 1215. habitum (133) iuſſit, chriſtianos omnes, cum ad annos diſcretionis pervenerint, ſacramentali praemiſſa confeſſione quotannis euchariſtiam ſumere *ad minus in paſcha*; ſecus vivi eccleſiae ingreſſu, mortui chriſtiana ſepultura excludantur: qua de re dicam infra cap. VI. Idem confirmat Tridentina Synodus (134), quae praeterea fideles ad frequentem communionem hortatur (*n*).

§.XIII.

(123) *Lib. V. de Sacram. cap.* 4. (124) *Cit. ep.* 118., & *tract.* 26. *in Ioan.* (125) *Cit. ep. ad Caeſariam.*
(126) *Hom.* 27. *in ep. ad Hebraeos.*
(127) *Ep.* 5. *ad Pammach.* (128) *Cit. ep.* 118.
(129) *In doctrina compendiaria de Fide p.* 465. *ſeq.*
(130) *Cit. loc.* (131) *Cit. ep.* 118. (132) *Can.* 18.
(133) In *cap. omnis utriuſque ſexus, extr. de poenit. & remiſſ.*
(134) *Seſſ.* 13. *cap.* 8.

(n) Ant. Arnaldus *de frequenti communione* adverſus frequentiam

§.XIII. Pauca nunc de ritibus euchariſtiae. Communicaturi lotis manibus & facie accedebant, teſte Chryſoſtomo (135). Graeci ſtantes communicabant, adhucque communicant, prono tamen capite, ac demiſſis oculis, ut ex Cyrillo Alexandrino (136), Chryſoſtomo (137), aliiſque. Num etiam Latini omnes olim ſtantes communicaverint, dubitat Cardinalis Bona (138); qui tamen monet, etiamnum in Miſſa ſollemni Romani pontificis diaconum ſtantem communicare de veteri more (*o*). Nunc ab aliquot abhinc ſaeculis flexis genibus communicant. Olim in Oriente ac Occidente tradebatur panis in manus laicorum utriuſque ſexus in formam navis compoſitas, uti conſtat ex Euſebio (139), Baſilio (140), Cypriano (141), Hieronymo (142), aliiſque (*p*). Primum

(135) *Hom. 52. in Matth.*
(136) *Catecheſ. 5.* (137) *Orat. in encaenia.* (138) *Lib. II. rer. liturgic. cap. 17. §. 8.* (139) *Lib. VI. hiſt. eccleſ. cap. 43.* (140) *Ep. ad Caeſariam Patriciam.* (141) *Lib. de lapſis.* (142) *Ep. 39. ad Theophilum.*

tiam communicandi diſputat. Ei opus in contrariam ſententiam concinnatum oppoſuit Dionyſius Petavius. Mihi valde probatur ſententia Chryſoſtomi *hom. 123.*, qui interroganti, quoties euchariſtia ſit accipienda, reſpondet: *Recipio neque eos, qui ſemel communicant; neque eos, qui ſaepius; neque eos, qui raro; ſed eos, qui cum pura conſcientia, qui cum puro corde, qui cum vita irreprehenſibili.*

(o) Plura de euchariſtiae a fidelibus ſtantibus accipiendae more congerunt Valeſius *ad Euſeb. lib.VII. cap.9.* Habert ad Ἀρχιερατ. *Graecor. p. 27.* Thiers *diſſ. de altarib.* & Chardon. *hiſtor. Sacrament. lib. III. cap. 6. tom. I.*

(p) De hoc ritu manibus ſumendi euchariſtiam fuſe Bona *cit. loc.*, Martene *de eccleſ. ritib. lib. I. cap. 4. art. 10. n.8.*, Chardon. *cit. loc. cap. 7.*, Lupus *in can. 101. Trullan.*, Morin. *de ſacr. ordin. part. 3. exerc. 12. cap. 3.*, & Michaël Amatus *diſſ. hiſtorico dogmatica 3. & 4.*

mum Synodus Antiſſiodorenſis an. 590. [143] inhibuit mulieribus nuda manu euchariſtiam accipere (q). Sed Graeci veterem morem diutius retinuerunt, nudamque manum cuivis materiae praetulerunt, ut ex Concilio Trullano (144) liquet. Tandem in Occidente vetus euchariſtiae nuda manu ſumendae ritus paſſim deſuevit ſaeculo XII. aut XIII., coepitque corpus Chriſti ore accipi; idque ob inductam tenuiſſimam panis formam, quae facile de manu delabi in terram poterat (145). Sanguinem vero Criſti fideles omnes calamo ſugebant, aut de ipſo calice ori admoto ebibebant (r). Deinde corpus ſanguine intinctum

(143) *Can.* 36. (144) *Can.* 101. (145) Vid. Card. Bona *cit. loc.* §. 7., & Morin. *ibid.*

(q) Huc forte ſpectant *dominicalla*, ſeu linteamina mulierum, ſine quibus accipere euchariſtiam non poterant. Concilium Antiſſiodorenſe *can.* 42. ſtatuit, ut *unaquaeque mulier, quando communicat, dominicale ſuum habeat. Quod ſi non habuerit, uſque in alium diem dominicum non communicet.* Baronius, Bona, aliique *dominicale* interpretantur linteum mundum, quo ſubiecto mulieres euchariſtiam accipiebant. At Baluzius *in Gratian. can.* 19. *cauſ.* 23. *q.* 3. putat, *dominicale* in Antiſſiodorenſi canone fuiſſe velum, quo mulieres ad euchariſtiam accedentes capita obnubere iubebantur; idque probat ex varia illius canonis lectione ex alio codice tamquam ex concilio Matiſconenſi, quae habet: *Dominicale ſupra caput*; ſicque etiam in veteri Poenitentiali legit Cangius *Gloſſar. v. Dominicalis*. Utraque ſententia forte conciliabitur, ſi apud Gallos mulieris manus aliqua capitalis veli parte tectas dicas. Etenim in ſermone S. Caeſario tributo, qui eſt CCXXIX. in Appendic. Opp. S. Auguſtini edit. Benedict. legitur: *Omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Chriſti accipiunt.* Et in *ſerm.* 252. *de tempor.* inter Opp. eiuſdem S. Auguſtin. *Mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Chriſti accipiunt, ſic corpus caſtum, & cor mundum exhibeant.*

(r) Fidelibus Chriſti ſanguis porrigebatur *calice miniſteriali.* Olim duo in ſacrificio calices adhibebantur; alter minor, in

ſtum porrigi coepit; qui ſumendi modus ſaeculo XII. paſſim adhibitus ob effuſionis periculum (146). Tradebatur populo euchariſtia ſollemni formula, quae ante Gregorii M. tempora erat, *corpus Chriſti*, *ſanguis Chriſti*, ut ex Ambroſio (147): aetate vero Gregorii haec, *corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti conſervet animam tuam*, ut ex Io. Diacono (148) patet: aevo tandem Alcuini ſic concepta fuit, *corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat te in vitam aeternam*, ut ipſe teſtatur (149); a qua hodierna formula parum abeſt. Ex vetuſtiſſimo more, recitata a miniſtro formula accipiens reſpondebat, *amen*, ut ex Cornelio papa (150), Pſeudo-Clemente (151), Ambroſio (152), aliiſque conſtat. Sed iamdiu fideles euchariſtiam taciti accipiunt.

CAP.

(146) Conſ. Marten. *cit. loc. n.* 13. (147) *Lib. IV. de Sacram. cap.* 5. (148) *In vit. Gregor. lib. II.* (149) *De divin. offic.* (150) Apud Euſeb. *hiſt. eccleſ. lib. VI. cap.* 43. (151) *Lib. VIII. conſt. apoſt. cap.* 13. (152) *Cit. loc.*

quo ſanguis conſecrabatur, & ex quo ſacerdos, & miniſtri bibebant; alter multo grandior dictus *miniſterialis*, ex quo ceteri fideles Dominico ſanguine potabant. Uſus calicis miniſterialis non in conſecrando, ſed diſtribuendo laicis ſanguine conſiſtebat, ut oſtendit Georgius *lib. I. de liturgia Roman. pontif. cap.* 3. E calice minore ſacerdotes, aliique altaris miniſtri purum Chriſti ſanguinem; ex miniſteriali autem ſanguinem vino infuſum laici ebibebant; ob communicantium enim multitudinem de minore ſacerdotis calice pars ſanguinis Chriſti in miniſterialem, vino non conſecrato plenum, infundebatur. Recepta enim ſententia fuit, ea commixtione totum vinum in Chriſti ſanguinem converti, itemque immiſſa in vinum hoſtiae particula vinum conſecrari: qua de re praeclare Mabillonius *in comment. praev. ad ordines Roman.* §. 12. 13. 14. & Martenius *de antiq. eccleſ. ritib. lib. I. cap.* 4. *art.* 10. *n.* 11.

C A P. V.

De ſacrificio miſſae.

§. I. AGendum nunc de euchariſtia, quatenus ſacrificium eſt. Eius pro ratione ſacrificii multa ſunt nomina. A Latinis dicitur *miſſa*: quod nomen non Hebraicum eſt a verbo מסה, *miſſat*, quod oblationem ſonat, ut Baronius (1) putat; nec Septentrionale a voce *mes*, quae *feſtum*, *conventum*, *ſacrificium* ſignificat, uti viſum Albaſpinaeo (2); neque Graecum a voce μυητις, *myſterium*, ut alii rentur. Latinum eſt a *mittendo* ſeu *dimittendo* populo ab eccleſia: proinde *miſſa* idem eſt ac *miſſio*, ut *remiſſa* & *remiſſio*, *oblata* & *oblatio*, *aſcenſa* & *aſcenſio* tantidem ſunt. Hinc *miſſa catechumenorum*, & *miſſa fidelium*; quarum illa a catechumenorum, haec a fidelium miſſione ſeu dimiſſione ab eccleſia, quae ſollemni formula per diaconum fiebat, nomen accepit. Paſſim dicitur etiam *communio*, *oblatio*, *collecta*, *agenda*, *dominicum*, item λειτυργια *publicum miniſterium*, μυςαγωγια *arcana actio*, ἱερυργια *ſacra actio*, συναξις *communio fidelium* cum Deo, θυσια *ſacrificium*, τελετη *perfectio*, αναφορα *elevatio*, aliiſque nominibus, quae fuſe expendunt Bona, Suicerus, Cangius, aliique.

§. II. Eſt autem miſſae ſacrificium, *externa oblatio a legitimo miniſtro facta ſoli Deo, qua in eius cultum & ſupremi dominii argumentum res aliqua ſenſibilis ritu myſtico conſecratur, & immutatur*. In ſacrificio itaque offerenda eſt res aliqua extra nos poſita,

(1) *Ad A. C. 34. n. 9.* (2) *De l' ancienne police de l'Egliſe ſur l' adminiſtration de l' euchariſtie lib. 2. cap. 3.*

ta, non ſola voluntas, animique affectus. Iis autem ſolis offerre licet, quibus munus hoc demandatum eſt, puta ſacerdotibus, uti mox dicetur. Porro non Sanctis, ſed uni Deo, ſupremo rerum omnium domino, ſacrificium offertur. Tandem res oblata *myſtice* deſtruenda eſt; ſi enim mutatio haec non intercedat, oblatio quidem erit, non ſacrificium. Eſſentia huius ſacrificii in conſecratione conſiſtit, in qua hoſtia mutatur & deſtruitur, nempe panis in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti mutatur. Ceterum Chriſtum, dum euchariſtiae ſacramentum inſtituit, verum & proprium ſacrificium obtuliſſe, ac Apoſtolis praecepiſſe, ut illam offerrent in ſacrificium, & Tridentina ſynodus (3) definivit, & ex Scriptura, perpetuaque eccleſiae doctrina & diſciplina late adverſus haereticos theologi oſtendunt (*a*). Id non omittam, diſtingui ſacrificium in *latreuticum*, quod in Dei cultum, *euchariſticum*, quod in gratiarum actionem; *impetratorium*, quod ad beneficia obtinenda; & *propitiatorium*, quod in remiſſionem peccatorum & poenarum, offertur.

§.III. Materia, & forma ſacrificii eſt eadem, quae in euchariſtia, quatenus ſacramentum eſt, adhibetur. Miniſter autem eſt ſolus ſacerdos, cui tantum ex Chriſti inſtitutione ius eſt conſecrandi & ſacrificandi, uti noviſſime decrevit Tridentinum (4) (*b*). Diaco-

(3) *Seſſ. 22. cap. 1.* (4) *Cit. loc.*

(a) Conf. Frontonem Ducaeum *contra Mornaeum*, Iac. Bolducum *de initio & progreſſu euchariſtiae ſive ſacrificii panis euchariſtici per totum orbem*, Benedictum XIV. *de ſacroſancto miſſae ſacrificio*, ut Bellarminum, Tournelium, Iueninum, Bertium, ceteroſque catholicos theologos omittam.

(b) Ius *conſecrandi* laicis quoque tribuunt Rigaltius *pecul. lib.*

conis, eoque magis inferioribus clericis, ſacrificium of-

lib., Grotius *diſſ. de coenae adminiſtratione quo tempore paſtores non ſunt*, quae ſine auctoris nomine prodiit, Boëhmerus *ad Plinium & Tertullian. diſſ.* 9., & Walchius *diſſ. de ſacra coena a laicis adminiſtranda*. Sed horum commenta ſtrenue diluerunt Petavius *diatriba de poteſtate conſecrandi & ſacrificandi ſacerdotibus a Deo commiſſa*, quam adverſus Grotium evulgavit, Harduinus *Oper. ſelect. p.* 297. Albaſpinaeus *lib. II. de euchariſt. cap.* 8. aliique catholici. Tria haec praecipue obiiciunt haeterodoxi. I. Petrus *ep.* 1. & Ioannes *Apocalypſ. cap.* 1. fideles omnes adpellant *ſacerdotes*. II. Tertullianus *de exhortat. caſtit. cap.* 7. laicos omnes *ſacerdotes* eſſe, & *differentiam inter ordinem & plebem ab ecclesiae auctoritate conſtitutam* ait. III. Theodoretus *lib. II. hiſt. eccleſ. cap.* 23. refert, Frumentium laicum ex Alexandria ad Indos profectum, illos qui eo demigraverant, hortatum fuiſſe, *κατα το Ρωμαιων ἐθος συναγειρεσθαι τε και ἱερας ἐπιτελειν λειτουργιας*, *eo more, quo ſub Romano imperio fieri ſolebat, & convenire, & ſacra celebrare*. Sed ſalva res eſt. Sacri ſcriptores chriſtianos omnes adpellant ſacerdotes lata & myſtica ſignificatione, quatenus preces Deo offerunt, & ſpiritali gratia inunguntur. De eodem myſtico fidelium ſacerdotio loquutus eſt Tertullianus *cit. loc.*, ubi adgnoſcit ſpeciale ſacerdotium, quod conſtituit *eccleſiae auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus*, quibus verbis phraſi Tertullianea deſignatur *origo & inſtitutio* derivata ab Apoſtolis, & *character* impoſitione manus presbyteri collatus. Theodoretus tandem *λειτουργιας* nomine intellexit conventus chriſtianorum ad offerendas Deo preces. Etenim Rufinus *lib. I. cap.* 9., ex quo hanc hiſtoriam Theodoretus exſcripſit, Frumentium negotiatoribus cum pietate educatis, qui eo navigabant, perſuaſiſſe ait, *ut conventicula per loca ſingula facerent, ad quae ritu Romano orationis cauſſa confluerent*. Nec aliter narrant Socrates *lib. I. cap.* 19., & Sozomenus *lib.* II. *cap.* 24. Addo, Frumentium, quo fidem apud Indos ſtabiliret, reverſum Alexandriam ab Athanaſio poſtulaſſe ſacerdotes ad eam gentem chriſtianis ſacris imbuendam, & ab Athanaſio ipſi Frumentio *ſacerdotalem gratiam* fuiſſe collatam, ut Theodoretus inquit *cit. loc.*, immo etiam *epiſcopatus honorem*, uti Socrates, & Sozomenus addunt.

offerre numquam licuit (*c*). Subiectum huius ſacri-
ficii

(c) Diaconis poteſtatem offerendi ſacrificium adſerere videtur concilium Ancyranum *can.* 2. ubi ſancit, diaconos, qui idolis ſacrificarunt, *ceſſare ab omni ſacro miniſterio, quod eſt τον ἀρτον και ποτηριον ἀναφερειν, panem & calicem offerre*, uti vertit Dionyſius Exiguus. Ceteris ergo diaconis offerre licebat. Sunt, qui putant *ἀναφερειν* Latine refundendum *deferre*, uti *προσφερειν* eſt *offerre*, aiuntque diaconorum fuiſſe *ἀναφερειν*, *deferre panem & calicem*, hoc eſt, de *protheſi* ſeu minore ara portare pontifici munera conſecranda, eoque munere diaconos poenae nomine ab Ancyrianis patribus excluſos. Sed his ambagibus non egemus. Recte Dionyſius *ἀναφερειν* vertit *offerre*. Nonnumquam euchariſtiae diſtributio veteribus dicta *oblatio*, quatenus nempe eam diaconi fidelibus offerrent ſeu porrigerent, non quatenus Deo offerrent, hoc eſt, ſacrificarent. Hoc ſenſu *ſollemnibus adimpletis calicem diaconum offerre praeſentibus coepiſſe*, ait Cyprianus *de lapſis*. Quare *oblatio*, quam Ancyrani antiſtites diaconis, qui immolaverant, citato canone denegant, mera eſt euchariſtiae diſtributio. Eamdem euchariſtiae conſecrandae poteſtatem diaconis tribuere videtur Ambroſius *lib. I. de offic. cap.* 41., ubi Laurentius diaconus Sixto papae ad martyrium proficiſcenti inter alia reponit: *Experire, utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti* DOMINICI SANGVINIS CONSECRATIONEM. Baronius *ad A.* 361. *n.* 7. reſtituit, *Dominici ſanguinis diſpenſationem*: quam lectionem Romani editores Operum S. Ambroſii ſequuti ſunt. Sed invitis omnibus fere codicibus cum MStis, tum editis, qui *conſecrationem* habent, praeter unum codicem Foſſatenenſem, qui in actis S. Sixti *diſpenſationem* habet. Quare merito Benedictini operum S. Ambroſii editores pro diſpenſatione *conſecrationem* repoſuerunt. Ceterum idem utroque vocabulo ſignificatur; hoc enim loco ſanguinis *conſecratio* idem eſt ac *diſpenſatio*. Hinc *Laurentium Romae diaconi officium geſſiſſe, ibique ſacrum Chriſti ſanguinem* MINISTRASSE, inquit Auguſtinus *ſerm.* 34. Quandoque veteres euchariſtiae diſpenſationem vocarunt *conſecrationem*, quia ea accepta ſanctificamur, & Chriſto veluti conſecramur. Ambroſii autem verba, *Dominici ſanguinis conſecrationem*, tantidem ſunt, ac *Dominicum ſanguinem conſecratum*, cuius diſtributio Laurentio diacono demandata eſt; idque dictum more Graecorum, Latinorumque, qui non raro adiectivum nomen pro ſubſtantivo adhibent, ſubſtanti-

ficii ſunt viventes omnes, etiam infideles, haeretici, excommunicati, & quovis ſcelere foedati. Pro his omnibus *propitiatorium* ſacrificium eſt offerendum, cum pro omnibus Chriſtus obierit, pro omnibus orandum & Paullus doceat, & die paraſceves oret eccleſia. Conſtantii Imp. haeretici nomen in mediis liturgiis recitatum, teſtatur Athanaſius (5). Pro excommunicatis ſacrificium *nominatim* & *publica oblatione* offerri, vetuit Innocentius III. (6); quamvis pro iis, ut ad eccleſiae communionem redeant, orare liceat. Nec pro vivis modo, ſed & pie defunctis propitiatorium hoc ſacrificium offerri poſſe, univerſae eccleſiae conſuetudo & auctoritas adſtruit; cuius locupletiſſimi teſtes ſunt Latini Graecique patres, Tertullianus (7), Cyprianus (8), Ambroſius (9), Auguſtinus (10), itemque Cyrillus (11), Epiphanius (12), Chryſoſtomus (13), ceterique. Pro Sanctis

(5) *Apolog. ad Conſtantium*. (6) *Cap. 28. ext. de ſentent. excommunic.* (7) *De coron. milit. cap. 3.* (8) *Ep. 66.*

(9) *Lib. I. de obitu Satyri fratris n. 80.*, & *de obitu Valentiniani n. 56.* (10) *Libro de cura pro mortuis gerenda cap. 1.*, *lib. XX. de Civit. Dei cap. 9.*, & *Enchiridii cap. 90.*

(11) *Catecheſ.* 10. (12) *Haereſ.* 65.

(13) *Hom. 3. in ep. ad Philippenſ.*

tivum ſecundo caſu reponendo. Exemplorum abunde eſt in Graecis, Latiniſque monumentis. Ita Graeci dicunt *τα καλα των ζωων*, *pulcra animalium*, pro *τα ζωα καλα*, *animalia pulcra*; *το ἀγαθον της ἀρετης*, *bonum virtutis*, pro *ἡ ἀρετη ἀγαθη*, *virtus bona*. Sic & Latini paſſim aiunt, *obſcurum noctis* pro nox obſcura, *ardua montium* pro montes ardui, *colli longitudinem* pro collum longum. Eadem loquendi ratio ſcriptoribus eccleſiaſticis in deliciis eſt. Speciminis loco ſint Cyprianus *ep. 30.* ubi *delicti magnitudo* eſt delictum magnum, & Ambroſius *de apol. David*, apud quem *naturae fragilitas* eſt natura fragilis. Conſ. Card. Bona *lib. I. rer. liturg. cap. 25. n. 4.* Benedictinos *not. ad cit. Ambroſii loc. p. 54. tom. II.* & Ruinart in *Act. ſincer. Martyr. p. 170.*

ctis in caelo regnantibus offerri nequit ſacrificium tamquam propitiatorium, quippe qui nullis anguntur aerumnis, a quibus per ſacrificia ſubducantur. Offerri tamen in honorem Sanctorum poteſt, ut de illorum victoriis Deo gratias agamus, eorumque ope veniam nobis exoremus: unde ſacrificium pro Sanctis oblatum partim *eucharisticum*, partim *propitiatorium* eſſe, inquit Eſtius (14). Pro damnatis, qui in gehennam, a qua redemtio nulla, detruſi ſunt, ſacrificium haud offerendum, ipſa per ſe res loquitur. Pro excommunicato, ſi ante obitum *manifeſtae poenitentiae ſigna praeceſſerint*, ſacrificium offerendum tradit Innocentius III. (15).

§. IV. Nunc de liturgia ſeu ritu celebrandi ſacrificium. Certus ille lectionum, precum & caeremoniarum ordo, quo miſſa peragitur, *liturgia* adpellatur. Chriſtus in noviſſima coena ſacrificium ἁπλῶς *ſimpliciter* celebravit, ut apud Evangeliſtas videre eſt. Et quamvis in ipſa ſacrificii inſtitutione Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus praeceperit, ut quod a ſe factum fuerat, idem & ipſi deinceps facerent in ſuam commemorationem; poteſtatem tamen iiſdem conceſſit in hoc ſacrificio ritus ordinandi & immutandi pro variis temporum locorumque ratione: quam ſibi poteſtatem eſſe ſignificat Paullus (16). Quo ritu Apoſtoli miſſam celebraverint, incertum eſt. Eos recitata oratione Dominica, & formula conſecrationis rem divinam peregiſſe, tradunt Gregorius M. (17), aliique. Adhibuiſſe etiam *preces* & *hymnos*, ſcribit Chryſoſtomus (18). Forte Apoſtoli ob gravem me-

tum

(14) *In* 4. *diſt.* 12. §. 15. (15) *Cit. loc.*
(16) I. *ad Corinth.* II. *v.* 34. (17) *Lib.* IX. *ep.* 12. *ad epiſcopos Siculos*, (18) *Hom.* 27. *in* I. *ad Corinth.*

tum, aliamque iuſtam cauſſam verborum compendio ſtudebant, alias rem ducebant in longum, uti coniectat Card. Bona (19). Sed luculentam liturgiae, qua Apoſtoli, aut certe proximi eorum ſucceſſores ſacrificium obtulerunt, deſcriptionem exhibet Iuſtinus M. (20): quo teſtimonio, ut cetera deeſſent argumenta, evincitur, ſuppoſititias eſſe liturgias, quae ſub nomine Petri, Iacobi, Matthaei, Marci, & Clementis circumferuntur, quod multis adſtruunt Tillemontius (21), Martene (22), Nourrius (23), & Nat. Alexander (24). Reddita eccleſiae pace in miſſa peragenda variae liturgiae pro temporum & locorum diverſitate inſtitutae ſunt. Celebriores in Oriente fuerunt liturgiae ſanctorum Iacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi. In Occidente autem Romana, Ambroſiana, Gallicana, Hiſpanica ſeu Mozarabica (*d*), aliaeque (*e*). Ritus eccleſiae ſuae obſervari quiſque te-

(19) *Lib. I. rer. liturgic. cap. 5.* (20) *Apol. 2.*
(21) *Hiſt. eccleſ. tom. I.* (22) *De antiq. eccleſ. ritib. lib. I. art. 1.* (23) *Apparatu ad Biblothec. maxim. veter. Patr. diſſ. 2. cap. 2. §. 10.* (24) *In ſaec. 1. art. 3.*

(d) Dicta eſt *Mozarabica*; nam occupata ab Arabibus Hiſpania fere univerſa, chriſtiani *Mixtarabes*, & corrupta voce *Mozarabes* adpellati ſunt, quod cum Arabibus mixti eſſent.

(e) De variis eccleſiarum liturgiis vide Iac. Pamelium *tom. I. liturgicor.*, Card. Thomaſium, qui Codices liturgicos 900. annis vetuſtiores eccleſiae Romanae & Gallicanae edidit, Mabillonium in opere *de liturgia Gallicana* libris III. diſtincto, & *tom. II. Muſei Italici*, & *in commentario praevio ad ordinem Roman.*, Georgium *de liturgia Romani pontificis in ſollemni celebratione miſſarum*. Hi addantur Petrus Le Brun explication litterale hiſtorique & dognatique des priores & des ceremonies de la Meſſe, Claudius de Vert *in explicat. litterali & hiſtorica rituum eccleſiae*, Bocquillotius *tractat. hiſtorico de ſacra liturgia*, Ioſeph Vicecomes *de antiquis Miſſae ritibus*, Auguſtinus de Herrera *de origine & progreſſu in eccleſia ca-*

tho-

tenetur; quippe *in his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit divina Scriptura, mos populi Dei, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt*, uti ſcite Auguſtinus (25).

§. V. Iam vero Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, non adhuc inductis liturgiis & ritibus, ſacra myſteria eo idiomate celebrarunt in ſingulis regionibus, quod tunc commune ac vernaculum iis erat. Cumque univerſo Occidenti communis eſſet Latina lingua, ea Apoſtoli, primique evangelii ſatores celebrarunt, ut egregie prae ceteris probant Bona (26), & Le-Brunius (27). In Aegypto divinam rem vulgari idiomate peractam, colligitur ex Athanaſio (28), qui refert, Antonium novum vitae genus inſtituiſſe, audito Evangelio, quod vix credendum, niſi Evangelium Aegyptiaco idiomate decantatum ſupponas; quippe Antonius, litterarum rudis, non niſi vulgarem, hoc eſt, Aegyptiacam linguam, novit. Religione autem latiſsime propagata, uſum Hebraicae, Graecae, ac Latinae linguae in ſacris retinuit eccleſia, quamvis eas populi ignorarent, tum ut maior ſacris veneratio accederet, tum ne ex frequenti vulgarium linguarum immutatione, atque adeo ſacrorum verborum translatione in novam linguam, ipſae corrumperentur ſententiae (*f*). Quandoque populis ad Chriſtum

(25) *Ep. 26. ad Caſulan.*
(26) *Lib. I. rer. liturgic. ap. 5.* (27) *In explicat. caeremon. Miſſae tom. XIV. art. 1.* (28) *In vit. S. Antonii.*

tholica rituum & caeremoniarum, quae in S. Miſſae ſacrificio adhibentur, Ioſeph. Aloyſiu Aſſemanus in *Codice liturgico eccleſiae univerſae*, aliique permulti.

(f) Quam arduum ac periculoſum ſit Scripturam ſanctam de uno in aliud idioma transferre, quamque opportunum, cuique non permitti lectionem ſacrorum Bibliorum vernacula lingua

ſtum recens converſis datum, ſacra liturgia uti vernaculo ſermone. Sic Ioannes VIII. (29) Moravis indulſit, ut Sclavonica lingua, quae erat ipſis vernacula, uterentur in ſacro faciendo, & divinis officiis celebrandis. In Occidente univerſo, hoc eſt, Italia, Germania, Gallia, Hiſpania, Anglia, Africa, Latinae linguae uſus ſemper viguit, licet eam populus non ſemper nec ubique intelligeret, ut Auguſtinus (30) teſtatur. Quod ſpectat ad Regnum noſtrum, Latinum ſermonem & ritum ab Apoſtolis viriſque Apoſtolicis invectum in divinis officiis celebrandis, ubique apud nos viguiſſe ad medium ſaeculum octavum, luculenter adſtruunt Ioannes de Ioanne (31), & Ioſeph Simon Aſſemanus (32). Abdu-

(29) *Ep. 247. ad Sſentopulcrum Moraviae Comitem*, apud Labbaeum *tom. IX. Concil. p.177.* (30) *Sermon.167. de verb. Apoſtol.* (31) *De divinis Siculor. officiis cap. 4. 5.* & *6.*
(32) *De reb. Neapolit. & Sicul. cap.2. §.16. ſeqq. tom. IV.*

gua redditorum, egregie demonſtrarunt Spiritus Roterus *diſſ. de non vertenda Scriptura ſacra in vulgarem linguam*, tres Cardinales ampliſſimi Hoſius *lib. III. de auctoritate Scripturae ſacrae p. 247.* Perronius *Reſponſ. ad Angliae Regem lib.VI. cap. 6.* & Bellarminus *lib. II. de verbo Dei cap. 15. tom. I.*, aliique permulti, quorum diſſertationes uno volumine iuſſu Cleri Gallicani collectae prodierunt Pariſ. an. 1661. ſub titulo: *Collectio quorumdam gravium Auctorum, qui ex profeſſo, vel ex occaſione, ſacrae Scripturae, aut divinorum officiorum in vulgarem linguam translationes damnarunt.* Fruſtra Furius Corilanus *diſſ. de libris ſacris in vernaculam linguam convertendis*, aliique contendunt, neceſſariam, aut perutilem eſſe verſionem divinarum Scripturarum in vulgarem linguam, ut earum lectio cuique pateat; quam ſententiam ſcriptores ſuperius laudati ſatis exploſerunt. Idem tuetur Uſſerius *in hiſtor. dogmatica de Scripturis, & ſacris vernaculis*; contra quem plura pro recentis uſus defenſione affert Rich. Simon *tom.I. Bibliothec. ſelect. cap. 18.*

ductis a Romano ad CPolitanum antiſtitem per Leonem Iſauricum Sicilia & Calabria (g), Graecanica in ſacrificiis diviniſque officiis perſolvendis liturgia Siculas & Calabras eccleſias pervaſit. Quin in veteri Calabria & Apulia non niſi ſaeculo X. a Polyeucto patriarcha CPolitano impoſitum Petro Hydruntino epiſcopo, *ne permittat in omni Apulia ſeu Calabria Latine amplius, ſed Graece divina myſteria celebrari*, uti refert Luitprandus (33) (h).

§. VI. Miſſarum ſpecies multae. Summa diviſio eſt in *miſſam catechumenorum*, & *fidelium*. Miſſa catechumenorum erat ea miſſae noſtrae pars, quae ab introitu ad offertorium procedit, ac epiſtolas & evangelia complectebatur, quibus recitatis, per diaconum ſollemni formula dimittebantur catechumeni ante offertorium, ut ſacra iis myſteria celarentur: a qua dimiſſione *miſſa catechumenorum* dicta eſt. Quandoque miſſam hanc a diaconis celebratam, habes ex Caſſiano (34). Miſſa vero fidelium complectebatur ſacram *actionem*, cui ſolis fidelibus adeſſe licebat. Haec in *publicam*, *privatam*, *ſolitariam*, & *praeſanctificatorum* diſpeſcitur. Miſſa publica ea eſt, ad quam fideles omnes conveniunt, ſic dicta a populi conventu. Haec cum cantu, & ſollemnibus caeremoniis ab epiſcopis cum cleri populique coetu agebatur: unde & *conventualis*, *capitularis*, *generalis*, *maior*, aliiſque nominibus adpellata eſt. Miſſa privata eſt, quae ſi-

(33) In ſua *ad Nicephor. Phocam legatione*, apud Murat. *S. R. I. part. I. tom. II.* (34) *Lib. XI. Inſtit. cap.* 15.

(g) Ex inſtituto argumentum hoc perſequuti ſumus in opere *de ortu & progreſſu metropoleon eccleſiaſtic. in Regno Neap. & Sicul. part. II. cap.* 1. *ſeqq.*

(h) Conf. noſtram *diatribam de ortu & progreſſu Graecanitae liturgiae in eccleſiis Neapolitanis & Siculis*.

ſine publico populi conventu celebratur, inque ea ſolus ſacerdos communicat. Ea bene vetus eſt. Gregorius Nazianzenus (35) patrem ſuum in cubiculo privatim ſacrificaſſe refert. Ambroſium Romae in quadam domo trans Tiberim ſacrum egiſſe, prodit Paullinus (36). Lucianum martyrem vulneribus attritum, araque deſtitutum ſupra pectus ſuum obtuliſſe ſacrificium, narrat Philoſtorgius (37). Miſſam in cellula Maris monachi ſe celebraſſe, ait Theodoretus (38). Erant eiuſmodi privatae miſſae monachorum propriae; canones enim vetuerunt in capellis monaſteriorum celebrari miſſam publicam, hoc eſt eam, ad quam fideles promiſcue admittebantur, ne populi concurſu monachorum quies interturbaretur (nam licebat monachis ſollemnem miſſam cum cantu & miniſtrorum adſiſtentia celebrare). Sic Gregorius M. (39) prohibet, miſſam publicam ab epiſcopo celebrari in oratoriis monachorum, & cathedram ibi collocari. Idem pontifex (40) iniungit Fortunato Neapolitano antiſtiti, ut eccleſiam pro monachis conſecret *abſque miſſis publicis*. Quaedam privatae miſſae ſpecies eſt *ſolitaria*, quam celebrat ſacerdos ſolus, nemine miniſtrante, ac praeſente. Hanc ſaeculo IX. monachi invexerunt; tum ſaeculares quoque presbyteri arripuerunt. Sed inhibuerunt tamen Synodus Moguntina an. 813. (41), Pariſienſis VI. (42), aliaeque. Tandem miſſa των προηγιασμένων *praeſanctificatorum* eſt, in qua non conſecratur corpus Chriſti, ſed ſacerdos in miſſa utitur praeſanctificatis,

(35) *Orat.* 19. (36) *In vit. Ambroſ.* (37) *Lib. II. hiſt. eccleſ. cap.* 5. (38) *Hiſtoriae religioſae cap.* 20. (39) *Lib. II. ep.* 41. *ad Caſtorium Ariminenſ. epiſcop.*, & *Lib. VI. ep.* 46. *ad Felicem epiſcop. Piſaurenſ.* (40) *Lib. X. ep.* 2. *ad Fortunat. Neapolit.* (41) *Can.* 43. (42) *Can. XLVIII.*

tis, hoc eſt hoſtiis ante conſecratis, tum pro ſe, tum pro omni populo; unde aequivoce dicitur miſſa. Id ex veteri more per totam quadrageſimam obſervant Graeci, exceptis Dominicis, ſabbatis, & feſto Annunciationis. Latini autem miſſa *praeſanctificatorum* utuntur tantum in paraſceve (*i*).

§. VII. Praeter legitimas has miſſarum ſpecies, invitis canonibus eruperunt aliae, nempe miſſa *ſicca*, *biſaciata*, & *triſaciata*. Miſſa ſicca celebratur, dum ſacerdos tamquam ad ſacrificium diſpoſitus, ſacriſque veſtibus indutus accedit ad altare, quae celebrantis ſunt, agit; cumque nolit communicare, non conſecrat, ita ut miſſa ſit ſine corpore & ſanguine Chriſti. Haec *nautica* nonnullis dicta, quod quandoque in navi celebrata ſit, ubi ob fluctuum motus vix perfecta miſſa peragi poteſt. Hiſtrionalem hanc miſſae ſimulationem, quae populum decipit, Deoque illudit, merito proſcripſerunt Innocentius III. (43), Synodus Pariſienſis an. 1212. (44), Sa-

(43) *Cap. 7., ext. de celebrat. miſſar.* (44) *Can. 12.*

(i) Apud Graecos miſſam praeſanctificatorum antiquam eſſe, liquet ex Concilio Trullano *can.* 52., quo cautum, ut *in omnibus quadrageſimae diebus, praeterquam ſabbato, Dominica, & feſto Annunciationis*, γινεσθω ἡ των προηγιασμενων ἱμερα, *ſit praeſanctificatorum dies*. Eamdem vetuſtatem adſtruunt viri docti ex *can.* 49. Laodiceno, quo etiam in quadrageſima, praeter ſabbata & Dominicas, prohibetur τον ἀρτον προσφερειν, *panem offerre*; in quo tamen canone nulla προηγιασμενων mentio iniicitur. In eiuſmodi autem miſſa nulla fit conſecratio, ſed corpus Chriſti ante conſecratum adhibetur, & ſumitur. Confer Allatium & Nihuſium in *diſſertat. de miſſa praeſanctificatorum*, ad calcem *operis de eccleſ. Occid. & Orient. conſenſ.*, Goarium *ad Eucholog. p.* 205., Bona *lib.* 1. *rer. liturg. cap.* 25., Lupum *in Trullan. can.* 52., alioſque. Latini autem ſolo paraſceves die miſſam praeſanctificatorum celebrant: qua de re inferius dicetur.

Sarisberienſis an. 1222. (45), aliaeque. Prorſus monſtruoſae ſunt, turpiſque lucri cupiditate inductae, miſſae *biſaciatae*, ac *triſaciatae*, ſic dictae quaſi multiplicem faciem habentes, in quibus improbi quidam ſacerdotes, ad plura pro uno ſacrificio ſtipendia ſibi quaerenda, plures miſſas diverſi generis, veluti de ſancto, & pro mortuis, celebrabant uſque ad offertorium, unam poſt aliam: deinde ex ordine tot ſecretas orationes recitabant, quot miſſas incoeperant; ac recitato canone, unaque conſecratione & communione peracta, tot in fine addebant collectas, quot initio praemiſerant.

§. VIII. Antiquiſſimus, inque utraque eccleſia per annos mille trecentos communis mos fuit, ut quiſque epiſcopus in cathedrali ſua ſimul cum presbyteris unum idemque ſacrificium concelebraret, miniſtrantibus diaconis, & adſiſtentibus inferioribus clericis (*k*). De Graecis id docet Pſeudo-Clemens (46), qui ritum epiſcopi cum presbyteris celebrantis exhibet. Ad hunc ritum adluſit Baſſianus Epheſinus epiſcopus in Concilio Chalcedonenſi (47), quum adverſus Stephanum in eius ſedem intruſum ait: *Stephanus presbyter meus fuit: quatuor annis mecum miſſas celebrabat, mecum communicabat*. Hic ritus hodie paſſim ab Orientalibus ſervatur. Eumdem in Grae-

(45) *Can.* 38. (46) *Lib. VII. Conſtit. apoſt. cap.* 10.
(47) *Act. XI.* Conf. Lupum *Appendic. ad concil. Chalced. act. XI. Opp. tom. II.*

(k) Fuſe ac ornate de hoc concelebrandi more diſſerunt Morinus *de ſacr. ordinat. part. III. exerc.* 8., quae eſt *de epiſcopis & presbyteris multis ſimul ſacrificantibus*, Mabillonius *in comment. praevio ad Ordines Roman.*, *Muſei tom. II. p.* 53., Bona *lib. I. rer. liturg. cap.* 18., Martenius *lib. I. de antiq. eccleſ. ritib. cap.* 3. *art.* 8., aliique.

cis Melchitis adprobat Benedictus XIV. (48), inque ceteris Orientalibus eccleſiis, ubi adhuc viget, cuſtodiri praecipit (49). Quod ſpectat ad Occidentales, epiſcopos cum presbyteris multis ſimul ſacrificaſſe, teſtatiſſimum eſt. Vetus Rituale hunc praefert titulum: *De diverſis ſacerdotibus ſupsr unam oblatam celebrantibus* (50). Romanae eccleſiae morem fuiſſe, *ut in confectione immolationis Chriſti adſint presbyteri, & ſimul cum pontifice verbis & manu conficiant*, inquit Amalarius (51). Saeculo XIII. mos ille concelebrandi cum presbyteris cardinalibus Romae perduraſſe, liquet ex Innocentio III. (52), & Card. de Vitriaco (53). Deſiiſſe autem videtur paullo poſtquam Romani pontifices Avenione ſedem fixerunt; nam Gulielmus Durandus a S. Porciano, qui an. 1333. obiit, teſtatur in Romana eccleſia aevo ſuo ſervatum non fuiſſe, quod Innocentius III. ſcripſerat *de presbyteris cardinalibus concelebrantibus cum papa* (54). In aliis quoque Latinis eccleſiis inde a ſaeculo XIV. deſiit is ritus, tum ob ſcholaſticorum querelas, qui antiquitatum imperiti illum impugnarunt, tum quia late fuſis Mendicantium ordinibus, mireque auctis miſſarum oneribus, ſacerdotes ſingulos ſingulis diebus celebrare oportuit. Nunc veteris conſuetudinis veſtigia in presbyterorum & epiſcoporum ordinationibus ſuperſunt apud nos.

§. IX. Perſequar nunc alia ad rem divinam ſpectan-

(48) *Conſt.* 87. *tom. I. Bullarii ſui* §. 9. (49) *Conſt.* 47. *tom. IV. Bullar.* §. 38. (50) Apud Morin. *cit. loc. cap.* 1. *n.* 4. (51) *Lib. I. de offic. cap.* 12. (52) *Lib. III. de myſteriis miſſae cap.* 25. (53) *Lib. II. hiſt. Occident. cap.* 38.

(54) *In* 4. *diſt.* 13. Conf. Dominic. Georgium *tom. III. de liturgia Romani pontificis diſſ.* 1. *de antiquo concelebrationis ritu in miſſarum ſollemniis eiuſdem Romani pontificis cap.* 1.

ſtantia, maxime locum, tempus, iterationem, & honorarium ſacrificii. Quod ad locum, tribus perſecutionum ſaeculis ſacrificium quovis loco, in antris, caemeteriis, carceribus, privatis aedibus oblatum, conſtat ex Paullo (55), Dionyſio Alexandrino (56), Cypriano (57), aliiſque. Conveniebant fideles omnes ſive in urbe, ſive ruri degerent, ut in unam quaſi eccleſiam collecti, ipſa unitatis myſteria peragerent. Poſt pacatam chriſtianam rempublicam, templa in eum finem publice extructa ſunt, vetitumque extra ea convenire, & ſacris operari, ut ex Athanaſio (58), Baſilio (59), & Cyrillo Alexandrino (60) conſtat. Concilium Laodicenum (61) vetuit *in domibus fieri oblationes ab epiſcopis, vel presbyteris*. Iuſtinianus (62) omnibus interdixit habere in *domibus ſuis* quaſdam *quaſi orationum domos*, inque iis *ſacra myſteria celebrare*. Conſonant poſteriorum temporum canones, qui miſſas extra eccleſias, ſecluſo neceſſitatis caſu, celebrare prohibuerunt (*l*). Verum ſeveriori etiam antiquitati haud ignotae fuerunt miſſae in oratoriis privatis ſeu domeſticis celebratae. Eiuſmodi oratoria a perantiquis temporibus in Oriente ac Occidente fuerunt, eorumque uſus longe lateque patuit (*m*). Patrem ſuum privatim in cubiculo ſa-

(55) *Act.* 20. (56) Apud Euſeb. *lib. VII. hiſt. eccleſ. cap.* 22. (57) *Ep.* 5. (58) *Apolog. ad Conſtantium*. (59) *De baptiſm. cap.* 8. (60) *Lib. contr. Antropomorphit. cap.* 12.
(61) *Can.* 58. (62) *Nov.* 58.

(l) Vide Thomaſſin. *diſcipl. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 25. *n.* 2. *& ſeq.*, ac Fleurium *hiſt. eccleſ. tom. X. p.* 264.

(m) Garticus *de Oratoriis domeſticis* originem eiuſmodi ſacellorum ab Apoſtolorum aetate reperit, quum ſaepe domi ſacra myſteria celebrata ſint. Lupus autem in *canon. Trullanos* ad perſecutionum tempora refert, quum mos erat chriſtianis eu-

ſacrum egiſſe, prodit Gregorius Nazianzenus (63): Saeculo ſexto Iuſtinianus Imp. (64) vetuit in domeſticis oratoriis ſacra myſteria celebrari: eorum tamen uſum permiſit ſolius orationis gratia, modo ibi ſacra non fierent, quippe quae in ſolis eccleſiis peragenda eſſent. Rurſus (65) prohibuit ad haec oratoria presbyteros, & clericos ordinari; ſed ex iis, qui iam ordinati erant ad eccleſias publicas, iuſſit delegari aliquos, qui in domeſticis oratoriis ſacra miniſtrarent. Sed ſeptimo deſinente ſaeculo Synodus Trullana (66) permiſit venia epiſcopi in his oratoriis ſacra celebrari, & baptizari. Deinde Leo Sapiens (67) cuique ſacerdotum indulſit, in domeſticis oratoriis ſacrum facere; atque non optimates modo, ſed & mediocris ſortis homines oratoria in ſuis aedibus habere. Poſtea Graeci conſenſum epiſcopi ſui non requirebant, rati tacitum adeſſe epiſcopi conſenſum, ut in domeſticis ſacellis divina res ageretur, modo in mappis ab epiſcopo conſecratis, teſte Balſamone (68). Adeo in Oriente crevit oratoriorum numerus, ut cum paroeciales eccleſiae negli-

(63) *Cit. Orat.* 20. (64) *Cit. Nov.* 58. (65) *Nov.* 131. (66) *Can.* 30. (67) *Nov.* 4. & 15. (68) *Schol. in cit. can.* 31. *Trullan.*

euchariſtiam domi ſuae adſervare. Verum, licet ſaevientibus perſecutionibus euchariſtia in privatis aedibus celebrata & ſervata fuerit; vix tamen habere potuerunt chriſtiani domeſtica oratoria fixa, ſoliſque divinis rebus conſecrata, ne ſe & ſacra ethnicis facile proderent. Hinc Tertullianus uxorem admonebat, ne ſciret coniux infidelis, quid ſecreto ante omnem cibum guſtaret. Cyprianus etiam memorat euchariſtiam ſervatam in arca. Quum autem diu poſt pacatam eccleſiam perduraverit verus uſus celebrandae, adſervandae, ac ſumendae domi euchariſtiae; invaluerunt inde domeſtica oratoria, & fere ubique in uſum recepta ſunt.

gligerentur, caverit Alexis patriarcha (*69*), ne Magnates ad oratoria ſua turbas hominum admitterent, neve baptiſmata, & ſacra myſteria ibi adminiſtrarentur, niſi feſtis diebus. Hanc oratoriorum apud Graecos frequentiam inde enatam coniicit Thomaſſinus (70), quod unum apud eos olim fuit altare, in quo una eodem die miſſa celebrabatur; quare cum ex tanta hominum multitudine plures ſacrificio adeſſe non poſſent, excitabant ſibi oratoria, ubi divinis vacarent. In Occidente quoque privatorum ſacellorum uſus bene vetus eſt. Ambroſium Romae agentem in quadam domo trans Tiberim rem divinam confeciſſe, teſtatur Paullinus (71). Concilium Agathenſe an. 506. (72) miſſas in his oratoriis, quibuſdam tantum ſollemnioribus diebus exceptis, celebrare permiſit. Concilium Aurelianenſe IV. an. 549. (73) memorat eccleſias in Procerum domibus extructas, quae parochiarum loco erant, & quarum miniſterio clerici addicti erant. Gregorius M. paſſim in ſuis epiſtolis memorat oratoria, quae in ſuis aedibus Magnates conſtruxerant: ut ecce Ariminenſi epiſcopo (74) iniungit, ne cardinalem presbyterum adſcribat oratorio, quod aere ſuo fundaverat matrona nobilis. In noſtris quoque regionibus extitiſſe olim domeſtica ſacella, conſtat ex eodem Gregorio (75), qui Ioannem Syracuſanum epiſcopum ad pacem cum Venantio Patricio ineundam hortatur, adeoque illius oblationes recipiat, *& in domo ipſius miſſarum peragi myſteria permittat*, quin, ſi fortaſſe voluerit, per ſe ac-

(69) Huius conſtitutio extat in *Iure Orientali*. (70) *Diſciplin. part. I. lib. II. cap. 96.* (71) *In eius vita.*

(72) *Can. 21.* (73) *Can. 26.* Vid. Bocquillot. *tract. hiſtorico de liturgia lib. II. cap. 7.* (74) *Cit. ep. 41. lib. II.*

(75) *Lib. VI. ep. 44.*

accedat, & *celebrando apud eum miſſas, priorem gratiam reformet*. Verum ſequentibus ſaeculis abuſus irrepſerunt in hanc rem; nam excreſcente ſacerdotum numero, & invaleſcente miſſarum honorario, ditiores potentioreſque coeperunt domeſticos capellanos habere, ſicque paroeciales eccleſias deſerere. Cum neglectis iam publicis eccleſiis domeſtica oratoria nimium frequentarentur; Carolus M. (76) vetuit, ea adire Dominicis, feſtiſque diebus, inque iis ſacra myſteria conficere ſine epiſcopi auctoritate. Eo res venit ſaeculo nono, ut in Gallia nobilium fere quiſque ſuum apud ſe capellanum haberet, qui ſibi myſteria celebraret, quin etiam in humanis officiis inſerviret: quod graviter queritur Agobardus Lugdunenſis (77). Eodem ſaeculo concilium Ticinenſe aegre tulit, ob nimiam domeſticorum oratoriorum frequentiam, nobiles rarius ad eccleſiam accedere. Magis creverunt abuſus cum paroecialium eccleſiarum, verbique divini neglectu, ob altaria portatilia, quae ſaeculo VIII. primum innotuerunt (78); tum ſaeculo XII. a Sede Apoſtolica concedi privilegia coeperunt utendi eiuſmodi altaribus, & ubique, etiam in locis Deo non ſacris, celebrandi. Sane Honorius III. (79) Dominicanis & Minoribus celebrare indulſit cum altari viatico, etiam ſine praelatorum licentia, ubicumque fuerint, ſine paroecialis tamen iuris praeiudicio. Similia privilegia alii regulares, & ſaeculares ab Apoſtolica Sede nacti ſunt. Tandem Tridentina Synodus (80) privilegium Praedi-

(76) *In ſuis Capitularib.* (77) *Tract. de privilegiis de iure ſacerdotum*. (78) Vid. Thiers *diſſ. de altaribus cap.* 2.

(79) *Cap.* 30. *ext. de privileg.* (80) *Seſſ.* 22. *in decreto de obſervandis, & evitandis in celebrat. miſſae*.

dicatoribus & Minoribus indultum utendi altari viatico ſuſtulit: *Ne patiantur* (epiſcopi) *privatis in domibus atque omnino extra eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eiſdem ordinariis deſignanda, & viſitanda ſanctum hoc ſacrificium a ſaecularibus, aut regularibus quibuſcumque peragi . . . : Non obſtantibus privilegiis, exemtionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcumque* (n).

(n) Olim epiſcopis licuiſſe veniam concedere, ut miſſae in privatis domibus peragerentur, conſtat ex ſupra dictis, & ex *can. miſſarum, de conſecrat. diſt.* 1. Num haec ipſis auctoritas a Tridentino *cit. loc.* ademta ſit, diſputatur. Negant Zypaeus *conſult. de celebrat. miſſar.*, & Eſpenius *iur. eccleſ. part.* 2. *ſect.* 1. *tit.* 5. *n.* 14. aientes, noluiſſe Synodum epiſcopis eam facultatem adimere, ſed tantum abuſionibus mederi. *Locus hic*, inquit Zypaeus, *tantum eſt ad abuſus extirpandos eorum, qui id ſua auctoritate praeſumunt, quos ne patiantur, monentur epiſcopi, ſed ea verba* (non patiantur) *ſi ad rigorem examinentur, non inferunt, ut permittere non poſſint ; vel derogationem auctoritatis epiſcopis competentis, ne id queant, ubi iuſta ex cauſſa id permittendum cenſuerint*. Idem confirmatur ex S. Carolo Borromaeo, fidiſſimo Tridentini executore, in Concilio Mediolanenſi I. *part.* 2. *tit. quae pertinent ad celebrationem miſſae*, ubi explicat, quae in concedendis privatis oratoriis per epiſcopos obſervanda ſunt: unde liquet, illum non dubitaſſe, quin penes epiſcopos poſt Tridentinum ſalva eſſet auctoritas eiuſmodi oratoria concedendi. Hinc in Belgio, ubi decreta reformationis Concilii Tridentini, *prout ſonant*, recepta ſunt, epiſcopi veniam concedunt celebrandi in domeſticis oratoriis. Contra Tridentinum laudato decreto ademiſſe epiſcopis auctoritatem permittendi, ut in privatis oratoriis miſſae peragantur, ſcribunt Barboſa *de officio epiſcopi part.* 2. *alleg.* 23. Fagnanus ad *cit. cap.* 30. *de privileg.*, aliique; ſicque pluries a Sacra Congregatione declaratum eſt. Idem expreſſit Paullus V. in epiſtola encyclica an. 1614. data. Quare in Italia, aliiſque locis, in quibus decreta Tridentinae reformationis recepta ſunt ſecundum interpretationes Sacrae Congregationis, licet epiſcopis habere privata oratoria ad ſacrificandum in aedibus, quas inhabitant : ſed ut in aliorum domibus erigantur, venia Sedis Apoſtolicae opus eſt.

§. X. Primitivi fideles metu perſecutionum noctu convenientes ſacra peragebant: unde *nocturnas convocationes*, & *coetus antelucanos* memorat Tertullianus (81); & chriſtiani *natio latebroſa & lucifuga* ethnicis dicti apud Minucium (82). Reddita eccleſiae pace miſſae publicae hora *tertia*, *ſexta*, & *nona* celebratae ſunt, cuius rei cauſſas enarrat Martenius (83). Manſit tamen vetus mos celebrandi veſpertinas miſſas quibuſdam per annum noctibus, nempe natalis Domini, ſabbati ſancti, feſti S. Io: Baptiſtae, & collationis ordinum in ſabbatis quatuor temporum. Sed veſpertinas miſſas an. MCLVI. ſuſtulit Pius V. (84), qui etiam privilegia omnia de miſſa ante dimidium noctis nativitatis Domini celebranda abrogavit. Nunc itaque miſſae ab ineunte aurora ad meridiem uſque peragendae ſunt.

§. XI. Prioribus tribus ſaeculis ſacrificium non quotidie oblatum, perſecutionum rabies evincit. Tantum Dominici diei meminit Paullus (85). Pariter chriſtianos *die ſolis*, hoc eſt Dominico, conveniſſe, ſcribit Iuſtinus martyr (86). Parta chriſtianae rei pace, varia de hac re fuit eccleſiarum diſciplina. In quibuſdam ter in ſingulas hebdomadas, nempe Dominica, feria quarta, & ſexta ſacram rem peractam, teſtatur Epiphanius (87). In aliis quater, addito nempe die ſabbati, ac aliis etiam diebus, ſi martyris cuiuſdam memoria celebraretur, ut in-

(81) *Lib. II. ad uxor. cap.* 4., *Apol. cap.* 2., & *de coron. milit. cap.* 3. Conf. Boehmerum *ad Plinium & Tertullian. diſſ.* 2., quae eſt *de antelucanis coetibus chriſtianorum*.

(82) *In Octavio*. (83) *De antiq. eccleſ. ritib. lib. I. cap.* 3. *art.* 4. *n.* 3. *ſeqq.* (84) Conſt. *Sanctiſſimus* 4., *tom. II. Bullarii Roman.* (85) 1. *ad Corinth.* 16. (86) *Apol.* 2.

(87) *In expoſit. fidei catholic. p.* 465. *ſeq.*

inquit Baſilius (88). Solos vero Romanos & Alexandrinos ex antiqua quadam traditione ſacra myſteria ſabbato celebrare detrectaſſe, ſcribit Socrates (89). In nonnullis ſolo die Dominico ſacris operatum, prodit Auguſtinus (90): idque liquet etiam ex Synodica Concilii Alexandrini, quod probare volens Macarium quemdam ſacrum calicem non confregiſſe, hoc maxime utitur argumento, *non fuiſſe tum diem Dominicam*. Quotidie in eccleſiis Africanis, Hiſpanicis, & CPolitana celebratum, liquet ex Auguſtino (91), Hieronymo (92), & Chryſoſtomo (93). Tandem quotidianum ſacrificium offerendi mos invaluit. Hunc morem ſaeculo ſeptimo nondum ubique receptum, adſtruit Mabillonius (94). Quare tamquam res ſingularis notatur, ſanctos nonnullos viros quotidie ſacris operatos fuiſſe. Caſſium Narnienſem epiſcopum *quotidianum offerre ſacrificium conſueviſſe*, refert Gregorius M. (95). Nonnullos alios, qui ſeptimo ſaeculo quotidie celebrarunt, idem affert Mabillonius; idque anterioribus ſaeculis non tam obvium fuiſſe, obſervat. Poſtea presbyteros ut quotidie ſacrificarent, monuerunt Synodus Ticinenſis an. DCCCLXXXVI. (96), aliaeque. Apud Graecos dies *aliturgici* erant, ſuntque adhuc omnes dies Quadrageſimae, quibus miſſa *praeſanctificatorum* utuntur, exceptis ſabbato, Dominica, & feſto Annunciationis. Apud Latinos autem ſingulis Quadrageſimae diebus divina myſteria celebrata ſunt, duobus exceptis, paraſceves, & ſabbati ſancti, in quibus *ſacramenta*

(88) *Ep. ad Caeſariam Patriciam*. (89) *Lib. V. hiſt. eccleſ. cap.* 22. (90) *Ep.* 118. *ad Ianuar.* (91) *Serm.* 54., & *cit. ep.* 98. (92) *Ep.* 28. (93) *Hom.* 3. *in ep. ad Epheſ.*

(94) *Praef. ad ſaec. II. Benedict.* §. 4. (95) *Lib. IV. Dialog. cap.* 56. (96) *Cap.* 2.

menta penitus non celebrari, ait Innocentius I. (97). Fuſe de diebus liturgicis, aliturgicis, & polyturgicis ediſſerit Card. Bona (98).

§. XII. Olim miſſae ſacrificium iterari conſuevit. In natali Domini ter a ſingulis ſacerdotibus celebratum: quem morem ſatis antiquum eſſe, liquet ex Gregorio M. (99). In aliis celebrioribus diebus pluries ab uno ſacerdote divina res peracta eſt (*o*). Leo M. (100) permiſit neceſſitate urgente ſacrificii oblationem ab eodem ſacerdote repeti. Idem ſaeculo VII. cauſſa pietatis in Deum fieri conceſſit Deusdedit P., quem *ſecundam miſſam in clero conſtituiſſe*, ait Auctor libri pontificalis. Eo tandem res venit, ut pluries uno die pro ſacerdotis arbitrio celebraretur. Leonem III. *una die ſepties vel novies miſſarum ſollemnia ſaepius celebraſſe*, ſcribit Walafridus Strabo (101). Primum ſaeculo XI. modus huic arhitrio impoſitus. Concilium Salegunſtadienſe an. MXXII. (102) non niſi tres una die miſſas celebrare ſacerdoti permiſit. Deinde Alexander II. in concilio Romano an. MLXIII. (103) mandavit ſacerdotibus, ut ſemel tantum in die divinam rem facerent. Idem confirmavit Innocentius III. (104), qui reſpondit, *excepto*

pto

(97) *Ep. ad Decent.* (98) *Lib. I. rer. liturgic. cap.* 13. *& ſeqq.* (99) *Hom.* 8. (100) *Ep.* 81. *ad Dioſcor. Alexandrin. cap.* 2. (101) *De reb. eccleſ. cap.* 21. Multa ſanctorum virorum exempla, qui pluries uno die ſacrificium offerebant ex ſola in Deum pietate, ut illorum temporum conſuetudo ferebat, congerit Bona *cit. loc.* (102) *Can.* 5. (103) Apud Gratian. in *can. ſufficit* 53. *de conſecr. diſt.* 1. (104) *Cap. conſuluiſti* 3., *ext. de celebr. miſſar.*

(o) Plura de hac re habent Bona *lib. I. rer. liturgic. cap.* 18., Martene *lib. I. de antiq. eccleſ. ritib. cap.* 3. *art.* 3. §. 4. & 18., Thomaſſin. *diſcipl. part. III. lib.* 1. *cap.* 57., & Benedictus XIV. *de ſacrific. miſſae ſect.* 2. *n.* 33. *& ſeq.*

pto die nativitatis Dominicae, niſi cauſſa neceſſitatis ſuaſerit, ſufficit ſacerdoti ſemel in die unam miſſam ſolummodo celebrare. Conſentit Honorius III. [105]. Tandem Benedictus XIV. permiſit ſacerdotibus Luſitaniae & Hiſpaniarum miſſam ter celebrare in die commemorationis omnium fidelium defunctorum.

§. XIII. Poſtremo loco de miſſae honorario agendum. Eius origo ex oblationibus, quae ad altare fiebant, repetenda eſt. Ex vetuſtiſſimo eccleſiae more fideles panem & vinum ad altare offerebant, cuius exigua pars conſecrabatur, ipſiſque tribuebatur, reliquum alendis altaris miniſtris impendebatur; qua de re dicam ſuo loco. Deinde invaluit, pecuniam loco panis offerri ad altare; ſed quo primum tempore, non liquet. Id tunc factum, cum deſierunt fideles ſacrificio praeſentes communicare, quod antea praetermittere non licebat, opinantur Honorius Auguſtodunenſis, ſaeculi XI. ſcriptor [106]; ſed tempus, quo id acciderit, non deſignat. Quidquid ſit de more pecuniae ad altare offerendae, certum eſt, ex primigenia naſcentis & adoleſcentis eccleſiae diſciplina, ſive panem, ſive denarium oblatum fuiſſe eccleſiae & clericis in communi, non cuique peculiari ſacerdoti datum, ut miſſam privatim faceret, quae uni eleemoſynam offerenti prodeſſet. Morem autem dandae pecuniae ſacerdoti, ut exuberantem ſacrificii fructum ſtipis elargitor in ſe, proximos, vel amicos, ſive vivos, ſive defunctos, derivaret, non ante ſaeculum VIII. inductum, nec paſſim ubique ante XII. receptum, adfirmat Mabillonius (107). Sane ſaeculo XI. non defuere, qui veteris diſciplinae

(105) *Cap. te referente* 12. *eod. tit.* (106) *In Gemma animae lib. I. cap.* 66. (107) *Praef.* 1. *in ſaec.* 3. *Benedict. n.* 62.

nae caſtitatem praeferentes, denarios ſibi non vindicarent ob ſacrificii oblationem. Horum numero fuit Petrus Damianus, qui oblatam ſemel iterumque ſibi miſſam celebranti pecuniam conſtanter reiecit; quam tamen ſocius eius frater Paullus clam accepit: quumque hinc ei Godefridi Lotharingiae Ducis capellani accepti denarii calumniam impegiſſent, is ſcripta apologia notam deterſit (108). Haec calumnia argumento eſt, oblatae pecuniae admiſſionem in clerico & monacho male tunc oluiſſe (109). Saeculo XII. quum increbuiſſet opinio, poſſe denarios in proprium ſacrificantis uſum converti, non inter miſſae ſollemnia, ut olim, ſed ante miſſam pecunia dari coepit, ut presbyter ſacris operaturus *ſpecialem* in ſacrificio recoleret memoriam offerentis. Atque hoc eſt hodiernum miſſae honorarium, quod non tamquam ſacrificii pretium, ſed pia oblatio & eleemoſyna a ſacerdotibus accipitur ad ſe honeſte exhibendum, adeoque ſimoniacum non eſt. Redibit de hac re ſermo lib. III.

CAP. VI.

De poenitentia.

§. I. Poenitentia eſt *ſacramentum, quo lapſi poſt baptiſmum contriti, confeſſi, & ſatisfacere proponentes abſolvuntur a peccatis*. Ea Latinis paſſim dicitur *reconciliatio*, *abſolutio*, *confeſſio*, *manuum impoſitio*, *communicatio* ſeu *communio*, *viaticum* (*a*); Grae-

(108) *Lib. V. ep.* 13. (109) Vid. Lupum *diſſ. de ſimonia cap.* 2.

(a) Olim viaticum ſignificabat quicquid ex hac vita abeuntes munire poſſet: unde eo nomine non euchariſtia ſolum, ſed & baptiſmus, confirmatio, extrema unctio, & abſolutio comprehendebantur. Nunc eius nominis notio anguſtior eſt. Conf. Albaſpin. *lib. I. Obſ. cap.* 1.

Graecis vero μεταvοια, *reſipiſcentia*, ἐξομολογησις; *confeſſio*, & ἐπιτιμιον, *poena* peccatis debita (*b*). Poenitentiam eſſe chriſtianae legis ſacramentum a Domino *tunc praecipue inſtitutum, cum a mortuis excitatus inſufflavit in diſcipulos ſuos dicens* „ accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata „ &c., definivit Tridentinum (1). Conſulto Synodus vocem *praecipue* adhibet; patres namque de poteſtate remittendi peccata interpretantur etiam ea Chriſti verba ante reſurrectionem prolata, *quaecumque ligaveritis* &c. Sed cum his verbis poteſtas iudiciaria potius praedicta & promiſſa, quam data diſcipulis videatur; non elucet in iis praecipua & propria inſtitutio.

§. II. Remota poenitentiae materia ſunt peccata quaevis poſt baptiſmum admiſſa; proxima vero actus poenitentis, quorum tres veluti partes, *contritio*, *confeſſio*, & *ſatisfactio*. Contritio eſt *animi dolor, commiſſique peccati deteſtatio cum propoſito non peccandi de cetero*. Eam in *perfectam*, & *imperfectam* ſeu *attritionem*, diſtinxerunt theologi. Nomen *attritionis* primum uſurpari a ſcholaſticis coepit circa an. MCCXXX., eoque primi uſi ſunt Guilelmus Pariſienſis, Alexander de Ales, & Albertus M. (*c*). Contritio *caritate perfecta* cum *ſacramenti voto* coniuncta *hominem Deo reconciliat, priuſquam ſacramentum actu ſuſcipiatur; imperfecta* vero, *quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennae metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniae, peccatorem ad Dei gratiam in*

ſa-

(1) *Seſſ.* 14. *de poenit. cap.* 1.

(b) Conf. Suicer. *theſaur. eccleſ.* vocib. μεταvοια, ἐξομολογησις, & ἐπιτιμιον.

(c) Videſis Morin. *de poenit. lib. VIII. cap.* 2. *n.* 14.

ſacramento poenitentiae impetrandam diſponit: quae omnia docet Tridentina Synodus (2). Num vero ad gratiam in ſacramento poenitentiae obtinendam neceſſarius ſit dolor, qui aliquem Dei amorem includat, an ille ſufficiat, qui concipitur ex ſupernaturali gehennae metu, cui nulla accedat dilectio Dei ſuper omnia, vetus eſt theologorum concertatio, & adhuc ſub iudice lis eſt. Qui, reiecta ſervilis timoris ſufficientia, *amoris initialis* neceſſitatem tuentur, ii ad mentem Scripturae, patrum, ac Tridentini Concilii propius accedunt. Ex inſtituto argumentum hoc perſequuntur Launoius (3), Lupus (4), Le Drou (5), Morinus (6), aliique.

§. III. Confeſſio ſacramentalis eſt *integra peccatorum recitatio ſacerdoti facta*. Hanc *inſtitutam & ad ſalutem neceſſariam eſſe iure divino*, decrevit concilium Tridentinum (7). Diſerte Chriſtus Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus poteſtatem contulit remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos: *Accipite*, inquit, *Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt* (8). Rurſus (9): *Quaecumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata in caelis; & quaecumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta in caelis*. Perſpicua haec loca de poteſtate ſacerdotibus collata remittendi peccata, catholicam eccleſiam ſemper intellexiſſe, conſtat ex Tertulliano (10), Cypria-

(2) *Cit. ſeſſ.* 14. *cap.* 4. (3) *Opuſc. de mente Concilii Trid. circa contritionem & attritionem*. (4) *Ep. ad Card. Noriſ. de contrit. & attrit.* (5) *Tractat. de contritione & attritione*.

(6) *Cit. lib. VIII. cap.* 4., & in opere poſtumo *de contritione & attritione*. (7) *Cit. ſeſſ.* 14. *can.* 6. & 7.

(8) *Ioan. XX. v.* 21. (9) *Matth. XVI. v.* 19. (10) *De poenit. cap.* 7.

priano (11), Chryſoſtomo (12), Cyrillo Alexandrino (13), aliiſque. Haec autem iudiciaria poteſtas exerceri a ſacerdotibus nequit ſine ſacramentali confeſſione; cum fieri iudicium non poſſit, niſi cauſſa cognita. Concilium Tridentinum (14) *conſtare* ſcribit, *ſacerdotes iudicium hoc incognita cauſſa exercere non potuiſſe, nec aequitatem quidem illos in poenis iniungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent*. Revera ab eccleſiae initiis peccatorum confeſſionem perpetuo viguiſſe in Oriente ac Occidente, evincitur ex Clemente I. (15), Irenaeo (16), Tertulliano (17), Cypriano (18), Concilio Laodiceno (19), Baſilio (20), Chryſoſtomo (21), Innocentio I. (22), Leone M. (23), ceteriſque (*d*).

§.IV. Quod vero ſpectat ad confeſſionis modum, haec

(11) *Lib. de lapſis*, *ep.* 54. *ad Cornel.*, & *ep.* 69. *ad Florent.* (12) *Lib.III. de ſacerdotio cap.*5. & 6., & *in Ioan.XX.* (13) *In Ioan. cap.* 20. (14) *Cit. ſeſſ.*14. *cap.*5. (15) *Ep.* 2. *ad Corinth* (16) *Lib. adv. haereſ. cap.*6. *n.*3., & *cap.*13. *n.* 5. Vid. Maſſuet. *diſſ. praev. ad Irenaeum n.* 79. (17) *De poenit. cap.* 4. Vid. Carol. Moreau *in Omniloquio Tertulliani p.* 497. (18) *Cit. lib. de lapſis*. Conf. Editorem Benedictinum *in praef. n.* 8. (19) *Can* 4. (20) *In Pſalm. XIX.* & alibi. (21) *Lib. II. de ſacerdot.*, *lib. II. de compunct.*, aliiſque locis. (22) *Ep. ad Decent. n.* 7. (23) *Ep.* 136. *nov. edit.*, & *ep.* 82. *ad Theodor. epiſcop. Foroiulienſ.*

(d) Io. Dallaeus in opere *de confeſſione auriculari* contendit, ſacramentalem confeſſionem ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi IV. primum inſtitutam & imperatam fuiſſe, quum eius nullum antea fuerit in eccleſia praeceptum. Nae Calvinianus homo in tanta veritatis luce caecutit. Eius commenta ſtrenue viriliterque disiecerunt Boileau in *hiſtoria confeſſionis auricularis*, Dionyſius Sammarthanus *tract. de confeſſione*, Nat. Alexander *diſſ. polemica de confeſſione auriculari adv. Dallaeum*, aliique permulti.

haec aut *publica* eſt, quae publice in eccleſia, aut *ſecreta* ſeu *auricularis*, quae apud ſacerdotis aures ſecreta fit. Olim fideles nonnullos peccata ſua publice enuntiaſſe, ut dolorem ſibi excitarent, alioſque aedificarent, habes ex Irenaeo (24), Origene (25), Tertulliano (26), Cypriano (27), aliiſque. Sed nulla divina, vel eccleſiaſtica lege confeſſionis publice edendae neceſſitatem impoſitam fuiſſe, conſtat in primis ex Baſilio (28), Chryſoſtomo (29), & Leone M. (30). Scitiſſime Tridentinum (31) a Chriſto haud vetitum ait, *quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob eccleſiae aedificationem delicta ſua publice confiteri poſſit*; ſed nullo tamen divino praecepto publicam confeſſionem fuiſſe indictam, *nec ſatis conſulte humana aliqua lege praecipi, ut delicta, praeſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda*. Hinc colligunt Morinus (32), aliique, ad confeſſionis οὐσίαν non pertinere, ut ſecreto fiat, cum Synodus declaret, poſſe aliquando laudabiliter fieri publice; ſed tantum ut peccata ſacerdoti enuntientur, quocumque modo id fiat. Confeſſio autem ore ſacerdoti praeſenti facienda eſt: facta per litteras ſacerdoti abſenti non conſiſtit, ut Clemens VIII, (33) declaravit (e)

Olim

(24) *Lib. I. adv. haereſ. cap.* 13. Conf. Maſſuet. *diſſ. praev.* 3. *ad Irenaeum art.* 7. *n.* 75. (25) *Hom.* 2. *in Pſalm.* 37.
(26) *De poenit. cap.* 9. *& ſeq.* (27) *Ep.* 72. *ad Pompon.* Vid. plura apud Morin. *de poenit. lib. II. cap.* 9. & 10.
(28) *In regulis breviorib. n.* 229. (29) *Lib. II. de Sacerdot.*, aliiſque locis. (30) *Cit. ep.* 136. (31) *Cit. ſeſ.* 14. *cap.* 5.
(32) *Cit. loc.* (33) Conſtit. edita an. 1602. *Bullar. Rom. tom. III. p.* 132.

(e) Morinus *lib. VIII. de poenit. cap.* 25. aliique ſcribunt, confeſſionem per litteras non *per ſe*, ſed ob Clementis VIII.

in-

Olim poenitentes conſueviſſe ſedentes peccata confiteri, liquet ex Ordine Romano, Alcuino, & Ritualibus compluribus. Hunc morem Graecos adhuc ſervare, teſtatur Allatius (34). Apud Latinos monachorum quorumdam genufleƈtere mos fuit; qui mos ineunte ſaeculo XIII. ad ſaeculares etiam traductus eſt.

§.V. Satisfactio, quae paſſim *poenitentia* vocatur, eſt poena, quam poenitens ſubit pro arbitrio ſacerdotis. Dividitur in *privatam*, quam peccator clam peragit, & *publicam*, quam palam & in facie eccleſiae obit. Origo publicae poenitentiae in apoſtolica tempora eſt conferenda, quippe conſentaneum rationi eſt, ut qui publice delinquendo alios ad culpam provocavit, eoſdem publica poena revocet ad bonam frugem; quamvis initio certis canonibus de illius peragendae ratione cautum non ſit. Quatuor autem periodi hac in re diſtinguendae ſunt; quarum prima ab eccleſiae initiis ad Montanum; altera a Montano ad Novatianum; tertia ab hoc ad ſaeculum XII.; quarta a ſaeculo XII. ad noſtra tempora procedit. A primordiis eccleſiae ad Montanum uſque nullum certum poenitentiae peragendae tempus definitum fuit, nulloque canonum praeſcripto, ſed prudentia & conſilio presbyterorum poenitentiae ab epiſcopis iniunctae ſunt, atque hae porro mitiores fuerunt. Orta vero Montani haereſi circa an. 157., qui cum ſuis aſſeclis *ad omne paene delictum*

(34) *De Occid. & Orient. eccleſ. conſenſ. lib.III. cap.9. n.6.*

interdictum, nullam eſſe, adeoque ante Clementem valuiſſe abſolutionem abſentibus datam. Intercedunt tamen B. Thomas, Canus, Iuenin, aliique theologi, qui eiuſmodi confeſſionem vel ante Clementis definitionem inanem fuiſſe tuentur.

eccleſiae fores obſerabant, uti loquitur Hieronymus (35), & catholicos acerbe carpebant, quod idololatris, homicidis, & moechis veniam dabant, arbitrio etiam epiſcopi paullo ſeveriores & diuturniores, quam antea, poenae indictae ſunt. Primum poſt exortam Novatiani haereſim circa an. 251, certum agendae poenitentiae ſpatium a canonibus definitum eſt. Patres enim, ut occurrerent Novatianis obſtrepentibus eccleſiam carere poteſtate dimittendi peccata poſt baptiſmum admiſſa, de modo & ordine poenitentiae agendae certis legibus caverunt. Hinc graſſante Novatiana haereſi quatuor poenitentium ſtationes ſeu gradus inſtituti ſunt, προσκλαυσις *fletus*, ἀκροασις *auditio*, ὑποπτωσις *ſubſtratio*, & συστασις *conſiſtentia*. Primo itaque gradu erant *flentes*, nempe qui poſtquam peccata ſua coram ſacerdote confeſſi, ſeriumque de iis dolorem teſtati fuiſſent, ante fores eccleſiae ſtabant flentes, iniquitatem ſuam profitebantur, & fideles eccleſiam ingredientes rogabant, ut ſibi a Deo & epiſcopo poenitentiae locum exorarent: unde ſentis, hunc non proprie gradum, ſed potius praeambulum quoddam ad poenitentiae gradus fuiſſe. Secundo gradu erant *audientes*, qui poſt completum fletus tempus, inter catechumenos admittebantur in narthece ad Scripturas & ſacros ſermones audiendos. Tertio gradu erant *ſubſtrati* ſeu *genuflectentes*, qui non ſolum audiebant cum audientibus, ſed & poſt dimiſſos audientes in nao uſque ad ambonem manebant: ac per id tempus manibus & orationibus epiſcoporum ſubiiciebantur. Quarto demum gradu erant *conſiſtentes*, quibus licebat, catechumenis, ceteriſque poenitentibus eiectis, inter fideles in eccleſia ſtare ac

(35) *Ep.* 37. *ad Marcellam*.

ac orare, non vero ad euchariſtiam accedere. Quod demum poterant, quum poſt abſolutam poenitentiam eccleſiae plene reconciliati, iterum inter fideles recenſebantur: unde nonnulli *μετεξιν participationem* euchariſtiae quintum gradum, alii poenitentiae finem adpellant.

§. VI. Nunc quae peccata publicae poenitentiae obnoxia fuerint, diſpiciamus. Peccata dividuntur in *levia* ſeu venialia, & *gravia* ſeu lethalia, quae *crimina* & *ſcelera* patribus dicuntur. Illa *peccata infirmitatis*, *aut imperitiae*; haec vero *peccata malitiae* adpellat Auguſtinus (36). Levia peccata publicis poenitentiis haud expiata ſunt. Ea *oratione quotidiana*, & *privata compunctione* curari, tradunt Auguſtinus (37), Caeſarius Arelatenſis (38), aliique patres. Gravia peccata aut *publica* ſunt, aut *occulta*. Publica poenitentiis publicis eluenda ſunt ex perpetua eccleſiae diſciplina, ut ex Paullo (39), Baſilio (40), Auguſtino (41), Tridentino (42), ceteriſque conſtat. Non autem omnia publica crimina publicis poenitentiis coërcita ſunt; ſed graviora tantum, quae legibus Principum capite vindicabantur, ut idololatria, homicidium, moechia, ſacrilegium, furtum violentum, ſepulcrorum violatio, turpiſſima libido, idque genus alia: quod ex Tertulliano (43), Cypriano (44), Gregorio Nyſſeno (45), Auguſtino (46), aliiſque liquet. Anne etiam graviora crimina occul-

(36) *Quaeſt. lib.* 83. *quaeſt.* 26. (37) *Lib. de ſymbolo ad catechum. ſub fin.* (38) *Hom.* 1. *in quadrageſ.* (39) 1. *ad Timoth.* 5. (40) *Can.* 24. (41) *Serm.* 16. *de verbo Domini cap.* 8. (42) *Seſſ.* 24. *de ref. cap.* 8. (43) In libris *de poenitentia*, & *de pudicitia*. (44) *Lib. de lapſis*. (45) *Ep. canonica ad Letoium epiſcopum Mytilenenſem*. (46) *Ep.* 60. *ad Aurelium*.

ta publicis poenitentiis expiata? Sirmondus (47), & Petitus [48], publicam poenitentiam tantum publicis gravioribus criminibus indictam, ſtatuunt. Contra Morinus [49], Petavius [50], Albaſpinaeus [51], Alexander [52], aliique, olim occulta quoque crimina publicae poenitentiae ſubiecta fuiſſe, demonſtrant ex Irenaeo, Origene, Cypriano, Baſilio, Auguſtino, Concilio Ancyrano, aliiſque monumentis. Haec occultorum criminum publice caſtigandorum diſciplina ſtetit in Oriente ad Nectarium CPolitanum epiſcopum, qui quarto deſinente ſaeculo ſedit (*f*); in

(47) In *hiſtor. poenit. public. cap. 2. p. 482. Opp. tom. IV.*
(48) *Ad poenitentiale Theodori Cantaurienſ. p. 61. ſeqq.*
(49) *Lib. V. de poenit. cap.8. & ſeqq.* (50) *In Animadv. ad Epiphan. haereſ. 59.* (51) *In Obſerv. lib. II.* (52) *In ſaec. III. diſſ. 6.*

(f) Socrates *lib. V. hiſt. eccleſ. cap.* 19. refert, Nectarium CPolit. ſuſtuliſſe eccleſiae ſuae presbyterum poenitentiarium, excipiendis fidelium confeſſionibus praefectum, & *ſiviſſe unumquemque pro arbitrio & pro animi ſui conſcientia ad ſacramentorum communionem accedere*, ob ſcandalum in ea eccleſia obortum occaſione cuiuſdam matronae, quae cum ſtuprum ſibi a diacono illatum presbytero poenitentiario confeſſa fuiſſet, ob id diaconus eccleſia eiectus eſt; populus vero graviter commoveri coepit. Eadem e Socrate deſcripſerunt Sozomenus *lib.VII. hiſt. eccleſ. cap.* 16. & Nicephorus *lib. XII. cap.* 26. Hic Socratis locus de presbytero poenitentiario Conſtantinopoli ſublato eruditorum ingenia torſit, inque varia ſtudia ſcidit. Eo maxime abutuntur poenitentiae hoſtes, obſtrepentes numquam a Nectario doctrina & pietate praedito tantum facinus admiſſum iri, ſi ullum extaret ſacramentalis confeſſionis praeceptum divinum, aut maiorum traditione nixum. Tricis ſe expediunt Baronius *ad A. C. LVI. n. 26. ad 32.*, & Latinus Latinius *pecul. diſſ. tom. I. epiſt. p. 325. ſeqq.* adſeverantes, Socratem, utpote Novatianum, adeoque poenitentiae hoſtem, puram putamque fabellam obtruſiſſe. Sed ſtet Socrati fides hac in re. Tria opportune diſpiciamus. Primum de presbytero poenitentia-

in Occidente autem ad ſaeculum VII., & alicubi ad

tiario, cur is, & quando fuerit inſtitutus. Secundum de matrona illa, quae crimina ſua poenitentiario confeſſa eſt; fueritne publica eius confeſſio, an ſecreta; utrum publicam, an privatam egerit poenitentiam. Tertium de facto Nectarii, utrum confeſſionem, an publicam poenitentiam abrogaverit; utrum laudem, an reprehenſionem mereatur. Quod ad primum, inquit Socrates, presbyterum poenitentiarium in eccleſia inſtitutum poſt Novatiani ſchiſma, & poſt Decianam perſecutionem, ut fideles delicta poſt baptiſmum admiſſa ei confiterentur. Ante Deciana tempora, cum minor eſſet chriſtianorum numerus, nec tam gravia & crebra delicta, ſolus Epiſcopus ad confeſſiones & poenitentiae negotium exſequendum ſufficiebat. Quod vero ad ſecundum, ait Socrates, matronam iſtam bis coram presbytero confeſſam. Prima confeſſio fuit omnium delictorum poſt baptiſmum admiſſorum, *μετα μερος ſigillatim* facta; ad quorum expiationem a presbytero iuſſa eſt ieiuniis & adſiduis orationibus vacare. Secunda fuit unius tantum criminis, puta ſtupri cum diacono habiti. Utraque confeſſio non publica, ſed ſecreta fuit. Socrates enim non ait, matronam illam accuſaſſe ſe coram populo, ſed coram presbytero. Eamdem porro matronam privatam egiſſe poenitentiam, vero propius eſt. Nihil enim Socrates prodit, unde illius poenitentiam fuiſſe publicam ſuſpicemur: quodque ieiuniis ac orationibus incumbere iuſſa eſt, accipi de privata ſatisfactione poteſt, quae domi & ſecreto peragebatur. Quod tandem ſpectat ad factum Nectarii, quaeritur, utrum is confeſſionem, an publicam poenitentiam ſuſtulerit. Morinus *lib. II. de poenit. cap. 9. n.5.* putat, *confeſſionem certorum peccatorum publicam, & publicam peccatorum ſecretorum poenitentiam* a Nectario ſublatas fuiſſe. Petavius *ad Epiphan. haereſ.* 59. cenſet, publicam tantum poenitentiam ab illo abrogatam, ſalva & incolumi remanente confeſſione. Scite Valeſius *not. ad Socrat. cit. loc.* nec confeſſionem, nec poenitentiam a Nectario ſublatas adfirmat, ſed presbyterum dumtaxat poenitentiarium ex albo eccleſiae ſuae deletum. Nec enim is interdixit fidelibus, ne quis in poſterum aut ipſum, aut alium ex presbyteris adiret, confitendorum criminum cauſſa: nec ſibi ipſi poteſtatem ademit, eos, qui publicum crimen admiſiſſent, a ſacris myſteriis arcendi, & ad publicam poenitentiam compellendi. Denique diſpenſativa & temporaria fuit ea Nectarii conſtitutio;

ad initium ſaeculi VIII. Tum publicis criminibus publica; privatis privata poenitentia impoſita eſt: unde nata regula in iure novo (53), *de peccatis publicis publice, de occultis occulte poenitendum*. Ceterum publicae poenitentiae fideles cuiuſque dignitatis ſuppoſiti ſunt, ut exemplo liquet Theodoſii Imp. (54); itemque clerici minores, monachi, qui diu laici fuerunt, & moniales. Tribus prioribus ſaeculis etiam maiores clericos publicae poenitentiae addictos, liquet ex Cypriano (55), Euſebio (56), Pſeudo-Clemente (57), Optato Milevitano (58), conciliis Illyberitano (59), & Neocaeſarienſi (60). Sed ii quarto vertente ſaeculo publica poenitentia ſubducti fuerunt: quod conficitur ex Baſilio (61), Siricio (62), Leone M. (63), Concilio Carthaginenſi V. (64), aliiſque (g).

§.VII. Haec canonicae poenitentiae diſciplina ſtabat adhuc in Oriente ſeptimo deſinente ſaeculo, ut ex Concilio Trullano (65) patet: deinde ſenſim defecit. In Occidente autem perſtitit ad initium ſaeculi XII.: tum deſueſcere paullatim coepit. Eius de-

(53) *Cap.* 1. ext. *de poenit. & remiſſ.* (54) Vid. Auguſtin. *de civit Dei lib. V. cap.* 26. (55) *Ep.* 19. 52. 59. 64. & 68. (56) *Lib. V. hiſt. eccleſ. cap. ult.* (57) *Can.* 30. *Apoſt.* (58) *Lib. I. contr. Puemen.* (59) *Can.* 20. (60) *Can.* 1. & 18. (61) *Can.* 3. (62) *Ep. ad Himer. Tarraconenſ.* (63) *Ep. ad Ruſtic. Narbonenſ.* (64) *Can. XI.* (65) *Can.* 87.

non enim lege in perpetuum victura id ſanxit, ſed ad tempus aliquod presbyterum illum removit, ob populi frementis indignationem; quod ex eodem Socrate, & Sozomeno Valeſius obſervat. Ceterum haec Nectarii conſtitutio non omnibus ſe probavit. Ea diſplicuit ipſi Socrati, qui ait, conceſſam exinde fuiſſe licentiam ſceleri, cum nemo poſthac vereretur, ne quis ipſum coram poenitentiario accuſaret.

(g) Conſ. Morinum, & Alexandrum *cit. loc.*

deſuetudinis cauſſae potiſſimum tres. Prima fuit poenitentiae canonicae commutatio cum laborioſo aliquo opere, quod eccleſiae bono cederet: unde ſub id tempus peccatoribus poenitentiae loco iniunctum, arma capere adverſus infideles, aut haereticos, item monaſteria cuſtodire, peregrinationes obire, certum ieiuniorum numerum perferre. Altera, commutatio poenitentiae cum eleemoſynarum diſtributione, & erogatione pecuniae in extruendam, inſtaurandamve eccleſiam, ac vero etiam reficiendos pontes, aut muniendas vias. Tertia fuit, communis fere theologorum ſaeculi XIII. opinio, poenitentias in foro conſcientiae arbitrio ſacerdotum decernendas eſſe: quo factum, ut poenitentiales canones, ſumma prudentia & aequitate conditi, non ſine eccleſiae malo deſueverint (*b*). Iam vero tantum ſollemnes canonicae poenitentiae ritus, & exterior poenitentialium canonum ſeveritas defecit, non etiam ipſa publica poenitentia. Haec enim vel poſt abolitos poenitentiae ritus ſtetit pro peccatis publicis; quippe quae praeſcribitur in canonibus apud Gratianum (*66*), in collectione Decretalium Gregorii IX. (*67*), & a Concilio Tridentino (*68*). Sane naturali & divinae iuſtitiae conſentanea eſt publica pro publicis criminibus poenitentia; & porro *etiam eccleſiae* ſatisfaciendum, ut ait Auguſtinus (*69*), hoc eſt, ii emendationis teſtimonio ad rectam vitae rationem revocandi ſunt, quos

 pec-

(66) *Cap. canonica inſtituta XI. q. 3.*, & *cap. ea vero*, & *id tamen*, *de poenit. diſt.* 1. (67) *Cap.* 1. *de poenit. & remiſſ.* (68) *Cit. ſeſſ.* 24. *cap.* 8. (69) *Enchiridii cap.* 65. *n.* 17.

(b) Vid. Morin. *lib. X. cap.* 16. & 25., ac Muratori. *diſſ. de redemtione peccatorum*, *& de indulgentiar. origine*, *tom. V. Antiq. Italic. medii aevi.*

peccator exemplo ſuo ad malos mores incitavit. Hinc Tridentinum (70) cavit, publicam poenitentiam remitti non poſſe, niſi iuſta aliqua de cauſſa, quam probare epiſcopus debet, expedire aliquando videatur, eam cum privata commutare (*i*).

§. VIII. Forma huius ſacramenti ſunt indicativa abſolutionis verba, quae ſacerdos profert *non nudum praeſtans miniſterium pronunciandi remiſſa eſſe peccata, ſed actum iudicialem exercens*,, ego te abſolvo ,, &c., *quibus de eccleſiae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur, quae ad ipſius tamen formae eſſentiam nequaquam ſpectant*, ut inquit Tridentinum (71). Graeci deprecativam formulam adhibuerunt, adhibentque adhuc, *ὁ Θεος συγχερηποι σοι*, *Deus remittat tibi*, ut ex eorum Euchologio (72). Latini etiam ab eccle-

(70) *Cit. ſeſſ.* 24. *cap.* 8. (71) *Seſſ.* 14. *cap.* 3. & 6.
(72) Vide Goar. *ad Eucholog. p.*676. *ſeqq.*, & Morin. *lib. VIII. de poenit. cap.* 12.

(i) Totum hoc de publica poenitentia argumentum, eius originem, gradus, proceſſus, ritus, relaxationem, aliaque, uberrime pertractant Morinus praeclaro opere *de ſacramento poenitentiae*, in quo exhibentur etiam plures veteres poenitentiales libelli cum Orientalis, tum Occidentalis eccleſiae, & in *exercitationibus eccleſiaſticis*, quibus potiſſimum agitur de poenitentiis & poenis clericorum, Petavius *libris VIII. de poenitentia publica, & praeparatione ad communionem*, item *not. ad Epiphan. haereſ.* 59., & in *Appendice ad Epiphanianas Animadverſiones, oppoſita Maturini Simonii diſpunctionibus de poenitentiae ritu veteri in eccleſia*, & in *diatriba de poenitentia & reconciliatione veteris eccleſiae moribus recepta, in notis ad Syneſium p.*60. & *ſeq.*, Sirmondus in *hiſtor. poenitentiae publicae*, Dartis *de canonica eccleſiae diſciplina circa ſacramenta, atque adeo poenitentiae*, Fileſacus in *ſyntagmate de poenitentia*. His adde Mabillon. *praeſ. in ſaec. III. Benedict. p.* 60. *ſeq.* Petitum *ad Poenitentiale Theodori Cantaurienſ.* Menardum *in Sacrament. Gregor.* Martene *de ritib. eccleſ.* Albaſpinaeum *lib. II. Obſ. cap.* 1. *ſeqq.*, alioſque.

cleſiae initiis ad ſaeculum XIII. deprecativa formula uſi, ut *remittat tibi Deus*, *abſolvat te Deus:* quod ex patribus, perantiquis pontificalibus, & liturgicis libris adſtruunt Morinus (73), Martenius (74), & Menardus (75). A ſaeculo X. praeter deprecativas obtinuerunt etiam indicativae formulae, *abſolvo te*, *remitto tibi*, & iſtiuſmodi aliae. Saeculo XII. ambae hae formulae a multis ſimul coniungebantur; ſed ita ut ſola indicativa eſſe abſolutio videretur, ceu patet ex Alexandro Alenſi (76). Tandem labente ſaeculo XIII. ſola indicativa formula a theologis legitima eſt habita, ac deprecativa reiecta, ut ex D. Thoma (77), & Franc. Mayrone (78) conſtat. Idem deinceps factum. Hinc indicativa formula a conciliis Florentino & Tridentino praeſcripta eſt, eiuſque ὕλη in verbis *abſolvo te* ab iis poſita. Iam quae olim apud Latinos valebat deprecativa abſolutionis formula, nunc non valet. Nempe integrum ſemper eccleſiae fuit, certas ſacramentis praeſcribere conditiones, quibus non ſervatis ſacramentum non conſiſteret.

§. IX. Olim, ſatisfactio praecedebat abſolutionem; voluerunt namque patres, ut peccatores, priuſquam reconciliarentur, Deum ſatisfactione placarent. Id apertis conſtat Cypriani (79), Paciani (80), Ambroſii (81), Innocentii I. (82), Leonis M. (83), aliorumque teſtimoniis. Idem adſtruunt quae de quatuor poe-

(73) *Cit. lib. VIII. cap.*8. *ſeqq.* (74) *Lib. I. de antiq. eccleſ. ritib. cap.* 6. *art.* 5. *ſeqq.* (75) *Not.* 667. *in Sacrament. Gregor.* (76) *Part IV. Summae quaeſt.* 21. (77) *Opuſc.* 12. *cap.* 2. (78) *In* 4. *diſt.* 18. (79) *Ep.* 10. 52. & 59.

(80) *Ep.* 1. *ad Sympronian.* (81) *Lib. II. de poenit. cap* 9.

(82) *Ep.* 1. *ad Decent. cap.* 7. (83) *Ep.* 91. *ad Theodor. Foroiulienſ. epiſcop.* Vide Martene *de antiq. eccleſ. ritib. lib. I. part. II. cap.* 6. *art.* 5. & Alexandrum *in ſaec.* 3. *diſſ.* 9.

poenitentiae gradibus ediximus, quum credendum non ſit, fideles Deo per abſolutionem iam reconciliatos ne conſiſtere quidem cum fidelibus in eccleſia potuiſſe. Quibuſdam vero caſibus ante emenſa poenitentiae ſpatia dabatur abſolutio, nempe ſi qui libellis martyrum commendarentur; ſi quam lapſi publice ederent Chriſto pii & obſequentis animi ſignificationem, eoque nomine aliquid paterentur; ſi mortis, vel magnum aliquod vitae periculum immineret; ſi quis poenitentium ad martyrium comparandus eſſet; ſi quid inde mali ab eccleſia amoveri, aut boni redundare in eam poſſe viderent patres: quae ſpecies extant apud Cyprianum (84), Innocentium I. (85), & Leonem M. (86). Quin peccata, quae poenitentia publica expiari opus non erat, ſtatim poſt confeſſionem dimittebantur, ut pluribus Morinus (87) oſtendit. Haec ſatisfactionis abſolutioni praemittendae diſciplina viguit in Oriente ad Nectarium uſque, qui quarto deſinente ſaeculo vixit; ex quo enim Nectarius presbyterum poenitentiarium ſuſtulit, continuo poenitentes abſolvebantur, & pro conſcientia ſua ad euchariſtiam accedebant, ut ex Socrate (88), & Chryſoſtomo (89) patet. In Occidente autem circa ſaeculum VI. abſolvi poenitentes coeperunt ſtatim poſt confeſſionem: quod ex S. Eligio Noviomenſi epiſcopo (90), Bonifacio Moguntino (91), Iona Aurelianenſi (92), aliiſque conſtat. Porro de divino prae-

ce-

(84) *Lib. de lapsis*, & *ep.* 20. 52. & 54. (85) *Cit. ep. ad Decent.* (86) *Cit. ep.* 91. (87) *Lib. IX. de poenit. cap.* 14.
(88) *Lib.* 5. *hiſt. eccleſ. cap.* 19. (89) *Lib. II. de compunctione ad Stelechium*, *hom.* 5., aliiſque paſſim locis.
(90) *Hom.* 13. (91) In Statutis ſuis *cap.* 31. (92) *Lib I. de inſt. laic. cap.* 10. Vide plura apud Martene *cit. cap.* 6. *art.* 5. & Milante *in propositiones damnatas ab Alexandro VIII. n.* 16. & 18.

cepto, adeoque ſacramentis ὄντα non eſt, ut ſatisfactio abſolutionem praeeat; quod hactenus dicta luculenter oſtendunt. Hinc iure Alexander VIII. (93) proſcripſit dicteria haec quorumdam theologorum, quibus Petrus Oxomenſis theologus Salmaticenſis an. 1479. praeivit, nempe *ordinem praemittendi ſatisfactionem abſolutioni lege Chriſti inſtitutum: modernum autem uſum, qui abſolutionem antevertit, ab eccleſia haberi pro abuſu*. Sane eiuſmodi Chriſti praeceptum nuſpiam extat; idque eccleſiae iudicio delatum eſt. Quem vero illi *modernum* uſum adpellant, ſatis antiquum eſſe, ex dictis proclive conficitur.

§. X. Miniſter poenitentiae eſt ſolus epiſcopus, aut presbyter, non diaconus (*k*), multoque minus lai-

(93) *Num.* 16., & 18.

(k) Diaconis ſolvendi & ligandi poteſtatem adſerere videntur veteres complures, quorum teſtimonia congerunt & explicant Martene *de antiq. eccleſ. ritib. lib. I. cap.* 6., Card. Daguirrius *tom. I. Concil. Hiſpan. p.* 729., aliique. Negotium in primis faceſſit Cyprianus *ep.* 13. *ad presbyteros & diaconos Carthagin.*, ubi permittit lapſis in mortis diſcrimine poſitis, epiſcopo, ac presbyteris abſentibus, *apud diaconum exomologeſim facere delicti ſui*. At Cyprianus non loquitur de abſolutione *ſacramentali*, quae reum crimine abſolvit, quaeque tota eſt ordinis, ſed de abſolutione *caeremoniali*, ſeu reconciliatione poenitentium, quae poenitentem abſolvit legibus publicae poenitentiae, quaeque, quum tota ſit iuriſdictionis, recte poterat diacono demandari, ut & hodie mandari abſolutio a cenſuris poteſt: quod adverſus Morinum *lib. VIII. de poenit. cap.* 23. ſcribentem poenitentiae ſacramentum a diaconis adminiſtratum, probat Nat. Alexander *in ſaec. III. diſſ.* 4. Sane vox *exomologeſis* non ſemper apud patres ſignificat ſacramentalem confeſſionem, ſed interdum ritum illum externum, publicae poenitentiae complementum, quo poenitentes proſtrati & flentes delictum confitebantur, veniam petebant, & eccleſiae reconciliari, iterumque ad ſacramenta admitti poſtulabant,

ut

laicus (*l*): quod definivit Tridentina Synodus (94). Sane

(94) *Cit. ſeſſ. 14. cap. 6.*

ut ex Tertulliano & eodem Cypriano demonſtrant Petavius *ad Epiphan. haereſ.* 59., Albaſpinaeus *lib. II. obſ.* 26., & Monachus Benedictinus *praefat. ad Opera S. Cypriani*. Haec publica exomologeſis, ſi neceſſitas urgeret, & abeſſet ſacerdos, excipi a diacono poterat, ab eoque publici poenitentes eccleſiae reconciliari.

(l) Laicis etiam confeſſionem faciendam eſſe, urgente neceſſitate, & deficiente ſacerdote, veteres theologi, & canoniſtae ſcripſerunt. Auctor libri *de vera & falſa poenitentia cap.* 10., inter opera Auguſtini, inquit: *Si deeſt ſacerdos, confiteatur proximo:* unde deſcriptus eſt textus in *can. qui vult, de poenit. diſt.* 6., ubi eadem ſententia producitur. Hinc Petrus Lombardus *in* 4. *diſt.* 17. colligit, *peccata primum Deo, deinde ſacerdoti eſſe confitenda, & si ipſe defuerit, etiam ſocio.* Inde etiam concludit Petrus Cantor *in Summa de ſacramentis p.* 203., *quod in neceſſitate confitendum eſt laico, ſi ſacerdos deſit*. B. Thomas *Supplem. quaeſt.* 8. *art.* 2. docet, *in neceſſitate etiam laicum vicem ſacerdotis ſupplere, ut ei confeſſio fieri poſſit.* Similia tradunt S. Bonaventura *in IV. diſt.* 17. *part.* 2., S. Raymundus *lib III. de poenit.* §. 20., aliique permulti apud Morinum *cit. lib. VIII. cap.* 24. & Martene *cit. lib. I. cap.* 6. Ex canoniſtis, Oſtienſis *lib. V. Summae tit. de poenit. & remiſſ. n.* 14. ſcribit, *si immineat neceſſitatis articulus, & deeſt ſacerdos, quemlibet poſſe etiam laico, vel etiam mulieri, si non adsit alius, confiteri*. Verum huiuſmodi confeſſio nec *ſacramentalis* erat, nec ad ſalutem neceſſaria, eamque veteres commendarunt & probarunt ob poenitentis fidem, verecundiam, & humilitatem, unde facile oritur contritio. Sane ea confeſſio *ſacramentalis* eſt, quae fit legitimo miniſtro, ut inde abſolutio a peccatis accipiatur: quumque legitimus miniſter ſit ſolus ſacerdos, ea tantum confeſſio, quae ſit ſacerdoti, ſacramentalis eſt. Id ipſi docent laudati ſcriptores, qui confeſſionem laicis factam commendarunt. Sic Auctor libri *de vera & falſa poenit.* haec ſubdit: *Saepe contingit, quod poenitens non poteſt confiteri coram ſacerdote, quem desideranti nec locus, nec tempus offert: & si ille, cui confitebitur, poteſtatem ſolvendi non habet, fit tamen dignus venia ex desiderio ſacerdotis, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis*. Eadem prorſus verba repe-

Sane tantum Apoſtolis & ſacerdotibus ſolvendi & ligandi poteſtatem Chriſtus contulit (95). Hos ſolos poenitentiae miniſtros pronuntiant Cyprianus (96), Baſilius (97), Chryſoſtomus (98), Ambroſius (99), ceterique patres. Prioribus ſeptem ſaeculis ſoli epiſcopi poenitentias, maxime publicas, imponebant, moderabantur, tandemque poenitentes reconciliabant. Hoc vertente tempore presbyteri poenitentes reconci-

(95) *Io. XX.*, *Matth. VIII.* (96) *Lib. de lapsis*, *ep. ad Cornel.*, & *ep. 69. ad Florent.* (97) *In regulis breviorib. n.228.* (98) *Lib III. de ſacerdotio cap.5.* (99) *Lib.I. de poenit cap.2.*

petit Petrus Lombardus *cit. loc.* Idem habet S. Thomas, qui aſſerit, confeſſionem laico factam eſſe aliquo modo ſacramentalem, quia cum ſacramenti voto coniuncta eſt, non autem perfectum ſacramentum, nec gratiam producere ex opere operato, adeoque coram ſacerdote repetendam. Ita *cit. art.2.* ait, quod in confeſſione laicis facta *non eſt aliquid ex parte miniſtri, ſcilicet abſolutio; & ſatisfactionis iniunctio*, ſed tantum quod ad ſacramentum requiritur ex parte poenitentis, nempe *contritio, & confeſſio*. Idem *in reſponſ. ad tertium* haec ſcribit: *Quamvis ille, qui laico confeſſus eſt in articulo neceſſitatis, conſecutus ſit veniam a Deo, eo quod propoſitum confitendi, ſecundum mandatum Dei, quod concepit, ſicut potuit, implevit; non tamen adhuc eccleſiae reconciliatus eſt, ut ad ſacramenta eccleſiae admitti debeat, niſi prius a ſacerdote abſolvatur: ſicut ille, qui baptiſmo fluminis baptizatus eſt, ad euchariſtiam non admittitur: & ideo oportet, quod iterum confiteatur ſacerdoti, cum copiam habere potuerit, & praecipue quia, ut dictum eſt, ſacramentum poenitentiae perfectum non fuit.* Pariter S. Bonaventura *cit. loc.* ſcribit: *Non fit ſocio, ut ſuppleatur locus ſacerdotis, vel ut confeſſio ſacramentum ex hoc habeatur; ſed ut voluntas confitentis probetur, & innoteſcat, ut totum quod in ſe eſt faciat.* Similia habent alii. Morem hunc aperiendi peccata laico, urgente mortis diſcrimine, ac ſacerdote deficiente, ad initium ſaeculi XV. ſtetiſſe, liquet ex Gulielmo Lyndewode, qui per id fere tempus gloſſas ad Conſtitutiones Angliae ſcripſit, *ad tit. de ſacramentis iterandis, vel non*, voc. *poenitentia p. 32.* Deinde paſſim deſuevit, tandemque prorſus defecit.

ciliabant aut urgente neceſſitate, aut epiſcopi venia. Tantum eos, qui publicam occultorum criminum poenitentiam egerant, inſciis quoque epiſcopis reconciliabant presbyteri. Saeculo VIII. publica occultorum criminum poenitentia prorſus ſublata, *occultorum* criminum poenitentia presbyteris magis deferri coepit; *publicorum* vero epiſcopis reſervata. Tandem ſaeculo XIII. protruſa a theologis ſcholaſticis poenitentiae diſtinctione in *privatam*, *publicam*, & *ſollemnem*, auctoritas presbyteris data eſt publicam etiam poenitentiam imponendi pro peccatis publicis ſine epiſcoporum venia, & epiſcopis *ſollemnis* tantum poenitentia reſervata eſt. Porro ad ſaeculum uſque XIII. poenitentiam adminiſtrarunt non omnes promiſcue presbyteri, ſed tantum *proprii ſacerdotes*, ſeu *parochi*, quos tamquam ſubſidiarios gerendae animarum curae epiſcopi adlegerant, uti conſtat ex Innocentio III. (100), & Gregorio IX. (101). At exortis hoc & ſequenti ſaeculo Mendicantibus, Romani pontifices poteſtatem iis poenitentiae adminiſtrandae fecerunt. Primus omnium Gregorius IX. an. 1227. Fratribus Dominicanis conceſſit *inauditum privilegium*, *hoc etiam ipſis temporibus novum* excipiendi fidelium confeſſiones, uti ſcribit Matthaeus Pariſienſis (102). Tum ampliſſima in hac re privilegia Regularibus elargiti ſunt Bonifacius VIII. (103), Clemens V. (104), & Pius V. (105). Tandem exemplo Regularium ſaecularibus presbyteris, nullam animarum curam habentibus, confeſſionum excipiendarum poteſtas facta eſt.

§. XI.

(100) *In cap.* 12. ext. *de poenit. & remiſſ.* (101) *Cap. ult. eod.* (102) *Ad an.* 1246. (103) *Extravag. ſuper cathedram, de ſepulturis, int. commun.* (104) *Clement. dudum, eod. tit.* (105) *Conſt. etsi Mendicantes.*

§. XI. Iam presbytero cum ſaeculari, tum regulari excipere confeſſiones non licet, *niſi aut parochiale beneficium, aut ab epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quae gratis detur, obtineat, privilegiis, & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus*, uti decrevit Tridentina Synodus (106). Itaque parochi iure ordinario, hoc eſt beneficii paroecianorum ſuorum confeſſiones audiunt; quippe nequit commiſſa animarum cura exerceri ſine iuriſdictione. Quumque id parochis liceat tantum ratione beneficii, ob quod in ſolos fideles territorii ſui iuriſdictionem conſequuntur, nequeunt extra fines paroeciae confeſſiones excipere, ſi epiſcopi curam animarum demandantes facultatem ad commiſſum gregem coarctent; ſecus ſi nulla utantur limitatione, aut alias beneficium adeptus abſolute ad confeſſarii munus pro amplitudine dioeceſeos ſit adprobatus. Quod ſi parochus dimiſſione beneficii, aliave cauſſa curam animarum a ſe abiecerit, iure confeſſionum exaudiendarum excidit, niſi illud alia adprobatione obtinuerit. Porro presbyteri, & regulares ad confeſſiones valide excipiendas, excepto mortis periculo, adprobatione epiſcopi egent; quae aut per examen fit, ſi ita illi videbitur, aut ſine examine, ſi alias idonei iudicentur. Vetera hac in re privilegia regularibus conceſſa revocarunt Tridentina Synodus (107), & Romani pontifices Pius IV. & V., Gregorius XV., Urbanus VIII., & Alexander VII. Tantum regularibus licet aliorum fratrum confeſſiones excipere ſuperiorum ſuorum venia.

§.XII.

(106) *Seſſ.* 25. *de ref. cap.* 25. (107) *Cit. loc.*, & *ſeſſ.* 23. *cap.* 15.

§. XII. Subiecti poenitentiae ſunt chriſtiani, vel quovis poſt baptiſmum ſcelere foedati. Eccleſiam peccatorum omnium dimittendorum poteſtate divinitus inſtructam, nullumque adeo peccatum irremiſibile dari, catholica fides docet. Ea inde uſque a primordiis hac poteſtate nullo peccatorum diſcrimine uſa eſt. Paullus (108) Corinthio inceſtuoſo pacem dedit; Ioannes (109) Thyatirenos ſtupris & fornicationibus inquinatos ad poenitentiam hortatur. Idem homicidae veniam dedit, teſte Euſebio (110). Nullum prorſus peccatum dari, quod poenitentia elui, & remitti ab eccleſia non poſſit, oſtendunt Cyprianus (111), Pacianus (112), Ambroſius (113), Auguſtinus (114), ceterique patres. Oborta Novatianorum haereſi, denegantium eccleſiae poteſtatem dimittendi peccata poſt baptiſmum admiſſa, eam damnavit Cornelius papa coacto Romae Concilio LX. epiſcoporum an. 251., collectis etiam adverſus Novatianos ſententiis epiſcoporum, qui Romanae Synodo non interſuerant, per *Italiam*, *&* *Africam*, *aliorumque locorum provincias*, ut Euſebius (115) ait. A tertio autem ſaeculo ad haec tempora haereſim Novatianorum conſtanter eccleſia exſecrata eſt. Num vero extiterit aliquando diſciplina, ut atrociorum quorumdam criminum reis, maxime moechis, homicidis, & apoſtatis, abſolutio vel in exitu vitae denegaretur, impeditiſſima quaeſtio eſt. Adfirmant

Pe-

(108) 2. *ad Corinth.* 2. *v.* 7. (109) *Apocalypſ. cap.* 2.
(110) *Lib. III. hiſt. eccleſ. cap.* 23. (111) *Ep.* 52. *ad Antonian.* (112) *Ep.* 1. *&* 3. *ad Sympronian.* (113) *Libris duobus de poenitentia.* (114) *Lib. de agone chriſtiano cap.* 31., *ep.* 93. *ad Vincent.*, *lib. I. de ſermone Domini*, aliiſque locis.
(115) *Lib. VI. hiſt. eccleſ. cap.* 43. Conf. Pagium in *Critic. Baronian. ad an.* 252. *n.* 26.

Petavius (116), Sirmondus (117), Morinus (118), Albaſpinaeus (119), Lupus (120), aliique. Contra nunquam eccleſiae patres eo ſeveritatis elapſos, ut ſinerent aliquem ſine reconciliatione perire, propugnant prae ceteris Nat. Alexander (121), Card. Urſius (122), & Bertius (123). In has tricas nunc me coniicere, inſtituti mei ratio non patitur. Digitum intendiſſe ad fontes ſat habeo.

§. XIII. Nunc de eccleſiaſtico annuae confeſſionis praecepto. Tempus annuae confeſſionis praeſcripſit Synodus Lateranenſis ſub Innocentio III. an. 1215. (124). Haec cavit, *ut omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia peccata ſua ſaltem ſemel in anno confiteatur proprio ſacerdoti*, ab eoque *ſuſcipiat ad minus in paſcha eucbariſtiae ſacramentum*; ſecus *vivens ingreſſu eccleſiae arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura. Si quis autem alieno ſacerdoti voluerit, iuſta de cauſſa, ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio ſacerdote, cum aliter ille ipſum non poſsit ſolvere, vel ligare*. Inter omnes convenit, nomine *proprii ſacerdotis* hic deſignari parochum, cui paſchalis peccatorum confeſſio facienda eſt; quod multis adſtruit Launoius (125). Hoc parochorum ius ſalvum & incolume eſſe voluerunt Romani pontifices, qui confeſſionum excipiendarum privilegium Mendicantibus in-

(116) *Ad Epiphan. haereſ.* 69. (117) *Hiſt. public. poenit.* (118) *Lib. X. de poenit. cap.* 1. (119) *Lib. II. obſ.* 8. 9. 12. 15. & (120) *In can.* 13. *Nicaen.* (121) *In ſaec.* 3. *diſſ.* 7. (122) *Diſſ. hiſtoric. de capitalium criminum abſolutione*. (123) *De theologic. diſcipl. lib. XXIV. can.* 9. (124) *Cap. omnis utriuſque ſexus* 12., *ext. de poenit. & remiſſ.* (125) Libro inſcripto, *traditio eccleſiae explicata circa canonem* „omnis utriuſque ſexus„ *tom. I. Opp. p.* 244. *ſeqq*

duſſerunt, nominatim Martinus IV. (126), & Sixtus IV. (127). Num vero Lateranenſis Synodus nomine *proprii ſacerdotis* ita parochum intellexerit, ut huic tantum, non alteri, quamvis ab epiſcopo adprobato, fas ſit paſchali tempore peccata confiteri, non idem omnibus ſedet. Pro neceſſitate annuae confeſſionis proprio parocho facienda dimicant Launoius (128), Iuenin (129), Eſpenius (130), aliique, negantes in Lateranenſi canone *proprii ſacerdotis* nomine alium a parocho intelligi poſſe. Contra Natalis Alexander (131), Tournelius (132), Boucat (133), Bertius (134), aliique tuentur, Lateranenſe Concilium nomine *proprii ſacerdotis* intellexiſſe non parochum modo, ſed & ſummum pontificem, epiſcopum, omneſque ab his deputatos; quorum ille in univerſa, hic in propria eccleſia eſt proprius ſacerdos, qui fidelium confeſſiones excipere, poteſtatemque illas excipiendi delegare aliis poſſunt. Profecto ſi ex Lateranenſi decreto in paſchate confiteri alieno ſacerdoti poſſumus venia *proprii ſacerdotis*, ſeu parochi; multo magis fieri id poteſt licentia epiſcopi, cui in paroeciis ſuae dioeceſeos plena eſt auctoritas, cuius nutu omnia in eccleſia gerenda ſunt, & ipſi parochi veluti ſubſidiarii ſunt in gerenda animarum cura, nec eius iura & poteſtatem Synodus imminutam voluit, Porro in eodem canone *proprius ſacerdos* dicitur is, ſine cuius licentia confeſ-

(126) *Conſt. ad uberes fructus an.* 1281. *edita.* (127) *Extravag. vices illius* 2., *de tregua & pace int. commun.*

(128) *Cit. lib.* (129) *De ſacram. diſſ.*6. *q.* 5. *cap.*4. *art.*3.

(130) *Iur. eccleſ. part. II. tit.* 6. *cap.* 5. (131) *In ſaec.*13. & 14 *diſſ.* 4. (132) *De poenis quaeſt.*6. *art* 3. (133) *Diſſ.* 1. *de poenit. inſtit. art.* 6. *ſect.* 3. (134) *De theologic. diſciplin. lib.* XXXIX. *cap.* 6. *prop.* 4

feſſarius nequit aliquem ſolvere vel ligare. Numnam debet epiſcopus in dioeceſi ſua veniam petere a parocho, ſicque ſuperior ab inferiori pendere? Sunt ergo epiſcopi *proprii ſacerdotes*, qui poſſunt in paroeciis confeſſiones audire, poteſtatemque earum excipiendarum aliis communicare. Tandem Ioannes XXII. (135) an. 1321. proſcripſit ſententiam Ioannis de Poliaco doctoris Pariſienſis, aientis irritas eſſe confeſſiones paſchali tempore regularibus factas. Tum Leo X., Paullus III., Paullus IV., Clemens VIII., Clemens X. aliique pontifices pronuntiarunt, eos qui confitentur regularibus *ſimpliciter* adprobatis, Lateranenſi canoni ſatisfacere. Non eadem vero de confeſſione, atque communione ratio eſt. Satisfacit enim annuae confeſſionis praecepto, qui confitetur alii, quam proprio parocho; non item annuae communionis, quae in propria parochia percipienda eſt: quod diſerte Clemens VIII. (136), & Clemens X. (137) expreſſerunt. Ceterum paſchale tempus in Lateranenſi canone, intra quod annuae confeſſionis & communionis praecepto ſatisfaciendum eſt, ſpatio quindecim dierum intercludi, nempe a dominica palmarum ad dominicam in Albis, declaravit Eugenius IV. (138).

C A P. VII.

De extrema unctione.

§. I. Sacramentum hoc Latinis adpellatur *oleum*; *oleum ſanctum*, *oleum infirmorum*, & vulgo

(135) *Extravag. vas electionis* 2., *de haeretic.* (136) *Conſt. ſuprema an.* 1670. *edita.* (137) *Conſt. adverſus quoſdam Galliarum parochos an.* 1592. *edita.* (138) *Conſt. ſide digna* 20., *in Bullar. Rom.*

extrema unctio: quod nomen ſaeculo XIII. a ſcholaſticis procuſum, notat Mabillonius (1). Graecis etiam dicitur *ἅγιον ἔλαιον ſanctum oleum*, *εὐχέλαιον oratio unctioni olei coniuncta*, *ὑστεραχρῖσις poſtrema unctio*. Definitur *ſacramentum, quo gratia confertur, delicta, eorumque reliquiae abſtergentur, ac alleviantur infirmi*. Extremam unctionem verum eſſe novae legis ſacramentum, *a Chriſto apud Marcum quidem inſinuatum, per Iacobum autem Apoſtolum fidelibus commendatum, ac promulgatum*, definivit Tridentina Synodus (2) (*a*). Verba Marci (3) de Apoſtolis a Chriſto ad praedicandum miſſis ſunt: *Et ungebant oleo multos infirmos, & ſanabant*. Verba vero Iacobi (4): *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros eccleſiae, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei*. Conſulto Tridentini antiſtites ſacramentum hoc *apud Marcum inſinuatum*, hoc eſt praemonſtratum, aiunt, ne qua inureretur nota theologis perhibentibus, unctionem illam Marco memoratam non *ſacramentalem* eſſe, ſed *medicinalem*, reddendae ſcilicet corporibus ſanitati adhibitam, propterea quod tunc Apoſtoli ſacerdotes non erant, & aegros omnes, etiam non baptizatos, inungebant. Eiuſmodi ſacramentum

(1) *Praef. in ſaec. 1. Benedict. n. 98.* (2) *Seſſ. 14. extrem. unct. cap. 1.* (3) *Cap. 6. v. 13.* (4) *Epiſt. catholic. cap. 5. v. 14. & 15.*

(a) Improbo niſu Io. Dallaeus *de unctione extrema* hanc e ſacramentorum numero extrudere adlaboravit. At eum ſtrenue profligavit Iac. Sambovius *de ſacramento extremae unctionis*. Idem catholicorum dogma theologi noſtri copioſe adverſus haereticos vindicant.

tum forte inſtitutum eſt ſpatio quadraginta dierum, quibus Chriſtus a mortuis excitatus cum diſcipulis verſatus eſt, quo tempore *magna ſunt revelata myſteria*, ut inquit Leo M. (5).

§. II. Remota ſancti olei materia eſt merum oleum ex baccis olivarum expreſſum: quod ex iis Iacobi, *ἀνειψαντες ἀυτον ἐλαιω*, *ungentes eum oleo*, colligunt Innocentius I. (*6*), & Tridentinum (7). Oleo nec balſamum, nec alius liquor admiſcendus eſt; quum nulla permixtionis mentio fiat iu patrum ſcriptis, Latinorum Ritualibus, & Graecorum Euchologiis (*b*). Ex antiquiſſima eccleſiae diſciplina oleum infirmorum benedici ab epiſcopo debet, ut ex Cyrillo (8), Innocentio I. (9), Gregorio M. (10), aliiſque conſtat. Apud Latinos conſecratur oleum ab epiſcopo tantum in Coena Domini, & inter parochos diſtribuitur. Ita S. Udalricum Auguſtanum epiſcopum in Coena Domini oleum infirmorum conſecraſſe, refert Gerardus presbyter (11). Apud Graecos eodem etiam die oleum hoc epiſcopus conſecrat; ſed mox ungendis in peccatorum expiationem clericis & laicis inſumitur: tum, ſi qui ungendi ſunt,

 in

(5) *Serm. 1. de Adſcenſ. cap. 2.* (6) *Ep. ad Decent.* (7) *Cit. loc.* (8) *Myſtagogia 2.* (9) *Cit. ep.* (10) *In Sacrament.* (11) *In eius vita*, apud Mabillon. *in ſaec. 5. Benedict. p.* 444.

(b) Sunt qui infirmorum oleo balſamum olim admixtum colligunt ex Innocentio I. *cit. ep.*, ubi materiam huius ſacramenti eſſe ait *oleum chriſmatis*. At *chriſma* apud Innocentium eſt merum oleum infirmorum. Quamvis enim veteribus *chriſma ἀντονομαστικως* olei & balſami permixtio ſit dicta; quandoque tamen eo nomine adpellarunt omne unguentum ſeu liquorem, quo corpus inungitur, quum *χριω* nihil aliud ſonet, quam *ungo*.

in ſingulas vices a parocho conſecratur, ut ex eorum Euchologio (12). Poſſe presbyteros Romani pontificis auctoritate ſanctum oleum conſecrare, ne ambigas. In Occidente autem eos aliquando conſecraſſe, nullo idoneo adſtruitur teſtimonio. At in Oriente a mille circiter annis obtinuiſſe, ut presbyteri ſanctum oleum conficerent, teſtantur Io. Nathanaël (13), & Allatius (14): quam Graecorum conſuetudinem confirmarunt Clemens VIII. (15), & Benedictus XIV. (16).

§.III. Proxima vero materia eſt ipſa unctio. Nullam certam corporis partem inungendam Iacobus expreſſit. Hinc varia fuit eccleſiarum diſciplina de qualitate ac numero partium liniendarum, ita ut aliquando una, aliquando plures, nec eaedem in omnibus eccleſiis partes inungerentur: quod diverſa evincunt Ritualia & Sacramentaria, a Launoio (17), Morino (18), Martenio (19), & Menardo (20) producta. Graeci nunc perungunt *frontem*, *mentum*, *ambas genas*, *pectus*, *manus ex utraque parte*, & *pedes*, teſte Arcudio (21). Apud Latinos olim *pectus* dumtaxat inungi conſueviſſe, ex Auctore vitae S. Eugendi (vixit ſanctus iſte vir ſaeculo VI.) colligit Mabillonius (22). Sub exitum ſaeculi ſexti invaluit, plures liniri corporis partes. Inter has in pluribus ec-

(12) Vid. Goar. *ad Euchelog. not.* 22. *p.* 436. (13) *Ep. ad epiſcopum Anagninum*. (14) *De conſenſ. Occid. & Orient. eccleſ. lib. III. cap.* 16. (15) *Inſtructione ſuper aliquib. Graecor. ritib. edita an.* 1595. (16) Conſt. *etſi paſtoralis* 57. §.4., *eius Bullar. tom. I. p* 172. (17) *De ſacramento unctionis infirmor.* (18) *In Appendic. ad tractat. de poenitentia*.

(19) *De antiq. eccleſ. ritib. tom. I. lib. I. cap* 7. *art.* 4.

(20) *In Sacramentar. Gregor.* (21) *Lib. V. Concord. cap.* 7.

(22) *Cit. praef. in ſaec.* 1. *Benedict. n.* 97.

eccleſiis fuit, quae vehementiori dolore torquebatur, ut ex codice Tilliano, Turonenſi, aliiſque permultis, praeſertim ante Florentinum concilium exaratis, elucet. Poſt hanc Synodum eiuſmodi unctio paſſim deſiit eam ob cauſſam, ne potius ad corporis, quam animae medelam adhiberi ſacramentum videretur. Nunc ſeptem unguntur partes, *oculi*, *aures*, *nares*, *os*, *manus*, *pedes*, & *renes*, uti concilium Florentinum (23), Tridentinum (24), & Rituale Romanum praeſcripſerunt. Unctio renum in feminis ſemper honeſtatis gratia omittitur; in viris etiam, quando ob morbi languores commode moveri nequeunt. Manus autem ſacerdotibus exterius inungendas, monet Rituale Romanum; quod incongruum ſit, eos, qui ſacerdotes ab epiſcopo in manuum vola ſacro oleo conſecrati ſunt, ibidem a presbytero deliniri. Porro unica ſufficit unctio, ſi omnes perfici nequeant: quod & recentiora localium eccleſiarum Ritualia, ut Pariſienſe, Mechlinienſe, & Cameracenſe, habent. Ceterum unctio fit *intincto ſacerdotis pollice*, ut Rituale Romanum, vel *intincta virgula in oleum ſacrum*, uti Manuale Cameracenſe, aliaque perhibent.

§. IV. Forma huius ſacramenti a Chriſto in *ſpecie*, ſeu certis verbis praeſcripta non eſt, ſed eccleſiae arbitrio relicta. Ea olim indicativa fuit, *unge te* &c., ut ex vetuſtis Ritualibus, & monumentis conſtat apud Launoium (25), Martenium (26), Menardum (27), alioſque. Interdum formulam partim indicativam, partim deprecativam Latini uſurparunt, quae exhibetur in Sacramentario Gregorii M. Sed

K 4 iam

(23) *Inſtruct. ad Armen.* (24) *Cit. loc.* (25) *Cit lib. cap.* 2. & 3. (26) *Cit lib. I. cap. 7. art. 3. n. 9.* (27) *In cit. Sacramentar. admot.* 912.

ſam ab aliquot abhinc ſaeculis Latina eccleſia deprecativa hac utitur formula: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſsimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, olfactum, guſtum, & tactum;* quam proponunt Concilium Florentinum (28), & Tridentinum (29). Ea magis congruit Iacobi verbis, *& orent* (presbyteri) *ſuper eum, ungentes eum oleo ... & oratio fidei ſalvabit infirmum;* quibus unctio, & oratio exprimitur, quorum illa materiae, haec formae rationem praeſefert. Quod vero Tridentini patres deprecativam hanc formulam praeſcribentes, indicativam expreſſe non reiecerunt, hinc factum videtur, ut vel poſt Tridentina comitia nonnulli epiſcopi deprecativam formam diu retinuerint, ut apud Launoium (30) videre eſt. Graecorum forma deprecativa quoque eſt, quae licet iiſdem Latinae formulae verbis concepta non ſit, eodem tamen redit, ut ex eorum Euchologio (31) liquet.

§. V. Miniſter ſupremae unctionis divino iure eſt ſolus epiſcopus, aut presbyter, uti definivit Tridentinum (32). Id liquet ex iis Iacobi, προσκαλεσάσϑω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, *inducat presbyteros eccleſiae:* quo nomine ſacerdotes ſignificari, conſentiunt Origenes (33), Victor Antiochenus (34), Chryſoſtomus (35), ceterique patres. Nec ambigendum, eodem nomine epiſcopos quoque a Iacobo comprehendi, quum & ipſi presbyteri ſint: quod aperte docet Innocentius I. (36). Diaconis numquam licuit ſa-

(28) *Cit. loc.* (29) *Ibid.* (30) *Cit. loc.* (31) Conf. Arcudium *lib. V. Concord. p.* 393. (32) *Cit. ſeſſ.* 14. *can.* 4.
(33) *Hom.* 2. *in Levit.* (34) *In cap.* 6. *Marci.* (35) *Lib. III. de ſacerdotio*, & alibi. (36) *Ep. ad Decent. cap.* 8.

ſacramentum hoc adminiſtrare (*c*), multoque minus laicis (*d*). Quamvis autem ſuprema unctio a quovis ſacerdote valide conferatur, eam tamen adminiſtrare ſoli parocho licet, qui ordinarius eius miniſter eſt, aut illi, cui munus hoc parochus delegavit. Hinc Clemens V. (37) anathemate ipſo facto pertulit *religioſos*, qui *ſine parochialis presbyteri licentia ſpeciali* clericis aut laicis extremam unctionem conferre praeſumunt. Quod ſi mors inſtet, & parochus abſit, licet cuique presbytero, ac religioſo iam iam moriturum inungere, quin hic excommunicationem ſubeat a Clementina indictam; haec enim cohibendis parochialium iurium temeratoribus perlata eſt, quibus in caſu neceſſitatis nulla iniuria, praeiudicium nullum affertur. Hinc S. Carolus (38) cavit, ut parocho impedito, aut moras agente, & inſtante mortis periculo, ſacramentum hoc *ſacerdos alius miniſtret*.

§.VI. Num vero ad hoc ſacramentum valide conferendum unus presbyter ſufficiat, an plures requiran-

(37) *Clement.* 1. *de privileg.* (38) *In Concilio Mediolanenſi V. part. I. tit. II.*

(c) Launoius *cit. lib. cap.* 2. *obſ.* 2. ſcribit, datum aliquando diaconis infirmos urgente morte inungere. At eum hac in re lapſum oſtendit Bertius *cit. loc. cap.* 8. *prop.* 3.

(d) Chriſtianis omnibus poteſtatem ſe, alioſque infirmos inungendi, adſerere videtur Innocentius I. *cit. ep. ad Decent.* his verbis: *Quod* (oleum ſanctum) *ab epiſcopo confectum non ſolum ſacerdotibus, ſed & omnibus uti chriſtianis licet, in ſua, aut ſuorum neceſſitate ungendo*. At Innocentium non de *activa*, ſed *paſſiva unctione*, hoc eſt, non de collatione, ſed receptione huius ſacramenti loquutum, ita ut ſenſus ſit, non ſacerdotes modo, ſed & fideles omnes, cum infirmantur, inungendos eſſe, probat Couſtantius *not. ad cit. ep. tom. I. epiſt. Rom. pontif. col.* 863.

rantur, ambigi videtur poſſe ob verba Iacobi, *inducat presbyteros eccleſiae, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo*. Sed omne amovit dubium Innocentius III. (39), qui illud ab uno ſacerdote valide conferri decrevit. Nec ullum divinum praeceptum continet pluralis numerus apud Iacobum, qui verbis *presbyteros eccleſiae* ſignificavit aliquem ex presbyteris eccleſiae; in ſacris enim litteris ſaepe per *ἐναλλαγὴν permutationem* pluralis numerus pro ſingulari ponitur, ut multis collatis exemplis oſtendit Auguſtinus (40). Quod vero Iacobus plurali numero *presbyteros* expreſſit, vetus hinc enata eccleſiae diſciplina, plures aegris inungendis ſacerdotes advocandi. Septem adhibent Graeci, ut ex eorum Euchologio. Eius numeri rationes & cauſſas aperit Arcudius (41). Latini quoque plures olim adhibuerunt ſacerdotes in eam rem, ut ex Sacramentario Gregorii, aliiſque vetuſtis Ritualibus demonſtrant Menardus (42), & Martenius (43). Hunc vero conſtantem & univerſalem eccleſiae morem non fuiſſe, permultis conſtat exemplis infirmorum ab unico ſacerdote unctorum, quae idem affert Martenius (44). Ita S. Eugendum *ab uno de fratribus* inunctum, prodit Auctor eius vitae. Artemium ab uno Nepotiano *oleo ſancto perunctum*, narrat Gregorius Turonenſis (45). Solum Prudentium Tricaſſinum ſacramentum hoc adminiſtraſſe, comperimus. Diſciplina de pluribus presbyteris aegrotum ungentibus adhuc ſaeculo XII. in Galliis obtinuiſſe, colligitur ex conſtitutionibus Odonis Pa-

(39) *Cap. quaeſivit*, ext. *de verbor. ſignific.* (40) *Lib. III. de conſenſ. Evangeliſt. cap.* 16. (41) *Lib. V. Concord. cap.* 3. (42) *Not.* 909. *in Sacram. Gregor.* (43) *De antiq. eccleſ. ritib. lib. I. cap.* 7. *art.* 3. §. 3. (44) *Cit. art.* 3. §. 5. (45) *Lib. I. hiſt. cap.* 41.

Pariſienſis epiſcopi (46) hoc tempore editis. Eamdem ſaeculo XIII. & ultra alicubi retentam, conficiunt ſynodalia ſtatuta eccleſiarum Aeduenſis (47), Cadurcenſis, Rutenenſis, & Tutelenſis (48). Senſim vero defecit, & ubique receptum, ab uno presbytero ſupremam unctionem adminiſtrari. Novae huic diſciplinae cauſſam forte dedit ſacerdotum avaritia, quorum ſinguli quum haud exiguam expoſcerent pro opera ſua mercedem, pauperes ei ſolvendae impares ſine extrema unctione obibant; unde Waldenſes circa an. 1254. ſacramentum hoc vel eo nomine improbabant, *quia tantum divitibus datur*, teſte Reinero (49). Quumque malum hoc everti non potuerit ſeveris epiſcoporum ſanctionibus, quidquam pro extrema unctione exigi vetantibus, eo tandem ventum, ut ea deinceps a ſolo aegri parocho ſine ulla mercede conferretur. Quaecumque fuerit mutationis cauſſa, peroptat etiamnum Latina eccleſia plures ſacerdotes uni ſacramentum hoc adminiſtranti adſiſtere; congruum enim eſt, ut infirmorum unctioni *multi ſacerdotes interſint*, & *oratio totius eccleſiae ad effectum huius ſacramenti obtinendum coadiuvet*. Et S. Carolus (50) parochos monet, ut in conferenda extrema unctione, quot commode poſſunt, presbyteros & clericos adhibeant, ſuperpelliceo indutos, *qui ipſum & miniſtrantem & precantem pietatis orationiſque ſtudio in eo miniſterio adiuvent*.

§. VII. Suſcipientes hoc ſacramentum ſunt infirmi gravi morbo laborantes, & quidem adulti. Id oſten-

(46) *Tom. VI. collect. Harduin. part. II. col.* 1941.
(47) *Cap.* 19. (48) Apud Marten. *Anecdot. tom. IV.*
(49) *Lib. adv. Waldenſes* circa an. 1254. conſcripto.
(50) *In Concilio Mediolanenſ. IV. part. II. cap. 6.*

oſtendit Iacobus & verbo ἀσθενεῖ *infirmatur*, quod paſſim in Scripturis de gravi corporis aegritudine uſurpatur [*e*], & luculentius iis, quae ſubdit, *& oratio fidei ſalvabit* τον καμνοντα *infirmum*; norunt enim omnes, καμνειν idem eſſe ac *deficere*, *graviter aegrotare*. Ex Iacobo edocta eccleſia tantum graviter decumbentes inunxit. Sic extremam unctionem non niſi *infirmis*, *de quorum morte timetur*, dandam, edicunt Concilium Florentinum (51), ac Tridentinum (52). Deneganda vero *propinquis ad mortem abſque infirmitate*, ut inquit B.Thomas (53), nempe iis, qui, corpore ſano, probabile, certumve vitae periculum adeunt, ut mare traiecturi, proelium inituri, morte coërcendi. Quumque grave ſenium ſit infirmitas, permittenda eſt *iis*, *qui prae ſenio deficiunt*, *& in diem videntur morituri*, *etiam ſine alia infirmitate*, ut habet Pontificale Romanum. Porro tantum adulti periculoſe aegrotantes ſuprema unctione donantur. Ea excluduntur pueri ante rationis uſum, quamvis vita periclitantes; his enim non congruit forma huius ſacramenti, quum per viſum, auditum, alioſque ſenſus non peccaverint, uti docet B. Thomas (54). Fuiſſe hanc conſtantem eccleſiae doctrinam & diſciplinam, adſtruit Martenius (55). Deneganda vero non eſt pueris periculoſe aegrotantibus, *qui peccati mortalis & confeſſionis capaces ſunt*, *li-*

(51) *In inſtruct. Armenor.* (52) *Cit. ſeſſ.* 14. *cap.* 3.
(53) *Lib.IV. contr. Gentes cap.* 73. (54) *In IV. diſt.* 23. *q.* 2. *art.* 2. (55) *De antiq. eccleſ. ritib. lib. I. cap* 7. *art.* 1. §. 2.

(e) Vid. Grotium, alioſque viros doctos in Matth. X. 8. 25. 36., Marci VI. 56., ad Philipp. 2. 27., Ioan. IV. 46., & Act. IX. 37. quibus locis verbum *ἀσθενεῖν* de gravioribus corporis infirmitatibus uſurpatur.

licet ſint ſolum octo, aut novem annorum, & quamvis numquam communicaverint, uti ſcite Paſtorale Mechlinienſe. Pariter perpetuo amentes, ac furioſi nullum ab ortu lucidum intervallum experti, hoc ſacramento arcentur; quum & ii nulla ſe culpa foedaverint, ad cuius reliquias abſtergendas eiuſmodi ſacramentum inſtitutum eſt; idque diſerte cavit S Carolus (56). Adultis vero, qui rationis uſum aliquando habuerunt, ac poſtea in amentiam, aut phreneſim inciderunt, unctionem tribuendam, docet S.Thomas (57). Iam vero Graeci verbum illud *infirmatur* apud Iacobum latius acceperunt, ut eo non ſolum corpore, ſed & mente infirmi continerentur, quales ſunt peccatores poſt confeſſionem poenitentiam agentes: unde ſanos & bene valentes ſancto oleo delinire ſolent, ut ex eorum Euchologio; quam Graecorum praxim haud obſcure probavit Innocentius IV. (58). Quin in Graeca eccleſia, poſtquam epiſcopus feria V. in Coena Domini oleum infirmorum conſecravit, totum ſtatim inſumit omnes adſtantes inungendo, eamque unctionem tamquam peccatorum expiatricem eucharistiae praemittunt Graeci, uti teſtatur Goarius (59) (f).

§. VIII. Quaerat nunc quiſpiam, quo infirmitatis tempore ſuprema unctio ſit adminiſtranda? Aio con-

(56) *In Act. eccleſ. Mediolan. part. IV. p.* 543.
(57) *Cit. loc. q.* 3. (58) *Ep ad epiſcop. Tuſcul.*
(59) *Not. ad officium S. Olei.*

(f) Num vero haec unctio, quam bene valentibus impendunt Graeci, *ſacramentalis* ſit, an *caeremonialis*, dubitatur. Prius tuentur Arcudius *Concord. lib. V. cap.* 4. Sambovius *de ſacram. extrem unct. q.* 7. *cap* 3., Iuenin. *de ſacram. diſſ.* 6. *q* 7. *cap.*3., aliique. Poſterius autem viſum Goario *cit. loc.*, Tournelio *de ſacram. extrem. unct. q.* 3., Benedicto de Caietanis *diſſ. de ſuprema unctione cap.* 13., aliiſque.

conferendam ſtatim ac detectum eſt grave vitae diſcrimen. Haud expectandas extremas anguſtias, in quibus poſiti homines mentis compotes ut plurimum non ſunt, & potius ſemimortua cadavera, quam infirmi liniuntur, canones monent, quibuſcum amice conſpirat Pontificale Romanum: *Graviſſime peccant,* inquit, *qui illud tempus aegroti ungendi obſervare ſolent, cum iam omni ſalutis ſpe amiſſa, vita & ſenſibus carere incipiat; conſtat enim ad uberiorem gratiam percipiendam plurimum valere, ſi aegrotus, cum in eo adhuc integra mens & ſenſus viget, fidemque & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro oleo liniatur.* Saeculo XIII. in quaſdam Occidentis eccleſias abuſus irrepſit, conferendi hoc ſacramentum in ſumma vitae tempora, ob falſam, quae erupit, opinionem, ſuſcepto hoc ſacramento ſpem ſalutis imminui, non licere infirmis, ſi convaluiſſent, carnem comedere, uxore uti, nudis pedibus ambulare, ac teſtamentum condere. Hunc a vulgi animo errorem avellere ſategerunt plura concilia eodem ſaeculo XIII. celebrata, ut apud Mabillonium (60), & Thierſium (61) legere eſt.

§. IX. Olim extrema unctio poſt poenitentiam, ſed ante euchariſtiam dabatur, ut ex Sacramentario Gregorii, Poenitentiali Theodori Cantaurienſis, Capitularibus Caroli M., aliiſque monumentis probant Launoius (62), Martenius (63), & Menardus (64). Nec id ſine cauſſa factum. Etenim Graeci & Latini patres ſacramentum hoc *poenitentiae conſummativum*

(60) *In ſaec. 1. Benedict. n.100.* (61) *De ſuperſtitione circa ſacramentum extremae unction lib. I. cap. 7.* (62) *Cit. lib. obſ. 8.* (63) *De antiq. eccleſ. ritib. lib. I. cap. 7. art. 2. n. 5.* (64) *Not. 915. in Sacram. Gregor. M.*

vum exiſtimarunt, uti ſcite Tridentina Synodus (65): unde *perfectio*, *conſummatio*, & *complementum poenitentiae* ab illis dictum, quod peccatorum reliquias abſtergit. Quumque illud quamdam praeſeferat poenitentiae ſpeciem, mos invaluit imponendi cinerem & cilicium aegrotis ante unctionem, eoſve iam inunctos e lectulo collocandi ſuper cilicium cineribus conſperſum, de quo plura Menardus (66). Itaque poenitentiae coniungebatur extrema unctio, ut per utrumque ſacramentum aeger expiatus, ſine ullis ſordibus euchariſtiam acciperet. Sed eiuſmodi mos omnino univerſalis non fuit; nonnumquam enim viaticum ſacrae unctioni praemiſſum, veterum monumenta demonſtrant apud Martenium (67). Eam Prudentius Tricaſſinus epiſcopus an. 850. poſt euchariſtiam adminiſtravit: quod unicum exemplum ſibi occurriſſe, ait Mabillonius (68). Porro diſciplina praemittendi extremam unctionem viatico, perſtitit ad ſaeculum XIII. tum alicubi immutata, alicubi ad exitum ſaeculi XVI. retenta, uti Launoius (69) oſtendit. Tandem generali fere Occidentalis eccleſiae conſuetudine receptum, ut euchariſtia ſacram unctionem praecedat: quod Rituale Romanum Paulli V. an. 1614., aliarumque eccleſiarum iniungunt. Novae huic diſciplinae cauſſam forte dedit nomen extremae unctionis exeunte ſaeculo XIII. a theologis invectum, quod unctionum extremam ſignificabat, ſed coepit tamen extremum ſacramentorum denotare. Quod ſi aeger hodie extremam unctionem ante viaticum poſtulet, ut deterſis peccatorum reliquis ſe me-

(65) *Cit. ſeſſ* 14. *cap.* 1. (66) *In Sacrament. p.* 337.
(67) *Cit. loc. n.* 4. (68) *Cit. praef. in ſaec.* 1. *Benedict.*
(69) *Cit. lib.*

melius ad euchariſtiam comparet, pio eius deſiderio indulgendum eſt. Ita Lovanienſes theologi priſtinae diſciplinae ſcientiſſimi Chriſtianus Lupus, & Franciſcus Farvacques, ſacro oleo inungi ante viaticum petierunt, & obtinuerunt.

§. X. Ceterum repeti extrema unctio poteſt, quum characterem non imprimat. Ex Iacobi doctrina inducendi ſunt presbyteri ad fideles ungendos, quoties infirmantur. Quare *ſi poſt ſuſceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius ſacramenti ſubſidio iuvandi ſunt, cum in aliua ſimile vitae diſcrimen inciderint*, ut inquit Tridentinum (70). In eadem autem infirmitate unctio haud iteranda, quum una ſufficiat ad incommoda praeſentis morbi devitanda; niſi diuturna ſit, & infirmus, cum viſus eſſet melius ſe habere, iterum in vitae diſcrimen labatur, quum hoc caſu nova quaedam infirmitas accidat, uti praecipit Rituale Romanum (71).

C A P. VIII.

De ordine.

§. I. Ordo eſt *ſacramentum, quo ſpiritualis tribuitur poteſtas conſecrandi & diſtribuendi euchariſtiam*. Opportune *ordinis* nomen huic ſacramento impoſitum eſt; nam in eccleſiaſtico miniſterio multi ſunt gradus, diverſae functiones, & cuncta certa ratione procedunt. Graecis ſacra ordinatio dicitur χειροτονια & χειροθεσια, *manuum impoſitio* (a). Eſſe ordi-

(70) *Cit. ſeſſ.* 14. (71) *Tit. de extrema unction.*

(a) Vox χειροτονια proprie extenſionem ſeu elevationem manus ſignificat, a χειρας τεινειν, *manus extendere*: quo ſenſu a Graecis profanarum rerum ſcriptoribus paſſim uſurpatur. Quumque

ordinem, ſeu verius ſacrum illum ritum, quo inaugurantur eccleſiae miniſtri, cuius effectus eſt ipſe ordo, proprium novae legis ſacramentum, ex ſacris litteris, apoſtolica traditione, & unanimi patrum conſenſu definivit Tridentinum (1). Nunc in Latina eccleſia ordines ſunt ſeptem; quorum tres maiores, presbyteratus, diaconatus, & hypodiaconatus; quatuor minores, oſtiariatus, lectoratus, exorciſtatus, & acolythatus. In Graeca vero unus lectoratus eſt ordo inferior, & hypodiaconi inter minores clericos referuntur (*b*). Porro presbyteratus, epiſcopatus, & diaconatus ſunt ordines, & ſacramenta. De presbyteratu id omnes fatentur. Quum enim Tridentinum decreverit, ordinem eſſe *vere & proprie ſacramentum a Chriſto inſtitutum*, de fide tenendum, ſaltem ſacerdotium eſſe ſacramentum, ut Tridentini definitio ad minimum complectatur ordinum praeſtantiſſimum, qualis eſt presbyteratus.

(1) *Seſſ. 23. de ſacram. ordin. can. 3.*

que apud Graecos in creandis magiſtratibus ſuffragia manus elevatione ferrentur, ea vox ad ipſam electionem ſignificandam tranſlata eſt. E re civili in eccleſiaſticam χειροτονια perrepſit, & ſaepe ſacrorum miniſtrorum electionem, frequentius ordinationem, ſeu ipſum ſacros miniſtros creandi modum, ſignificat, quamvis improprie, quum ii non manus elevatione, ſed impoſitione conſtituantur. Plura de χειροτονιας vocabulo dant Ducaeus *not. in Chryſoſt. hom.* 1. *ad popul. Antiochen.*, Arcudius *lib. VI. Concord. cap.* 1., Morinus *de ſacr. ordinat. part. III. exerc.* 1. *cap.* 2., & Suicerus *theſaur. eccleſ. v.* χειροτονια. Prorſus congruit ordinationi vox χειροθεσια, *manus impoſitio:* quo ſenſu eam aliquando patres adhibuerunt apud Suicer. *theſaur. v.* χειροθεσια. Sed ipſo loquendi uſu invaluit, ut χειροθεσια pro aliis benedictionibus; χειροτονια vero pro ordinationibus acciperetur, quod in eccleſia manuum impoſitio in benedictionibus, aliiſque occaſionibus uſurpari ſoleret.

(b) Vide quae ſcripſimus *lib. I. cap.* 3. & 4.

§. II. Num vero epiſcopatus ſit ordo & ſacramentum a presbyteratu diſtinctum, an ſacerdotii extenſio, perfectio & complementum, ita ut epiſcopali ordinatione novus non imprimatur character, ſed ſacerdotalis tantum perficiatur, & ad alia munia amplietur, diſcrepant theologi. Iis adſtipulandum, qui epiſcopatum faciunt ordinem & ſacramentum a ſacerdotio diſtinctum: quod ſtrenue Morinus (2), Eſtius (3), Iuenin (4), aliique propugnant. Nec inde conſectaneum eſt, ordines ſeptenarium numerum a Tridentino propoſitum excedere; nam epiſcopatus & presbyteratus ſub uno ſacerdotii ordine continentur, nempe ſacerdotium in duos tribuitur ordines, in unum, quo euchariſtiae conſecrandae poteſtas, in alterum praeſtantiorem, quo praeterea auctoritas confertur conſecrandi eos, qui euchariſtiam conficiunt, uti ſcite Sirmondus (5).

§. III. Diaconatum eſſe ſacramentum, negarunt Durandus, Caietanus, aliique theologi Tridentino vetuſtiores, quod non a Chriſto, ſed ab Apoſtolis diaconi ſint inſtituti, ut communibus menſis praecipue deſervirent. At vix de divina diaconatus origine, & ſacramenti ratione ambigi videtur poſſe, poſtquam Tridentinum (6) decrevit, *eſſe in eccleſia catholica hierarchiam, divina ordinatione inſtitutam, quae conſtat ex epiſcopis, presbyteris, & miniſtris*. Nomine enim *miniſtrorum* ut minimum diaconos intelligere oportet, quum Tridentinos patres ad divinam inſtitutionem retuliſſe ordines diaconatu inferiores, vero propius non ſit. Conſulto autem Synodus vo-

(2) *De ſacr. ordinat. part. III. exerc.* 3. (3) *In* 4. *diſt.* 24. §. 28. (4) *De ſacram. diſſ. IX. cap.* 2. (5) *Not. ad Sidon. Apollinar. lib. IV. ep. II.* (6) *Cit. ſeſſ.* 23. *can.* 6.

vocem *miniſtris* adhibuit, ut ea diaconos deſignaret; de reliquis nihil definiret, ſed rem ſcholae diſputationi relinqueret. Nec vero deſunt theologi Tridentino iuniores, aientes evidenter deduci non poſſe ex verbo Dei ſcripto vel tradito, diaconatum eſſe ſacramentum, nullamque extare expreſſam eccleſiae definitionem de hac re, ac locum illum Tridentini de generali miniſtrorum electione intelligendum, quae in eccleſiae politia *in genere* etiam a Deo eſt; quorum numero ſunt Bellarminus (7), & Eſtius (8).

§. IV. Tandem ſubdiaconatum, qui prioribus XII. ſaeculis inferiorum ordinum numero fuit apud Latinos, eſtque adhuc apud Graecos, itemque quatuor illos minores ordines eſſe ſacramenta, ſcite negant Morinus (9), Habertus (10), Goarius (11), aliique. Quum enim ii non a Chriſto, unico ſacramentorum auctore, ſed ab eccleſia ſecundo ſaltem deſinente ſaeculo conſtituti ſint; quumque apud Graecos ex quatuor iis ordinibus unus lectoratus ordo fuerit, inque ipſis Latinis eccleſiis aliquando pauciores minores ordines fuerint collati, ut alibi oſtendimus (12); profecto ſacramenta non ſunt, quae inſtitui ab eccleſia nequeunt, quaeque ſemper & ubique ſancte cuſtodiuntur. Et quamvis concedamus, eos divinae, aut apoſtolicae inſtitutionis dici quodammodo poſſe, quatenus *implicite* continebantur in diaconatu, unde procedente tempore ab eccleſia explicite deducti ſunt; hinc tamen unum id conſequitur, ipſum diaconatum, tot licet miniſteriis detractis, levato onere, in ſua

L 2 ſub-

(7) *Controv. 3. de ſacram. ordin. cap. 6.* (8) *Cit. loc.* §. 8.
(9) *De ſacr. ordin. exerc. 2. cap. 1.* (10) *Ad* Ἀρχιερατικ. *Graecor. p.* 48. (11) *Not. ad Euchalog. p.* 257. (12) Vide, quae diximus *cit. lib. I. cap. 3.*

ſubſtantia & natura manſiſſe ſacramentum, non item minores illos ordines eſſe ſacramenta. Nequit enim eccleſia nova inſtituere ſacramenta, aut unum in plura partiri. Nec quidquam obturbat, ſingulos illos ordines ſuam habere materiam & formam; hae namque, niſi a Chriſto inſtitutae probentur, non ſunt ad ſacramentum ſatis. Ita in benedictionibus abbatum, conſecrationibus virginum, inque ipſa clericalis tonſurae collatione materia ac formae adhibentur, quin tamen ſacramenta, aut ordines ſint. Nimirum ex Latinae eccleſiae ritibus non admodum antiquis ſacramenti dignitas inferioribus ordinibus iure non adſtruitur.

§. V. De ordinis materia & forma diſcrepant theologi, qui non raro in tranquillo cient tempeſtatem. Quidam materiam collocant in ſola inſtrumentorum porrectione; formam vero in verbis, quibus inſtrumenta porriguntur. Hi praecipue nituntur Eugenii IV. decreto ad Armenos, aientis materiam huius ſacramenti eſſe *illud, per cuius traditionem confertur ordo;* tum ſingulorum ordinum materiam & formam enumerans, ſolam inſtrumentorum traditionem, & verba, quae eam comitantur, commemorat. Alii contra epiſcopatus, presbyteratus & diaconatus materiam ſtatuunt cum inſtrumentorum porrectionem, tum manuum impoſitionem; formam vero verba, quae in utraque actione ab epiſcopo proferuntur. Tandem permulti adfirmant, trium illorum ordinum materiam eſſe ſolam manuum impoſitionem, traditionemque inſtrumentorum eſſe ritum ab eccleſia Latina circa ſaeculum decimum ad poteſtatem iam collatam explicatius ſignificandam adiunctum; formam eſſe orationem, quam recitat epiſcopus manus imponens, qua rogatur Deus, ut ſpiritum gratiae ſuae

in

in novum miniſtrum elargiatur, quo commiſſum ſibi miniſterium digne poſſit adimplere; ordinum vero diaconatu inferiorum, quibus ſacramenti vis haud ineſt, materiam in ſola inſtrumentorum porrectione, formamque in verbis, quibus ea porriguntur, reponunt: quam ſententiam luculenter adſtruunt Morinus (13), Menardus (14), Martene (15), Goarius (16), Arcudius (17), aliique.

§. VI. Profecto ſola manuum impoſitione prioribus decem ſaeculis tres illi hierarchici ordines collati ſunt, inque Graeca eccleſia adhuc conferuntur. Apoſtoli ſacros miniſtros impoſitis manibus, fuſiſque precibus inaugurarunt, qui ritus a Iudaica in chriſtianam eccleſiam tranſiit (*c*). Ita Paullus & Barnabas presbyteros *χειροτονια* ordinarunt (18): *Χειροτονησαντες δε ἀυτοις πρεσβυτερȣς κατ᾽ ἐκκλησιαν*, & *cum ordinaſſent per ſingulas eccleſias presbyteros*. Idem Paullus manuum impoſitione Timotheum Epheſinum epiſcopum ordinavit (19): eumque hortatus eſt, ut gratiam *μετα επιθεσεως των χειρων τȣ πρεσβυτεριȣ*,

 cum

(13) *De ſacr. ordinat. part. III. exercit.* 7. *cap.* 1.
(14) *Not. in Sacramentar. Gregor. M.* (15) *De antiq. eccleſ. ritib. lib.I. cap.*8. *art.*9. *n.* 11. 16. & 18. (16) *Not. ad Euchолог. Graecor. p.* 256. *n.*11. (17) *Lib.VI. Concord. cap.*7.
(18) *Act. cap.* 14. *v.* 22. (19) *II. ad Timoth.* 1. 6.

(c) Vetuſtiſſimus fuit apud Hebraeos ritus manuum imponendarum, qui tamquam certum ſignum habebatur divinae benedictionis & virtutis, quae externo illo ſigno communicabatur. Ita presbyteri in Iudaica eccleſia manuum impoſitione conſtituebantur. Conf. Selden. *lib. II. de Synedr. Hebraeor. cap.* 7. §. 1. Vitringa *lib. III. de Synagog. veter. part.* 1. *cap.* 15. & Morin. *de ſacr. ordin. part.* 3. *exerc.* 7. *cap.* 3. Exemplo Hebraeorum Chriſtus & Apoſtoli manuum impoſitionem in communicanda divina virtute ac Spiritu ſancto adhibuerunt.

cum impoſitione manuum presbyterii acceptam, cuſtodiat, & excitet (20): iterumque monet, ut *manus cito nemini imponat* (21). Eodem ritu Apoſtoli ſeptem diaconos ordinarunt; his enim electis, *προσευξαμενοι επεθηκαν τας χειρας*, *orantes impoſuerunt manus* (22). Χειροτονιαν autem ſemper comitabantur preces: unde Auguſtinus (23): *Quid eſt aliud*, inquit, *manus impoſitio, niſi oratio ſuper hominem?* Ecclefia ab Apoſtolis edocta ſacros miniſtros per manuum impoſitionem conſtanter conſecravit. Concilium Nicaenum I. (24) diaconiſſas laicis accenſet, *quod nullam receperint manuum impoſitionem*. Concilium Carthaginienſe IV. anno 398. (25) ſubdiaconatum a hierarchicis ordinibus ſecernit, quod ille inſtrumentorum porrectione, hi manuum impoſitione conferantur. Diaconos *χειροτονια* ordinari, tradit Synodus Ancyrana (26). Et Tridentinum (27) extremae unctionis miniſtrum eſſe ait epiſcopum, aut ſacerdotes ab illo rite ordinatos *per impoſitionem manuum presbyterii*. Patres omnes manuum impoſitione ſacros miniſtros fieri, gratiamque ipſis conferri docent, nominatim Nazianzenus (28), & Chryſoſtomus (29). Tandem vetera eccleſiarum omnium Ritualia & Sacramentaria a Morino, Martenio, Menardo, aliiſque edita, manuum impoſitionem in hierarchicorum ordinum collatione conſtanter iniungunt (*d*).

§. VII.

(20) 1. *ad Timoth. IV.* 14. (21) 1. *ad Timoth. v.* 22.
(22) *Act. VI.* 6. (23) *Lib. III. de baptiſm. cap.* 16.
(24) *Can.* 19. (25) *Can.* 3. & 4. (26) *Can.* 9. (27) *Seſſ.* 14. *de extrem. unction. cap.* 3. (28) *Orat. in baptiſma Chriſti.*
(29) *Lib. III de ſacerdotio n.* 4., *in* 1. *ad Timoth.*, & *orat.* „ quod Chriſtus ſit Deus „.

(d) Apud Latinos in ordinatione presbyteri tres adhibentur ma-

§. VII. Manuum impoſitioni, quae de ſacrarum ordinationum οὐσία eſt, acceſſerunt eccleſiae inſtituto inſtrumentorum traditiones, eiſque reſpondentes formulae. Per annos ad minimum nongentos ignota fuerunt inſtrumenta in hierarchicis ordinibus conferendis; quippe qui in univerſa eccleſia ſola manuum impoſitione collati ſunt. Sane nulla traditionis inſtrumentorum mentio apud veteres patres, & concilia, nulla apud Amalarium, Rabanum, Walafridum, ceteroſque divinorum officiorum ſcriptores, nulla in vetuſtis Ritualibus. Primum ſaeculo X. Latina eccleſia in ſacris ordinationibus inſtrumenta adhibuit. Qua in re obſervandum eſt, principio inſtrumenta iam ordinatis tradita fuiſſe, ut quam acceperant poteſtatem, traditione illa cognoſcerent: quod liquet ex Hugone Victorino (30), Petro Lombardo (31), ac veteri Pontificali Romano MSto biblio-

 the-

(30) *Lib. II. de ſacram. Fidei part. 3. cap. 12.* (31) *Lib. IV. diſt. 24.*

manuum impoſitiones. Primam poſt recitatas litanias peragit epiſcopus, una cum adſtantibus ſibi presbyteris, nihil dicens. Secundam vero ſtatim poſt primam, recitans orationem, qua invocat in ordinandum gratiam & dona Spiritus ſancti. Tertiam denique in fine ordinationis, proferens verba illa: *Accipe Spiritum ſanctum &c.* Ex tribus his manuum impoſitionibus, ſecunda tantum cum adiunctis precibus pertinet ad ſacramenti eſſentiam, & ex apoſtolica traditione deſcendit. Prima vero, & tertia cum adiuncta oratione ſunt recentioris inſtitutionis, tantumque apud Latinos uſurpantur. Sane altum de tertia manuum impoſitione ſilentium eſt apud ſcriptores, inque Ritualibus priorum novem ſaeculorum. Eius nullum invenitur monumentum antiquius eo, quod extat in vita Lietberti epiſcopi Cameracenſis, qui ſaeculo X. vixit. Vid. Morinum *de ſacr. ordinat. part. III. exerc. 7. cap. 2.* & Martenium *de antiq. eccleſ. ritib. lib. 1. cap. 8. art. 9. n. 12.*

thecae Colbertinae, ubi praeſcribitur, *patenam cum oblatis, & calicem cum vino poni in manibus* ORDINATI; quo verbo aperte ſignificatur, ante inſtrumenti traditionem, iam abſolutam eſſe ordinationem. Porro inſtrumentorum traditio non uno ubique tempore, ſed paſſim inter Latinos recepta eſt. Saeculo XIV. in eccleſia Anicienſi *liber evangeliorum non tradebatur diacono in ordinatione ſua ſecundum antiquiſſimum Ordinarium* eius eccleſiae, uti teſtatur Durandus a S.Porciano, primus Anicienſis, deinde Meldenſis epiſcopus(32). Vetus Ordo Romanus in ſola epiſcopi conſecratione calicis porrectionem exhibet, quae tamen hodie non obtinet. Ordines autem diaconatu inferiores a ſua ferme inſtitutione apud Latinos collati ſunt per inſtrumentorum traditionem, eique adnexas formulas, ut ex Concilio Carthaginienſi IV. (33) patet. Tandem Graeci in ſacris ordinationibus non aliam adhibuerunt, adhibentque adhuc materiam, praeter manuum impoſitionem, ut ex eorum Euchologio (*e*); nec de illarum vi dubitatum in Conciliis Lugdunenſi, & Florentino, quibus

(32) *In* 4. *diſt.* 24. *q.* 3. (33) *Can.* 5. *& ſeqq.*

(e) Tradunt quidem Graeci lectori librum apoſtolicum, cantori pſalterium, hypodiacono mantile & malluvium, diacono flabellum; ſed poſt peractam demum ordinationem & ſine ullis formulis, ut per haec inſtrumenta ordinatus eſſe oſtendatur. Quo Graeci diſtant a Latinis, qui pluribus abhinc ſaeculis inſtrumenta conceptis verbis tradunt, ut per ea ordinandus conſecretur. Porro flabellum diacono iam ordinato tradebatur, ut eo poſtea muſcas in ſacrificio arceret. Ritum hunc ſacra dona ventilanda apud Graecos perantiquum fuiſſe, liquet ex Auctore conſt. Apoſt. *lib. VIII. cap* 12. Idem apud Latinos obtinuit. Vid. Martenium *de antiq. eccleſ. ritib. lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 8. *n.* 6. & Card. Bona *lib.* 1. *rer. liturg. cap.* 25. Nunc apud nos nullus in miſſa eſt flabelli uſus.

bus Graeci cum Latinis interfuerunt.

§. VIII. Ex dictis itaque habes, eſſentialem epiſcopatus, presbyteratus & diaconatus materiam eſſe ſolam manuum impoſitionem; formam autem orationem, quae ab epiſcopo manus imponente profertur. Fruſtra qui eorum ordinum materiam & formam in inſtrumentorum traditione, eique reſpondentibus verbis reponunt, auctoritate pugnant Eugenii IV., qui haud memorata manuum impoſitione in presbyteratu & diaconatu conferendo, tantum inſtrumenta recenſet. Pontifex enim in ea inſtructione Armenis tradere voluit dumtaxat peculiares Latinae eccleſiae ritus, quibus illi ſe adcommodarent, non ſacramentorum eſſentiales materias & formas definire. Hinc ſolam inſtrumentorum traditionem commemorat in ordinibus conferendis, ut Armeni manuum impoſitioni, quam in presbytero & diacono ordinando adhibebant, inſtrumenta quoque ſuperadderent, ceteros autem ordines, qui ſine manuum impoſitione apud nos conferuntur, Latinorum more conferrent, ſicque Latinae eccleſiae rituum unitate arctius adhaererent. Sane quis concoquat, ſacrae ordinationis οὐσίαν in inſtrumentorum traditione, eique adiunctis verbis ab Eugenio collocatam, inſuper habita manus impoſitione, qua Latinae eccleſiae ab apoſtolicis temporibus ſacros miniſtros ubique tunc conſecrabant, poſtquam is paullo ante in eodem concilio Florentino admiſerat epiſcopos, presbyteros & diaconos, ſola manus impoſitione ordinatos? Nec iove iudicant aequo, qui ex duabus materiis formiſque, puta manus impoſitione & inſtrumentorum traditione, verbiſque reſpondentibus, unam eſſentialem integram coaluiſſe docent, propterea quod Chriſtus materiam & formam ordinationis in *ſpecie* non con-

ſti-

ſtituit, ſed eccleſiae arbitrio reliquit illas determinare, iuſtiſque de cauſſis mutare, & quaſdam ſacramentis omnibus conditiones praeſcribere, quarum defectu irrita redderentur; eccleſia vero, quae olim ſolam manus impoſitionem praeſcripſerat, mutatis poſtea rerum adiunctis, illa Graecis relicta, aliam Latinis materiam formamque iniunxit. At primum hanc eccleſiae poteſtatem a Chriſto relictam, nec Scriptura, neque traditione demonſtratur. Quin contrarium colligitur ex Tridentino (34), a quo declaratur, Chriſtum eccleſiae reliquiſſe poteſtatem ſtatuendi, vel mutandi, quae pertinent ad ſacramentorum diſpenſationem, *ſalva illorum ſubſtantia:* mutatio autem materiae ac formae ſalvam non relinquit ſacramentorum ſubſtantiam. Deinde quamvis eiuſmodi eccleſiae poteſtas admittatur, tamen falſum eſt, ea eccleſiam in re praeſenti uſam fuiſſe. A quo enim generali Concilio, aut pontifice, quo tempore, qua de cauſſa, abrogatis vetuſtis ordinationis ritibus, eius materia & forma mutatae ſunt, novaeque antiquis ſuffectae? At omnia, quae in priſcis Ritualibus habentur, ſancte & integre etiamnum ſervari conſtat. Ceterum, etſi ſola manuum impoſitio & adiuncta oratio ad ordinum hierarchicorum ſubſtantiam ſpectent, iis tamen conferendis ſedulo cavendum, ne quid de ſingulis eccleſiae ritibus omittatur. Quamobrem ſi qua contigerit omiſſio, ordinationem haud iterandam, ſed *ſtatuto tempore ad huiuſmodi ordines conferendos caute ſupplendum, quod incaute extitit praetermiſſum*, reſpondit Gregorius IX. (35).

§.IX. Ordinarius ordinationum miniſter divino iu-

re

(34) *Seſſ.* 21. *cap.* 2. (35) *Cap.* 3., *ext. de ſacram. non iterand.*

re eſt ſolus epiſcopus, ut a conciliis Florentino (36), & Tridentino (37) declaratum (*f*). Ex ſacris litteris (38) conſtat, ab Apoſtolis conſtitutos fuiſſe presbyteros, huius rei cauſſa Titum Cretae relictum, ac Timotheum, ne cito manus imponeret, admonitum. Quumque in Apoſtolorum locum & iura ſucceſſerint epiſcopi, a Spiritu ſancto poſiti regere eccleſiam; ad hos chriſtianae reip. praeſides & moderatores ſpectat inferiorum miniſtrorum conſtitutio. Hoc miniſtrorum conſtituendorum ius epiſcopis conſtanter adſerunt concilia, ut Nicaenum I. (39), Chalcedonenſe (40), aliaque. Patres in hoc epiſcopos a presbyteris differre aiunt, quod hi *ordinationes* non faciant, uti Hieronymus (41), Chryſoſtomus (42), aliique. Numquam in eccleſia ratae ſunt habitae ordinationes a presbyteris celebratae. Synodus Alexandrina (43) in ordinem laicorum redegit Iſchyram, quod ſacerdos ordinatus eſſet a Collutho, qui presbyter tantum erat. Nimirum poteſtas ordinandi epiſcopos, presbyteros & diaconos ſolis epiſcopis competit, nec mero presbytero delegari poteſt (*g*).

§. X.

(36) *In Inſtruct. Armenor.* (37) *Seſſ.* 24. *cap.* 4. & *can.* 7. (38) *Act. VI. v.* 1., 1. *ad Timot. IV. v.* 14., & 11. *ad Timoth. v.* 6. (39) *Can.* 19. (40) *Can. II.* (41) *Ep.* 85. *ad Evagr.* (42) *Hom.* 2. *in* 1. *ad Timoth.* (43) *In epiſt. ſynodica apud Athanaſ. Apol.* 2.

(f) Amphilochium Iconienſem epiſcopum ab Angelis ordinatum, refert Nicephorus *lib. II. hiſt. eccleſ. cap.* 26. Similia apud alios ſcriptores offendes. Nonnumquam Angelos miniſtraſſe euchariſtiam, poteſt admitti; eoſdem autem ordines, aliudve ſacramentum confeciſſe, ad fabulas ablegandum.

(g) Simplicem presbyterum ex Romani pontificis delegatione presbyteros & diaconos recte ordinare poſſe, docuerunt Guilelmus Antiſſiodorenſis, Ludovicus Meratius, Cardinalis Hoſtienſis, Innocentius IV., aliique veteres theologi & cano-

§. X. Quod ſpectat ad ordines diaconatu inferiores

noniſtae, quorum teſtimonia congeſſit Morinus *de ſacr. ordin. part. III. exercit.* 4. *cap.* 3. Idem habet gloſſa *in can.*4. *diſt.*5. *de conſecrat.* regulam hanc proponens: *Ex delegatione papae quilibet conferre poteſt, quod habet. Unde ordinatus ordinem, quem habet, conferre poteſt, & confirmatus confirmationem.* Sed haec doctrina conſtanti eccleſiae ſententiae & uſui prorſus adverſatur; conſtat enim ex ſacris litteris, perpetua traditione, conciliorum decretis, patrum teſtimoniis & eccleſiae praxi, poteſtatem ordinandi presbyteros & diaconos ſolis epiſcopis competere, eaque praeſertim epiſcopos presbyteris praeſtare. Quod vero ſpectat ad diaconos, Innocentius VIII. an. 1489. conceſſit Ioanni Abbati Ciſtercii dioeceſis Cabilonenſis, & Abbatis quatuor monaſteriorum, quae *poſt, & immediate per dictum monaſterium fundata erant, ut ſuorum monaſteriorum praedictorum religioſis ſubdiaconatus, & diaconatus ordines rite conferre valeant.* Privilegium hoc edidit Chryſoſtomus Henriquez *Bullar. Ciſtercienſ. tom. I. n.*118. *p.* 190. Eiuſdem *αὐτογραφον* adſervari in collegio Complutenſi, ſeque illud vidiſſe, teſtatur Vaſquez *diſput.* 243. *in* 3. *part.* Iam vero privilegium illud genuinum pronuntiant Morinus *cit. loc.*, aliique. Contra commenticium eſſe contendunt inter alios Hallier *de ſacr. ordin. ſect.* 5. *cap.* 2. §. 2., & Catalanus *in Pontific. Roman. part.*1. *tit.*13. §.5.; ſed nullo id adſtruunt critico argumento. Unum obſervatione dignum eſt, diem v. *idus Aprilis* anni 1489. cum *anno IV. pontificatus* Innocentii VIII., quo ſignatum eſt privilegium, non cohaerere; nam Innocentius an. 1484. IV. kalend. Septemb. ad pontificatum evaſit, adeoque quintus tunc annus excurrebat. Sane incertum eſt, an tale privilegium a Romana Sede manaverit: quod ſi admittatur, Innocentius in danda Ciſtercienſibus illis Abbatibus diaconatus conferendi poteſtate ſequutus eſt opinionem theologorum & canoniſtarum tunc temporis communem, qui pontificiam poteſtatem ultra definitos a patribus limites protendentes, docuerunt, ſimplicem presbyterum delegante papa non ſolum diaconatum, ſed & presbyteratum conferre poſſe; quin non defuerunt praeſertim in Aula palpones, qui papam uno etiam verbo creare presbyterum poſſe docuerint, dicendo, *eſto ſacerdos*, ut Angelus, Felinus, Decius, aliique, quos laudat Morinus *lib.VIII. de poenit. cap.* 17. *n.* 2. Iure Martinus Navarrus *lib. V. conſilior. n.* 14. privilegium hoc *exorbitans* adpellavit, reiecitque tamquam iuris canonici principiis adverſum.

res, qui ab eccleſia conſtituti ſunt, eorum collatio presbyteris extra ordinem delegari ab ipſa eccleſia poteſt. Ita chorepiſcopi, qui ex genere presbyterorum erant, ſubdiaconos & lectores ordinabant, ut ex Conciliis Ancyrano (44), Antiocheno (45), aliiſque. Ex veteri conſuetudine, ſummorum pontificum ſilentio confirmata, Romanae eccleſiae cardinales presbyteri in titularibus eorum eccleſiis tonſuram & minores ordines conferunt. Iure ſingulari ſcripto Abbates tonſuram minoreſque ordines conferunt monachis ſibi ſubditis. Concilium Nicaenum II. an. 786. (46) permiſit Abbatibus, modo presbyteri ſint, regulares monaſterii ſui initiare lectoratu, qui unus inferior ordo erat apud Graecos: *Lectores*, inquit, *manus impoſitione licentia eſt unicuique Abbati in proprio monaſterio ſolummodo faciendi, ſi dumtaxat eidem Abbati manus impoſitio facta noſcatur ab epiſcopo* „ ſecundum morem praeficiendorum Abbatum „ *dum conſtet illum eſſe presbyterum*, uti vertit Anaſtaſius Bibliothecarius, & a Gratiano (47) refertur. Hac lectione ſpecialis Abbatum benedictio ab ipſa presbyterali ordinatione diſtincta proponitur. At Nicaena ſynodus nullam iniicit mentionem benedictionis Abbatum, & verba illa, *ſecundum morem praeficiendorum Abbatum*, deſunt in Graeco canone. Sane Abbatum benedictiones ſaeculo VIII., quo ea ſynodus coacta eſt, ignotae fuerunt, primumque ſaeculo X. prodierunt. Quumque nec aevo Anaſtaſii, qui poſt medium ſaeculum nonum claruit, benedictiones abbatum in uſu fuerint, aliunde in eius verſionem verba illa irrepſerunt. Poſtea Innocentius

(44) *Can.* 12. (45) *Can.* 10. (46) *Can.* 14. (47) *Can.* 1. *diſt.* 69.

tius III. Archiepiſcopo Rothomagenſi reſcribens (48), Nicaenum canonem iiſdem quibus Gratianus verbis retuliſſet; inde decretalium interpretes intulerunt, iure communi duo in Abbate requiri, ut monachos ſuos tonſura & minoribus ordinibus inſignire poſſit, nempe ut non modo presbyter ſit, ſed & ſollemniter benedictus: nec id licere Abbati non benedicto, niſi privilegio Sedis Apoſtolicae, quale habent Abbas Commendatarius Farfenſis, aliique nonnulli. Porro ex decreto Nicaenae Synodi haec Abbatis praerogativa tantum ad proprium monaſterium coërcita erat. Sed procedente tempore Abbates a Sede Apoſtolica obtinuerunt, ut tonſuram minoreſque ordines conferrent non ſolum regularibus ſibi ſubditis, ſed & omnibus, in quos eccleſiaſticam & quaſi epiſcopalem iuriſdictionem exercent, quin & omnibus indiſcriminatim. Quod vero ita epiſcopalia iura laederentur, Tridentinum (49) priſtinam diſciplinam innovans cavit, non poſſe Abbates tonſuram minoreſque ordines conferre monachis alterius monaſterii etiam venia proprii Abbatis, nec etiam ſaecularibus dimiſſorias epiſcopi ſui litteras habentibus. Ceterum ex ſummi pontificis delegatione integrum presbytero eſt non ſolum minores ordines conferre, verum etiam hypodiaconatum, qui diu inferiorum ordinum numero fuit. Eum in Oriente contulerunt chorepiſcopi, qui presbyteri ut plurimum fuere, uti dictum. In Occidente quoque presbyteros venia Romani pontificis ordinare ſubdiaconos & acolythos potuiſſe, liquet ex Gelaſio papa (50): *Nec ſibi meminerint* (presbyteri) *ulla*

(48) *In cap.* 11. *extr. de aetat. & qualit. praefic.*
(49) *Seſſ.* 23. *de ref. cap* 10.
(50) *Ep. ad epiſcopos per Lucaniam & Brutios conſtitutos cap.*8.

ulla ratione concedi ſine ſummo pontifice ſubdiaconum vel acolytbum ius babere faciendi. Etiam poſt ſubdiaconatum ſacris ordinibus adſcriptum, ex privilegio Abbates nonnulli ſubdiaconos ordinant, ut Abbas Ciſtercienſis. Ex eadem pontificis delegatione quemlibet clericum poſſe tonſuram conferre, ne ambigas.

§.XI. Valent ordinationes a quocumque miniſtro, haeretico, ſchiſmatico, intruſo, ſimoniaco, ſuſpenſo, depoſito, excommunicato, & generatim contra canones celebratae, modo is vere epiſcopus ſit, ac neceſſariam materiam, formam, & intentionem adhibeat. Quamobrem valere etiam ordinationes extra catholicam eccleſiam ab haereticis, qui veros habent epiſcopos, eo pacto peractas, hodie vulgo adſeritur (*b*). Quamvis ordinum exercitio eiuſmodi ordinati interdicantur (51). Num autem olim valuerint eiuſmodi ordinationes extra catholicam eccleſiam, vel contra canones celebratae, impeditiſſima quaeſtio eſt. Morinus (52), Cabaſſutius (53), aliique contendunt, ordinationes ab epiſcopis haereticis, ſchiſmaticis, intruſis, ſimoniacis, ſuſpenſis, degradatis, excommunicatis, & generatim contra canones peractas, prorſus nullas & inanes ad ſaeculum uſque un-

(51) *Cap. 2. de ſchiſmatic., & ordinatis ab eis*. (52) *De ſacr. ordinat. exerc. 5.* (53) *In notitia eccleſiaſtic.*

(h) De vi ordinationum, quas Anglorum epiſcopi celebrant, diſputatur. Pro ſucceſſione ſuorum epiſcoporum pugnant proteſtantes Angli, nominatim P. Courayer, qui nonnullas pro Anglorum ordinationibus diſſertationes edidit. Contra nullas eſſe Anglorum ordinationes, quod iam defecerit in Anglia legitima epiſcoporum ſucceſſio, & illegitima forma in Rituali Eduardi VI. Regis praeſcripta epiſcopos conſecrent, tuentur prae ceteris Renaudotius, Le-Quienius, & Harduinus in ſuis contra Courayerum opuſculis.

undecimum fuiſſe, ea veluti conditione ab eccleſia ad vim ipſam ordinis adpoſita, non ſecus ac conditiones poenitentiae ac matrimonio ab eadem adiectae ſunt, ſine quibus ſacramenta haec non conſiſterent. Contra Lupus (54), Hallierius (55), Bertius (56), Iuenin (57), aliique tuentur, eiuſmodi ordinationes contra canones celebratas, ſemper ratas & firmas in eccleſia fuiſſe, illicitas tamen & uſu vacuas. Utraque ſententia haud levibus innititur argumentis. Res heic paucis tranſigi nequit. Omnibus rite excuſſis, magis eſt ut adfirmetur, eccleſiam ad ſaeculum octavum firmas & validas habuiſſe ordinationes contra canones celebratas, ſed in poenam uſu & exercitio vacuas eſſe iuſſiſſe; deinceps ad ſaeculum XIII. dubitatum de ea re, exortiſque theologis ſcholaſticis ſaeculo XII., in diverſa ſtudia diſputatum fuiſſe; tandemque ſaeculo XIII. motus compoſitos, ob receptam apud theologos poſt S. Thomam doctrinam, vim epiſcopalis characteris ſemper vigere, numquam hebetari ob quamcumque ordinantis culpam, ac conditiones per canones ordinationibus adiectas ad ipſam ſacramenti vim non pertinere: unde illatum eſt, valere ordinationes ab epiſcopis haereticis, ſchiſmaticis, intruſis, ſimoniacis, depoſitis, excommunicatis, & generatim contra canones peractas.

XII. Iam vero quiſque a proprio epiſcopo ordinari debet. Ut autem pateat, quiſnam ſit epiſcopus proprius, inter laicum & clericum diſtinguendum eſt.

Prio-

(54) *Diſſ. de ſimoniae crimine cap.* 16. *& ſeq. tom. IV. Opp. edit. Venet. p.* 104. *ſeqq.* (55) *De ſacr. electionib. par. II. ſect.* 5. *cap.* 3. *art.* 6. *& part. III. ſect.* 5. *cap.* 5. (56) *De theologic. diſcipl. lib. XXXVI. cap.* 14. (57) *De ſacrament. diſſ. VIII. q.* 6. *cap.* 2. *ſeqq.*

Prioribus X. ſaeculis licebat laico a quocumque catholico epiſcopo ordinem ſuſcipere, inſcio, aut invito epiſcopo originis, vel eo a quo fuerat baptizatus. Ita Origenes Alexandriae natus primum a Teoctiſto Caeſareae in Palaeſtina epiſcopo ordinatus eſt; Hieronymus Stridonienſis a Paullino Antiocheno epiſcopo; Paullianus eius frater ab Epiphanio epiſcopo Salaminae; Paullinus Burdigalenſis a Lampio epiſcopo Barcinonenſi; Auguſtinus Tagaſtenſis a Valerio epiſcopo Hipponenſi, aliique ſatis multi (58). Sic etiam Concilium Carthaginienſe III. (*59*), Arauſicanum I. (*60*), Leo M. (*61*), aliique patres, dum exteros ſine venia epiſcoporum ſuorum ordinari vetant, de ſolis clericis loquuntur. Apud Graecos, primum Synodum CPolitanam Michaëlis Archiali patriarchae alienos laicos ordinare vetuiſſe, teſtatur Balſamon (*62*). Diu itaque in utraque eccleſia proprius epiſcopus is tantum fuit, qui primus aliquem ordinaverat. Clericus autem ab epiſcopo, qui primus ordinaverat, ad altiorem gradum promoveri debebat. Poſt ſaeculum X., inductis ordinationibus ſine titulo, abruptoque inter eccleſias & clericos nexu, proprius ordinationis epiſcopus paſſim evaſit qnadruplici titulo, *origine*, *beneficio*, *domicilio*, *familiaritate*. Epiſcopus *originis* in cauſſa ordinationis intelligitur is, in cuius dioeceſi natus eſt ordinandus. Et quamvis iure civili *originis* nomen ad patris etiam patriam extendatur, uti liquet ex Ulpiano (*63*); com-

(58) Conſ. Thomaſſin. *diſcipl. part. II. lib. I. cap. 2. & ſeqq.*, ac Hallier. *de ſacr. elect. & ordinat. part. II. ſect. 5. cap. 3. art. 1. §. 4.* (59) *Can. 21.* (60) *Can. 8.* (61) *Ep. 84.*

(62) *In reſponſ. ad Marcum patriarch. Alexandr.* in *Iur. Orient. tom. I. p. 382. & ſeqq.* (63) *L. 6. §. 1. D. ad municipalem.*

muni tamen canoniſtarum ſententia ad ſolam ordinandi patriam coarctatum eſt; proinde non licet epiſcopo loci, in quo natus eſt pater, filium alibi natum ordinare. Epiſcopus *beneficii* eſt is, in cuius dioeceſi ordinandus beneficium obtinet. Hanc inter epiſcopum originis & beneficii diſtinctionem iam inductam ſupponit Clemens IV., qui an. 1265. pontifex renunciatus eſt (64). Epiſcopus *domicilii* dicitur ille, in cuius dioeceſi ordinandus domicilium defixit. Titulum hunc domicilii prioribus duobus ſuperaddidit Bonifacius VIII., qui an. 1294. pontificatum iniit (65). Videtur autem pontifex domicilium in cauſſa ordinationis aeſtimaſſe ex iure civili, quo conſtitutum intelligitur domicilium, *ubi quis larem, rerumque, ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit: unde rurſus non ſit diſceſſurus, niſi neceſſitate avocetur: unde cum profectus eſt, peregrinari videtur: quo ſi rediit, peregrinari iam deſtitit*, uti reſcripſerunt Diocletianus & Maximianus (66). Quare domicilii conſtitutio potius ex animo, quam annorum numero aeſtimanda eſt. Tandem epiſcopus *familiaritatis* eſt, qui alienum ſubditum inter ſuos familiares habet. Eiuſmodi titulum inſtituit Tridentina Synodus (67), quae permiſit epiſcopo vero, non titulari *familiarem ſuum non ſubditum ordinare*, modo per *triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium quacumque fraude ceſſante ſtatim re ipſa illi* conferat. Idem Tridentinum (68) iuſſit, unumquemque a *proprio epiſcopo ordinari*, vetuitque aliquem ab alieno epiſcopo promoveri, *etiam cuiuſvis generalis, aut ſpecia-*

(64) *Cap. 1: de temporib. ordinandor. in 6.* (65) *Cap. 3. eod. in 6.* (66) *L. 6. C. de incolis.* (67) *Seſſ. 23. de ref. cap. 9.* (68) *Cit. ſeſſ. 23. cap. 8.*

cialis reſcripti, vel privilegii praetextu; niſi eius probitas ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur. Si ſecus fiat, *ordinantem a collatione ordinum per annum, & ordinatum a ſuſceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire; ſuſpenſum* pronuntiat.

§. XIII. Non clerici modo, ſed & monachi a proprio epiſcopo ordinandi ſunt. Proprius autem monachorum epiſcopus is tantum eſt, qui praeeſt dioeceſi, in qua ſitum eſt monaſterium, ubi illi ſtabiles & tamquam de familia morantur. Ius hoc epiſcoporum vel poſt monachos ab ipſorum iurisdictione ſubductos integrum permanſit. At corruptis poſtea moribus, monachi privilegia a Romana ſede extorſerunt, ut a quovis catholico epiſcopo ordinarentur. Bonifacius VIII. (69) expreſſit, licere religioſis commendatitias ſubditis ſuis dare, ut *a quo voluerint epiſcopo* ordinentur, modo id *a Sede Apoſtolica ſpecialiter ſit indultum*. Poſt actum de hac re in Concilio Lateranenſi V. an. 1511. Leo X. (70) monachos ab Ordinariis locorum ordinari iuſſit, niſi forte abfuerint, vel requiſiti illos ordinare iniuria detrectaverint. Deinde Tridentina Synodus (71) eiuſmodi privilegia ſuſtulit, vetuitque quemquam ab alieno epiſcopo ordinari, *etiam cuiuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii praetextu, niſi eius probitas ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur*. Poſt Tridentinum varia fortuna monachi in infringendo hoc epiſcopali iure ſemel iterumque dimicarunt. Pius V. (72) Mendicantibus conceſſit ordi-

(69) *Cap. 3. de temporib. ordinand. in 6.* (70) *Conſt. 22.* in Bullar. (71) *Seſſ. 23. de ref. cap. 8.* (72) *Bulla*, etſi mendicantium, *in Bullar.*

nem ſuſcipere a quovis epiſcopo, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicae habente, ſine proprii epiſcopi venia, vel in ipſo monaſterio, vel alibi. Sed mox recrudeſcentibus controverſiis, Gregorius XIII. (73) Pianam hanc conſtitutionem revocavit, & ad Tridentini amuſſim exegit. Excitis iterum per regulares turbis, Sixtus V. indulſit, ut a regularium praefectis dimiſſoriae fierent, & primum dioeceſano epiſcopo dirigerentur, eoque abſente, & ordinationem non celebrante, cuilibet alteri, *dummodo ab epiſcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam*. Deinde Clemens VIII. an. 1596. ex ſententia Congregationis Concilii cavit, non licere ſuperioribus regularibus litteras dimiſſorias ſuis ſubditis regularibus dare ad ordines ſuſcipiendos a quocumque epiſcopo, ſed teneri ad proprium dioeceſis epiſcopum praeſentem & ordinationes habentem dirigere; ad quemcumque vero epiſcopum, ſi dioeceſanus abfuerit, aut ordinationem non ſit habiturus, modo non in fraudem dimiſſorias dare diſtulerint ad tempus, quo dioeceſanum epiſcopum abfuturum, vel ordinationem non celebraturum praevidebant, & regularis ad ordines promovendus ſcientiae examen ſubeat coram epiſcopo, a quo ordines petit. Sed nondum finitus Oreſtes. Obtendentibus nihilominus regularibus quibuſdam, haud derogatum privilegiis ſuis, ut a quovis catholico antiſtite ordinarentur; Innocentius XIII. (74), & Benedictus XIII. (75) declararunt, ea tantum privilegia ſuſtineri, quae directe, & non per communicationem alicui regularium ordini conceſſa fuerint. Tandem Benedictus XIV. (76) ſub poe-

(73) *Bulla* in tanta 15. *eod.* (74) *Conſt.* Apoſtolici miniſterii. (75) *Conſt.* in ſupremo. (76) *Conſt.* impoſiti nobis 27. *eius Bullar. tom. II.*

poenis contra alienum ſubditum ordinantes interdixit epiſcopis non dioeceſanis recipere ſuperiorum regularium dimiſſorias, niſi iis aut Vicarii generalis, aut Cancellarii, aut ſaltem Secretarii epiſcopi dioeceſeos authentica atteſtatio coniuncta fuerit, ex qua conſtaret, eum abeſſe a dioeceſi, vel ordinationes habiturum non eſſe proximo legitimo ordinationis tempore. Iuſſit praeterea diſtricte in foro externo coërceri alteram fraudem, qua ſuperiores regulares ab examine epiſcopi dioeceſani ſuis ſubditis metuentes, paucis ante ordinationem menſibus illis *localitates* mutant; tum a benignioribus epiſcopis ordinatis ad priora domicilia reditum permittunt.

§. XIV. Ex nova itaque diſciplina, nemo ſine dimiſſoriis proprii epiſcopi litteris poteſt ab epiſcopo non ſuo ordinari; quin nec tonſura initiari, quamvis haec proprie ordo non ſit, uti cavit Bonifacius VIII. (77). Idem de alienis clericis vetuſti canones ſanxerunt, nominatim Concilium Carthaginienſe I. (78), & Trullanum (79). Apud veteres litterae *ἀπολυτικαι dimiſſoriae* dicebantur eae, quibus epiſcopus clericum ſuum alteri cedebat, ſuoque in eum iuri abrenuncians permittebat ad alterum epiſcopum ſeu eccleſiam tranſire. Quum enim olim clerici omnes ſic certae eccleſiae adligarentur, ut ei deſervire perpetuo deberent, neceſſe erat eos ab epiſcopo ſuo dimitti, ut poſſent alienae eccleſiae addici: nec impune erat alienum clericum inſcio proprio epiſcopo retinere, vel promovere. At hodie litterae dimiſſoriae dantur in eum finem, ut clerici ordinari ab epiſcopo non ſuo poſſint, & ordinati

 ad

(77) *Cap. 4. de temporib. ordinand. in 6.* (78) *Can. 5.*
(79) *Can. 17.* Conf. Hallier. *de ſacr. elect. & ordinat. part. U., ſect. 5. cap. 3. art. 10.*

ad proprium revertantur, & pertineant. Concilium Tridentinum (80) cavit, ut *epiſcopi per ſemetipſos ordines conferant: quod ſi aegritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter, quam iam probatos, ad alium epiſcopum ordinandos dimittant*; atque hic catholicae fidei & communionis ſit, nec impeditam ordinandi poteſtatem habeat (*i*). Memorat Synodus tantum cauſſam *aegritudinis*, qua ab ordinationibus celebrandis excuſantur epiſcopi; ſed non excluduntur aliae graves & neceſſariae cauſſae, quibus diſtenti epiſcopi clericos ſuos ad alios epiſcopos ordinandos dimittant. Dandae autem dimiſſoriae ſunt non niſi rite examinato, & iam probato. Quin Tridentinum (81) permittere videtur epiſcopis ordinantibus, ut ad ſe dimiſſos, & proprii epiſcopi teſtimonio probatos novo examini ſubiiciant: quod tamen ordinantis arbitrio relictum, Sacra Congregatio Tridentini interpres declaravit (82).

§. XV. Iam eiuſmodi dimiſſorias concedere poteſt epiſcopus, cuius eſt ordinare (83); quamvis tantum con-

(80) *Seſſ. 7. de ref. cap. II.* (81) *Seſſ. 7. de ref. cap II.* (82) Vid. Fagnan. *ad cap.* cum ſecundum *ext. de praebend. n.* 56. (83) *Cap. 8. de offic. archidiacon.*, Trident. *ſeſſ. 23. de ref. cap.* 3.

(i) Haud heic reticenda decretalis Alexandri III. in *cap. 1. ext. de ordinatis ab epiſcopo, qui renuntiavit epiſcopatui*, qua cautum, ut epiſcopo, qui tantum loco renuntiavit, forte ob hoſtium incurſionem, liceat venia proprii epiſcopi ordinationes peragere, & ad ſe dimiſſos ordinare; ei vero, qui ipſa dignitate epiſcopali ſe abdicavit, liceat ex proprii epiſcopi delegatione minores ordines, non item maiores conferre. Epiſcopi titulares, qui nudum habent titulum ſine populo & eccleſia, quam regant, eodem iure, quo epiſcopi loco cedentes cenſentur; proinde de licentia ordinariorum ad ſe dimiſſos recte ordinant.

confirmatus ſit, non item conſecratus, modo eccleſiae ſibi commiſſae adminiſtrationem ſuſceperit; quippe conceſſio eiuſmodi dimiſſoriarum magis ad iuriſdictionis, quam ordinis epiſcopalis poteſtatem pertinet. Vicarius autem generalis dimiſſorias concedit ex peculiari epiſcopi delegatione, aut ſi epiſcopus in longinquis regionibus diu moretur (84). Idem dandarum dimiſſoriarum ius habet capitulum ſede vacante, in quod tranſeunt ea, quae ordinariae iuriſdictionis ſunt (85). Sed Tridentinum (86) ſtatuit, ut Capitulum cathedralis eccleſiae a die, quo coepit ſedes vacare, dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos concedat tantum *arctato occaſione beneficii eccleſiaſtici recepti*, nempe beneficium habenti, ob quod intra certum tempus promoveri ad certum ordinem debet, aut *arctato occaſione beneficii recipiendi*, hoc eſt ei, qui licet nullum obtinet beneficium, a patrono praeſentatur ad beneficium, quod certum praeſentemque ordinem requirit; poſt annum vero etiam aliis, qui titulum habent patrimonii, vel penſionis, ſi ita eccleſiae neceſſitas, vel utilitas ferat. Id in Regno temperatum eſt iure Concordati an. 1741. (87), quo cautum, ut vicarius capitularis intra annum a ſede vacante conſenſu pleni capituli ſecretis ſuffragiis expreſſo concedat tantum dimiſſorias ad tonſuram laicis beneficio mox recipiendo arctatis, & clericis praeſentatis ad beneficium, quod actu certum ordinem requirit, modo utrique a defuncto epiſcopo reiecti ab ordinibus non fuerint: poſt annum vero tantum ex venia ſacrae Congregationis Concilii dimittat. Inferiores tandem praelati dimiſſorias clericis

 ſae-

(84) *Cap. 3. de temporib. ordinat. in 6.* (85) *Cit. cap. 3.*
(86) *Cit. ſeſſ. 7. cap. 10.*, & *ſeſſ. 21. cap. 2.* (87) *Cap. 4. n. 9.*

ſaecularibus dare vetantur; quorum ordinatio epiſcopis vicinioribus & dioeceſanis competit iure Concilii Tridentini (88).

§. XVI. Subiecti huius ſacramenti ſunt ſoli mares baptiſmo regenerati, non item feminae. Chriſtus ſacerdotii auctor ſolis apoſtolis euchariſtiae conſecrandae, baptiſmi conferendi, ac ſolvendi ligandique poteſtatem fecit: quod eum ſolos mares voluiſſe ſacerdotio initiari evincit. Paullus (89) *turpe eſſe* ait, mulieres *in eccleſia loqui ac docere*; quum tamen docendi munus inter ſacra non ſit praeſtantius. Vapularunt a patribus Peputiani, Cataphryges, Collyridiani, Marcionitae, aliique nebulones, qui mulierculis ius ſollemnis baptiſmi, & ſacrificandi adſeruerunt, ut eſt apud Tertullianum (90), Epiphanium (91), & Auguſtinum (92). In vetuſtis monumentis occurrunt *epiſcopae*, *presbyterae*, & *diaconae*; at hae merae erant epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum uxores, ante ipſorum ordinationem ductae (93). *Diaconiſſae* quamvis *ordinari manuum impoſitione* dicantur Concilio Chalcedonenſi (94); haec tamen manuum impoſitio non *ſacramentalis* erat, ſed *caeremonialis*, qua piae illae mulieres quibuſdam deputabantur miniſteriis, quae nullam ordinis poteſtatem requirebant, & decentius per eas, quam per clericos, exerceri poterant.

§. XVII. Mares tantum baptizati recte ordinantur Ex patrum enim doctrina baptiſmum ſacramentorum

omnium

(88) *Cit. ſeſſ.* 23. *cap.* 10. Conf. Benedict. XIV. *de ſynod. dioeceſan. lib. II. cap. II.* (89) *I. ad Corinth. XIV. v.* 34., & 1. *ad Timoth.* 11. 12. (90) *De baptiſmo cap.* 17.

(91) *Haereſ.* 49. (92) *De haereſib. n.* 27. (93) Conf. Matth. Zimmermannum libro *de presbyteris & presbyteriſſis p.* 48. *ſeqq.*, & viros doctos *ad can.* 1. *Laodicaen.* (94) *Can.* 15.

omnium ianua eſt, adeoque nequit altari miniſtrare, & eccleſiae praeeſſe, qui nondum exteriori nota in myſticum Chriſti corpus cooptatus eſt. Concilium Nicaenum I. (95) ſanxit, ut clerici Paullianiſtarum baptizati ſine expreſſis Trinitatis nominibus, *rebaptizati ordinentur*, quia baptiſmo non ſubſiſtente ordinationes quoque nullae ſunt. Concilium Compendienſe (96) nullos pronuntiat ordines a non baptizatis ſuſceptos. Sed quod certum veteribus eſt viſum, ſaeculo XII. ſcholaſtici antiquitatum imperiti in dubium evocarunt. Etenim aevo Innocentii III. in utramque partem diſputabatur, an presbyter ſine baptiſmo ordinatus, iterum ordinari deberet: qua in re pontifex excuſſis utriuſque partis rationibus reſpondit Ferrarienſi epiſcopo, ut rurſus *per ſingulos ordines uſque ad ſacerdotium promoveretur* (97). Deinceps decreto Concilii Florentini certum evaſit, nullos eſſe ordines a non baptizatis ſuſceptos.

§.XVIII. Debet ordinandus promotioni ſuae conſentire, nec valet ordo penitus invito, ſemperque repugnanti collatus. Scite Innocentius III. (98) reiicit ſententiam eorum, qui aiebant, *quod ſacramenta, quae per ſe ſortiuntur effectum, ut baptiſmus & ordo, ceteraque ſimilia, non ſolum dormientibus & amentibus, ſed invitis & contradicentibus, etſi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur*. Rationem ſubdit, quod a religione alienum ſit, quemquam *ſemper invitum & penitus contradicentem ad recipiendam & ſervandam chriſtianitatem compelli*. Par, immo potior eſt de ordine ratio. Si enim nemo ad baptiſmum, qui ad ſalutem neceſſarius eſt, adi-

(95) *Can.* 19. (96) *In cap.* 1. *ext. de presbytero non baptizato.* (97) *In cap.* 3. *eod.* (98) *Cap.* 3. *extr. de baptiſmo.*

adigendus eſt invitus, ne vi ſubiiciatur eccleſiae, & coacte legem evangelicam profiteatur; eo magis ad ſuſcipiendos ordines & eccleſiaſtica munia ſuſtinenda cogendus non eſt, quum poſt baptiſmum libertate polleat, laici aut clerici conditionem optandi. Deinde pontifex ait, cenſendos non eſſe abſolute coactos & invitos, *qui ad ſuſcipiendum baptiſmum terroribus & ſuppliciis violenter attrahuntur*, illumque ſuſcipiunt, *ne detrimentum incurrant*, quia coactio conditionalis voluntatem non tollit. Tum definit, *illum, qui numquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipere ſacramenti*. At enim ſexcenta occurrunt in eccleſiaſtica hiſtoria exempla eorum, qui coacti & inviti ordinati fuerunt. Ita vi & inviti ad ordinationes promoti Cornelius papa, Cyprianus, Gregorius Nazianzenus, Nepotianus, Paullinus, Auguſtinus, Paullianus, Macedonius eremita, Baſſianus Epheſinus, aliique permulti. Nimirum ii non prorſus inviti, conſtanterque reluctantes ordinati ſunt, ſed prae humilitate eccleſiaſticum miniſterium defugiebant, obluctabantur, tandemque precibus & rationibus victi conſentiebant. Sic Auguſtinus (99): *Multi*, inquit, *ut epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quae nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni*. Fuſe & ornate argumentum hoc pertractant Morinus (100), Thomaſſinus (101), Lupus (102), Binghamus (103), Zieglerus (104), aliique.

§. XIX. In promovendis ad ordines cum alia permul-

(99) *Ep.* 204. *al.* 172. *ad Donat.* (100) *De ſacr. ordinat. part.* 2. *exercit.* 11. *cap. II.* (101) *Diſcipl. part. II. cap.* 65. *& ſeqq.* (102) *In ſchol. ad cap* 45. *variar. epiſt.* 22. *tom. VII. Opp.* (103) *Origin. eccleſ. lib. IV. cap.* 3. §. 3. (104) *Opuſc. de clerico reniteinte, ſeu muneris eccleſiaſtici fuga.*

multa, tum canonica aetas requiritur. Olim varium de ordinandorum aetate ius fuit. In presbyteris ordinandis triginta anni exigebantur, ut ex Conciliis Neocaeſarienſi (105), Trullano (106), Toletano IV. (107), Agathenſi (108), aliiſque conſtat. Poſt dimidium ſaeculi XII. anno XXV. ordinari coeperunt (109): quod ex generali quae tum vigebat conſuetudine praeſcripſerunt Synodus Viennienſis an. 1311. (110), & Pontificale Romanum ſub Leone X. edito ineunte ſaeculo XVI. In diaconis annos XXV. requiſierunt Iuſtinianus (111), Concilium Trullanum (112), Carthaginienſe III. (113), Toletanum II. (114), aliaque. In hypodiaconis annum quoque XXV. Iuſtinianus (115); tum vigeſimum Synodus Trullana (116) praeſcripſit. Eumdem hunc annum aſſignant Concilium Toletanum II. (117), Rothomagenſe (118), & alia bene multa. Poſtea Synodus Melphienſis ſub Urbano II. an. 1089. (119) permittit hypodiaconatum conferri anno XIV. vel XV. Eadem aetate ſuſceptum fuiſſe ſuo tempore teſtatur Hugo Victorinus (120). Nec id mirum, cum inter minores ordines adhuc recenſeretur. Exinde annum XVIII. hypodiaconis ordinandis praeſcripſerunt Pontificale Romanum tempore Leonis X. evulgatum, & Concilium Narbonenſe an. 1551. (121). Minores denique ordines vel ipſis infantibus conferri in utra-

(105) *Can.* 11. (106) *Can.* 14. (107) *Can.* 19.
(108) *Can.* 17. (109) Vid. Thomaſſin. *diſcipl. part. I. lib.* 2. *cap.* 70. (110) *In Clement.* 3. *de aetat. & qualit. praeſiciendor.* (111) *Nov.* 123. *cap.* 13. (112) *Cit. can.* 14.
(113) *Can.* 4. (114) *Can.* 1. (115) *Cit. Nov.* 123.
(116) *Can,* 15. (117) *Cit. can.* 1. (118) *Can.* 5.
(119) *Can.* 4. (120) *Lib. III. de ſacrament. part. III. cap.* 21.
(121) *Cap.* 4.

utraque eccleſia conſueverunt. Olim parentes ab infantia puerulos *officio clericali* mancipaſſe, conſtat ex Siricio (122), & Zoſimo (123), itemque Concilio Carthaginienſi III. (124), & Toletano II. (125): cuiuſmodi mancipationem ſine clericali tonſura & primi ordinis collatione haud factam, obſervat Morinus (126). Ita Felix Nolanus *primis lector ſervivit in annis*, uti canit S. Paullinus (127). In Vandalica perſecutione *quamplurimos lectores infantulos* in exilium pulſos una cum Eugenio epiſcopo Carthaginienſi & univerſo clero, teſtatur Victor Uticenſis (128). Eugenium I., ut cetera mittam exempla, *clericum a cunabulis fuiſſe*, ſcribit Anaſtaſius (129). Iure Concilii Tridentini (130), quo utimur, hypodiaconi ante XXII., diaconi ante XXIII., presbyteri ante XXV. aetatis annum inchoatum ordinari nequeunt. Nulla minoribus ordinibus & primae tonſurae aetas iure communi praeſcripta eſt, ſed epiſcoporum religioni relicta; quamvis invaluerit, ut ante ſeptennium exactum poſt Tridentinum non conferrentur. Sed apud nos pactis conventis an. 1741. (131) nemo ante annum XIII. tonſura initiari poteſt, praeter arctatos.

§. XX. Sacramentum ordinis *gratiam* & *characterem* confert, ut ex perpetua eccleſiae doctrina defini-

(122) *Epiſt.* 1. (123) *Epiſt.* 1. (124) *Can.* 19.
(125) *Can.* 1. (126) *De ſacr. ordinat. part. III. exerc.* 15. *n.* 5. (127) *Natali* 4. (128) *Lib. V. de perſecut. Wandalica cap.* 9. (129) *In eius vita*. Conf. Blanchinium *not. ad Anaſtaſ. tom. IV. p.* 60., & Lupum *ad can.* 2. *Concilii Toloſani, tom. V. App.* Adde Allatium *diſſ. de aetate & interſtitiis in collatione ordinum etiam apud Graecos ſervandis*, & Gotlieb Kahslium *diſſ. de aetate, qua apud Hebraeos & Chriſtianos veteres ſacra auſpicari munera moris erat*, (130) *Seſſ.* 23. *de ref. cap.* 12. (131) *Cap.* 4. §. 5.

finivit Tridentinum (132). Hinc iteratas ordinationes reſpuunt Innocentius I. (133), Gregorius M. (134), aliique. Concilium Carthaginienſe III. an. 397. (135), vetuit *fieri rebaptizationes & ordinationes, quod etiam in Capuenſi* (forte Capſenſi) *plenaria Synodo videtur ſtatutum*. In eum, qui ordines iterum confert, vel accipit, depoſitionem ſtatuit canon apoſtolicus LXVII. Ii tantum reordinandi, qui rurſus baptizandi ſunt. Ita Nicaena Synodus (136) permittit Novatianos, quorum baptiſmum admittebat, *accepta manus impoſitione*, in clero manere: contra (137) Paullianiſtarum, quorum baptiſmum reiiciebat, clericos non admittit in clerum, niſi *prius baptizati & ordinati fuiſſent a catholicae eccleſiae epiſcopo*. Porro prioribus ſaeculis perpetua fuit ad clericatum obligatio, proinde clericis cum maioribus, tum minoribus non licuit clericatui abrenuntiare, & ad ſaeculum redire; inde paullatim invaluit, ut minores clerici impune ſaecularem vitam repeterent, perpetua ſtabilitate maioribus tantum clericis indicta: quod prae ceteris adſtruit Thomaſſinus (138).

§. XXI. Nunc de ordinationis *titulo*, *gradatione*, *interſtitiis*, *tempore*, & *loco*. Nemo ſine *titulo* ordinandus eſt. Eccleſia tituli nomine a veteribus chriſtianis donata, forte a titulis ſeu ſepulcris martyrum vel confeſſorum in aedibus ſacris reconditorum: unde aliquem ordinare ad titulum idem erat ac certae eccleſiae addicere, cui perpetuo deſerviret. Haec diſciplina antiquiſſima eſt. Haereticos carpit Ter-

(132) *Cit. ſeſ. 23. can. 4.* (133) *Ep. 16. ad Marcian. epiſcop. Naiſſitan.* (134) *Lib. II. ep. 46. ad Io. Ravennat.*

(135) *Can. 38.* (136) *Can. 8.* (137) *Can. 19.* Conſ. Couſtant. *monito in ep. 17. Innoc. I. ad Ruſum p. 822. ſeq. tom. I. Epiſt. Romanor. pontific.* (138) *Diſcipl. part. II. lib. I. cap. 14.*

Tertullianus (139), quod *eorum plerique ſine matre, ſine ſede, orba fide, nec eccleſias habent*, quarum ſcilicet titulo ordinentur. Eiuſmodi ad titulum ordinationem Synodus Ancyrana (140), Neocaeſarienſis (141), Leo M. (142), ac omnium aetatum canones confirmarunt. Concilium Chalcedonenſe (143) vetuit, clericos ſive maiores, ſive minores *ἀπολελυμένως abſolute*, h.e. ſine certae eccleſiae addictione, ordinari, *niſi ἰδικῶς ſpecialiter in eccleſia civitatis, aut pagi, aut in martyrio, aut monaſterio*. Itaque tituli ſeu eccleſiae, quibus clerici ordinabantur, quadruplicis erant generis. Eccleſia civitatis erat ipſa cathedralis, vel alia e minoribus urbis eccleſiis. Eccleſiae pagorum erant paroeciales eccleſiae in pagis & vicis conſtitutae, vel privata oratoria in agris extructa. Martyria heic ſunt capellae, ſeu oratoria ſuper martyrum ſepulcra erecta. Monaſteria tandem erant privata ſacella, in quibus ſacra myſteria in commodum monachorum peragebantur; quum enim monachi olim laici eſſent, aut eorum unus, aut alius ſaecularis ordinabatur ad titulum monaſterii, ut ſacra faceret in eo, & monachis ſacramenta miniſtraret. Haec ordinationis ad titulum regula vix exceptionem paſſa eſt in paucis quibuſdam pientiſſimis, ſapientiſſimiſque viris, a quibus plurimum ſibi ſperabat eccleſia, quoſque adeo per vim epiſcopi ordinarunt. Ita Hieronymus ea lege conſenſit a Paullino Antiocheno epiſcopo ordinari, ut illius eccleſiae non adſcriberetur, quod ipſemet (144) teſtatur. Paullinus Nolanus (145) ea conditione conſecrari a Lampio

(139) *De praeſcript. cap.* 48. (140) *Can.* 18. (141) *Can.* 13. (142) *Ep. II.* (143) *Can.* 6. (144) *Ep.* 61. *ad Pammach.* (145) *Ep.* 6. *ad Sever.*

pio Barcinonenſi epiſcopo ſe adductum prodit, ut ipſi eccleſiae non adligaretur. Ceterum ordinario ad titulum protinus clericos ipſi particulari eccleſiae ſic adligabat, ut ſuos ibi ordines exercerent, inque ea iugiter reſidere tenerentur, nec inde recedere liceret, & ad aliam eccleſiam tranſire ſine epiſcopi venia, aut vagari ſine epiſcopi litteris, uti conſtat ex Concilio Antiocheno (146), Arelatenſi I. (147), Carthaginienſi I. (148), Leone M. (149), aliiſque (*k*). Eadem eccleſiarum noſtrarum diſciplina fuit. Gregorius M. (150) Syracuſano epiſcopo iniungit, ut clericos Bacaudae epiſcopi ad eum redire compelleret, ut titulis, quibus fuerant adſcripti, inſervirent. Ex reditibus vero eccleſiarum, in quibus miniſtrabant, clerici alebantur: quod in nova diſciplina *beneficium* dicitur; unde quem epiſcopus ordinabat ad titulum, ei cum ipſa ordinatione beneficium dabat.

§. XXII. Clerici ad ſaeculum XII. tantum ad *titulum* ſeu certam eccleſiam ordinabantur. Saeculo XIII. primum emerſit *patrimonii* titulus ob male intellectum Lateranenſem canonem. Nimirum Synodus Lateranenſis III. ſub Alexandro III. an. 1169. (151) cavit, ut *epiſcopus ſi aliquem ſine certo titulo, de quo neceſſaria vitae percipiat, in diaconum, vel presbyterum ordinaverit, tamdiu ei neceſſaria vitae ſubminiſtret, donec in aliqua eccleſia ei convenientia ſtipendia clericalis militiae adſignet; niſi forte talis, qui or-*

(146) *Can.* 3. (147) *Can.* 21. (148) *Can.* 5. (149) *Ep.* 86. (150) *Lib. III. ep.* 42. (151) *Can.* 5. *relat. in cap.* 4. *ext. de praebend.*

(k) Conf. Walchium *diſſ. de tranſlationib. miniſtrorum in veteri eccleſia*, & Schmidium *Comment. ad can.* 5. *Concilii Nicaeni de tranſlationib. epiſcopor., presbyteror., & diaconorum.*

ordinatur, *extiterit*, *qui de ſua*, *vel paterna hereditate ſubſidia vitae poſſit habere*. Nihil, uti vides, de veteri ad titulum ordinatione Synodus immutavit; quin eam confirmavit. Veteri enim iuri id unum addidit, ut epiſcopus poenae nomine alat diaconos & presbyteros, quos temere ſine titulo ordinaverat, donec iis beneficium in aliqua eccleſia conferat; tum exceptionem dat, niſi abſolute ordinati ex bonis ſuis habeant, unde vivant: quibus verbis ſpecies affertur, qua epiſcopus ea poena liberatur, non titulus patrimonii inſtituitur. Quod vero Concilium Lateranenſe nulla ordinatos ſine titulo poena affecit, ſed tantum epiſcopos adegit ad alendos abſolute ordinatos, ſi bonis propriis carerent; inde ſequentes eius aetatis interpretes intulerunt contra canonis mentem, licere epiſcopis etiam ſine beneficio ordinare, modo ordinandi ipſi bona haberent, unde viverent; ſicque prodiit patrimonii titulus. Robur patrimonio inducendo addidit mala interpretatio canonis VI. Chalcedonenſis, qui vetat quemquam abſolute ordinari, niſi *ἐν ἐκκλησιᾳ πολεως*, *ἠ κωμης*, *in eccleſia civitatis*, *vel pagi*, ſive, ut Iſidorus apud Gratianum (152) vertit, *poſſeſſionis*. Quamvis enim *poſſeſſio* pagum ſignificet, teſte Sexto Pompeio (153), aliiſque, & hoc ſenſu uſurpetur ab Iſidoro; tamen veteres Gratiani interpretes verbum *poſſeſſionis* de patrimonio interpretati ſunt, ut in Gloſſa marginali videre eſt. Hinc ſaeculo XIII. invaluit diſciplina ordinandi clericos ad titulum eccleſiae, vel patrimonii; quam probavit Innocentius III. (154). Hinc eodem ſaeculo mutata tituli ſignificatio; non enim am-

(152) *Can.* I. *diſt.* 70. (153) *In voc. poſſeſſio.*
(154) *Cap.* 23. *ext. de praebend.*

amplius acceptus eſt pro eccleſia, cui deſerviendae clerici ordinabantur, ſed pro reditibus, e quibus ordinandi honeſte vivere poſſint: quo ſenſu accipitur in Concilio Biterrenſi an.1233. (155), aliiſque monumentis.

§.XXIII. Invecto autem more indiſcriminatim ordinandi ad titulum eccleſiae, vel patrimonii, paſſim ingens vagorum & inutilium clericorum numerus erupit, & ſanctiſſima clericalis dignitas eviluit, non ſine chriſtianae religionis detrimento, ac dedecore; nam clericos *turba contemtibiles facit*, ut verbis utar Hieronymi (156), ac porro οὐδὲν ἐν ἀμετρίᾳ καλόν, *nihil immenſum bonum*, uti praeclare Iuſtinianus (157). Malis hiſce, quantum temporum rationes patiebantur, occurrit Tridentina Synodus. In hac de abrogando, retinendove uſu ordinandi ad titulum patrimonii, vel penſionis eccleſiaſticae acriter diſputarunt patres, vicitque eorum ſententia, quae antiquam diſciplinam quoquo modo reſtaurare videbatur (158). Quare decrevit Synodus (159), *ne quis clericus ſaecularis ad ſacros ordines promoveatur, niſi prius legitime conſtet, cum beneficium eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere*. Titulum vero patrimonii, vel penſionis non excluſit, ſed admiſit pro iis tantum, *quos epiſcopus iudicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate eccleſiarum ſuarum*. Eadem Synodus (160) *veſtigiis VI. canonis Chalcedonenſis inhaerendo ſtatuit, ut nul-*

(155) *Can.6.* (156) *Ep.146. n. 2.* (157) *Nov. 6. in praef.* (158) Conf. Card. Pallavicin. *Hiſt. Concil. Trident. lib. XVII. cap.9.*, & Gentian. Hervetum in *orat. de interpretat. canon. 6. Chalced.* apud Gratium *in faſciculo rerum expetendar. tom. II.* (159) *Seſſ. 21. de ref. cap. 21.* (160) *Seſſ.23. de ref. cap. 16.*

ſus in poſterum ordinetur , qui illi eccleſiae , aut pio loco , pro cuius neceſſitate , aut utilitate adſumitur , non adſcribatur , ubi ſuis fungatur muneribus , nec incertis vagetur ſedibus . Quod ſi locum inconſulto epiſcopo deſeruerit , ei ſacrorum exercitium interdicatur , Si vigerent haec Tridentini decreta , non niſi utiles , & neceſſarii eccleſiis ordinarentur ; clerici , qui ſub titulo beneficii ordinantur , reſiderent omnes , & ſacras obirent functiones ; iam nulli eſſent vagi , & acephali clerici , ut obſervat Thomaſſinus (161). Interim liquido patet , hanc eſſe Tridentini mentem , ſolum beneficium eſſe *legitimum* & *ordinarium* titulum ad ſacros ordines ; patrimonium vero eſſe *extraordinarium* & *ſuppletorium* , ac veluti ex *diſpenſatione* admitti ; quod etiam declaravit S.Congregatio Tridentini interpres (162) . Quare *maximus eſt abuſus* , ait Bellarminus (163) , *ordinare quoslibet ad titulum patrimonii . Plurimi enim ordinari cupiunt pro utilitate ſua , non eccleſiae ; & de celebratione miſſae faciunt artem de pane lucrando . Unde ſacerdotium contemtibile redditur , & eccleſia ſcandalis patet .* Eſt & titulus *monaſterii* , ad quem ordinantur hodie regulares , qui ſollemnem profeſſionem iam ediderunt . Nequeunt enim hoc titulo promoveri novitii , quique ad certum tempus , vel numquam tria religionis vota emittunt , quamvis in communitate vivant ; quod inflicta in ipſos ordinatos ſuſpenſione ex veri tituli defectu ſancivit Pius V. (164) . Ita triplex nunc ſacrae ordinationis titulus eſt , *beneficium* , *patri-*

(161) *Diſcipl. part. II. lib. I. n. 7.* (162) Apud Fagnan. *ad cap. 4. ext. de praebend. n. 24.* (163) *Ep. ad epiſcopum Theanenſem nepotem ſuum .* (164) Conſt. *Romanus Pontifex Bullar. tom. II.*

trimonium, & *monaſtica profeſſio*.

§. XXIV. Prioribus XII. ſaeculis clerici omnes cum maiores, tum minores ad titulum ordinati ſunt. Diſerte Concilium Chalcedonenſe (165) cavit, *nullum abſolute ordinandum, nec presbyterum, nec diaconum, nec omnino ullum ex iis, qui ſunt in ordine eccleſiaſtico*. Hoc idem poſteriorum temporum canones confirmarunt. Saeculo XII. laudata Synodus Lateranenſis III. (166) tituli neceſſitatem ſolis diaconis & presbyteris indixit. De titulis vero minorum clericorum tacuit, fortaſſe quia ob exiguum beneficiorum numerum in maioribus tantum ordinibus titulus neceſſarius eſt viſus. Nec ea aetate defuiſſe, qui titulos inferiorum clericorum ſublatos putarent, colligitur ex Stephano Tornacenſi (167). Deinde ad hypodiaconos, qui inter maiores clericos iam fuerant relati, neceſſitatem tituli produxit Innocentius III. (168). Novum hoc ius a Tridentino (169), confirmatum eſt, quod tantum maioribus clericis titulum praeſcripſit; minoribus autem adſignari iuſſit ſtipendia *ex aliqua parte redituum ſimplicium beneficiorum, vel fabricae eccleſiae* (170): quod diverſum eſt a titulo. Sed in Regno noſtro etiam tonſura initiandis titulus eſt neceſſarius. Etenim foedere cum Benedicto XIV. inito an. 1741. (171) vetitum eſt, quemquam initiari, niſi beneficium, aut perpetuam capellaniam habeat, quorum reditus, deductis oneribus, dimidium reditus patrimonii in dioeceſi ordinandi praeſcriptum ſaltem exaequet. Cautum prae-

 terea

(165) *Cit. can.* 6. (166) *Cit. can.* 5. (167) *Ep.* 12. *ad Magnum praelatum*. (168) *Cap.* 16. & 23. *ext. de praebend.*
(169) *Cit. ſeſſ.* 21. *cap.* 2. (170) *Seſſ.* 23. *cap.* 17.
(171) *Cap.* 4. *n.* 1. 2. 4. & 8.

terea, ut eccleſiarum neceſſitate, vel utilitate ſuadente, liceat clericos conſtituere aut titulo integri patrimonii, cuius annuus reditus nec infra 24., nec ſupra 40. aureos ſit; aut perpetuae penſionis, quae reditus integri patrimonii dimidium ſaltem ſit: ſtatuta in ſecus ordinatos ſuſpenſione perpetua ab ordinum exercitio, in ordinantes vero ſuſpenſione per annum ab exercitio pontificalium, & ordinum conferendorum.

§. XXV. Olim ordinati ſine titulo ſuſpenſionem ipſo facto incurrebant. Veteres enim canones abſolutas ordinationes *irritas* decernunt. Primum Synodus Chalcedonenſis (172) eiuſmodi ordinationem *ἄκυρον irritam* & *vanam* pronuntiavit. Idem inter ceteros ſancivit Urbanus II. in Concilio Placentino an. 1095. (173). Binos hos canones decreto ſuo Gratianus inſeruit (174). Iam *ἄκυρος* declaratur abſoluta ordinatio quantum ad *effectum* ſeu *uſum*, non vim ipſam ordinis: proinde ordinati ſine titulo ſuſpendebantur ordinum exercitio. Deinde iure decretalium, ſublata ſuſpenſionis poena, iuſſi ſunt epiſcopi alere maiores clericos ſine titulo a ſe ſcienter ordinatos, quibus, unde ſe exhiberent, de ſuo non ſuppeteret: quod primus ſtatuit Innocentius III. (175), confirmavitque Bonifacius VIII. (176). Tandem Tridentina Synodus (177) *antiquorum canonum poenas innovavit* in hac re: quibus verbis non ad veteres canones a Gratiano relatos, ſed ius decretalium ſpectaſſe, adeoque ſuſpenſionis poenam a Tridentino haud innovatam, *quod dum innovat poenas, non cenſetur*

(172) *Cit. can.* 6. (173) *Can.* 15. (174) *Can.* 2. *diſt.* 70.
(175) *Can.* 16. *ext. de praebend.* (176) *Cap.* 36. *eod. in* 6.
(177) *Cit. ſeſſ.* 21. *cap.* 2.

ſetur innovare illam, quae iam fuerat ſublata per decretales, cenſuit S. Congregatio (178). Atque hoc iure nunc utimur. Etenim Sixti V. (179) conſtitutionem, qua perpetuam ſuſpenſionem ipſo iure ordinatis ſine titulo inflixit, revocavit Clemens VIII. (180), & ad Tridentini amuſſim exegit. Quod ſi quis obtruſo per dolum falſo titulo ordinatus eſt, tunc veterem ſuſpenſionis poenam a Tridentino inſtauratam, eadem S. Congregatio reſpondit (181); quippe quae in hac ſpecie a iure decretalium haud abrogata, ſed potius conſtituta eſt: eos enim, qui ab eccleſia, cuius titulo ordinati ſunt, vel a patrono portionem non exigere pacti ſunt, ſuſpenſione coërcuerunt Innocentius III. (182), & Gregorius IX. (183). Immo Urbanus VIII. (184) perpetua ſuſpenſione ipſo facto incurrenda, ſine ſpe diſpenſationis a Sede Apoſtolica obtinendae, ordinatos falſo, ficto, vel fiduciario titulo perculit. Haec de maioribus clericis intellige, quibus unis tituli neceſſitas a Tridentino impoſita eſt. Qui vero ſuum alienaverit, abrenunciaverit, vel amiſerit patrimonium, ſuſpenſionem non incurrit; nam cum vero patrimonio iam ordinatus eſt. Verum patrimonii alienatio ipſo iure nulla eſt, uti declaravit S. Congregatio (185). Nec item renunciationem patrimonii a *clerico ſine licentia epiſcopi factam ſuſtineri, etiam poſt adſecutionem beneficii ad eius vitam ſuſtentandam ſufficientis*, eadem Congre-

(178) Apud Fagnan. *in cit. cap.* 16. *n.* 63. (179) Conſt. *ſanctum & ſalutare* 91. in Bullar. (180) Conſt. *Romanum pontificem* 40. in Bullar. (181) Apud Fagnan. *in cit. cap.* 16. *n.* 68. (182) *Cap.* 37. *ext. de ſimonia*. (183) *Cap.* 49. *eod.*
(184) Conſt. *ſecretis* edita 21. Decemb. an. 1624.
(185) Apud Benedict. XIV. *inſtit.* 26., & *lib. XII. de ſynod. dioeceſ. cap.* 9.

gregatio reſpondit (186).

§. XXVI. Gradatim ad ordines adſcendendum, non per ſaltum. Prioribus IX. ſaeculis in utraque eccleſia progreſſio per omnes ordines haud obtinuit. E minoribus ordinibus, quibus hypodiaconatus acenſebatur, unus pluresve omitti ſolebant, ſi putaret epiſcopus aliquem in iis probari non oportere, quod eius ſcientiam probitatemque noſſet. Solicitiorem fuiſſe veterem eccleſiam, ut promovendi iis tantum ordinibus, quibus aptiores eſſent, diutius probarentur, quam ut ſinguli ſingulos minores ordines reciperent & exercerent, conſtat ex Concilio Sardicenſi (187), Ambroſio (188), ac decretalibus Siricii (189), Innocentii (190), Zoſimi (191), & Gelaſii (192). Ita S. Epiphanius laicus diaconatu ſtatim donatus eſt a Pappo Citriae epiſcopo, ut ex Actis eius vitae (193). Hilarius Pictavienſis epiſcopus diaconatum B. Martino adhuc laico conferre voluit, quem tamen ille humilitatis gratia reſpuit, accepitque exorciſtatum, teſte Sulpicio Severo (194). S. Caeſarium, ut alia mittam exempla, e lectore *illico primum diaconum, deinde presbyterum ordinatum*, prodit Cyprianus eius diſcipulus (195). Quod vero ad maiores ordines pertinet, nonnumquam, omiſſo diaconatu, presbyteratus collatus fuit minoribus clericis, ac ipſis laicis, doctrina & probitate commendatis, quos eccleſiae profuturos epiſcopi iudicarent.

S.

(186) Vid. Benedict. XIV. *cit. loc.* (187) *Can.* 13.
(188) *Lib. I. de offic. cap.* 44. (189) *Ep. ad Himer. Tarraconenſ. cap.* 9. (190) *Ep. ad Felicem epiſcopum Nucerinum cap.* 4. (191) *Ep. ad Heſychium cap.* 1. (192) *Ep. ad epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos cap.* 3.
(193) *Apud Surium.* (194) *In vita S. Martini.*
(195) *In eius vita.*

S.Cyprianum *neophytum & novellum presbyterium & ſacerdotium accepiſſe*, ſcribit Pontius (196); de ceteris ordinibus tacet. Auguſtinum e laico presbyterum ordinatum, habes ex Poſſidio (197). Coſmam Syracuſanae eccleſiae ſubdiaconum presbyteratu auctum, ſcribit Gregorius M. (198). Epiſcopatus etiam, omiſſo presbyteratu, quandoque collatus diaconis, clericis inferioribus, ac vero etiam laicis (*l*). Ita Caecilianus archidiaconus Carthaginienſis in diaconatu epiſcopus ordinatus eſt, teſte S.Optato (199). Ioannem primum lectorem, deinde archidiaconum, tan-

(196) *In eius vita n. 3. & 5.* (197) *In vita Auguſtin.*
(198) *Lib. XI. ep. 34.* (199) *Lib. I. contra Parmenian.*

(l) Quaerunt eruditi, an presbyteratus omiſſo diaconatus gradu, itemque epiſcopatus praetermiſſo presbyteratu collatus aliquando ſit. Morinus *de ſacr. ordinat. part. III. exerc. 11. cap.2.* ſtatuit, *epiſcopatum, ut valide conferatur, neceſſario presbyteratum requirere; presbyteratum vero nullum antecedentium ordinum. Nullum enim*, ſubdit, *extat exemplum epiſcopatus non presbytero collati. Ceteros quoque antecedentium nullum, ut radicitus inhaereant, ſupponere.* Haec viro ex mera quantus erat antiquitate compoſito excidiſſe, mirum videri debet. Contra Thomaſſinus *part. I. lib. 2. cap. 36.* Lupus *diſſ. de VIII. Synod. ad calumniam 9. Photii tom. III. Opp. p. 349.* Hallier. *de ſacr. electionib. & ordinat. part. II. ſect. 1. cap. 1. art. 2.* §. 4. Iuenin. *de ſacram. diſſ. 8. q. 8. cap. 4.* aliique tuentur, neminem niſi diaconum in presbyterum, nec niſi presbyterum in epiſcopum creviſſe. At horum ſententia multis ex antiquitate in contrarium petitis exemplis evertitur. Scite Mabillonius *comment. praevio ad Ord. Roman.* §. 16. & 18., Ant. Pagius *ad A. C.* 604. *n.* 4. Franc. Pagius *breviar. hiſt. chronolog. in Sabiniano n. 2. ſeqq.* Martenius *de antiq. eccl. ritib. lib. I. cap. 8. art. 3. n.* 10. Chardonius *hiſt. ſacrament. lib. I. cap.* 4. *tom. III.* aliique demonſtrant, in Romana, aliiſque Occidentis eccleſiis & presbyteros ſine diaconatu ordinatos, & diaconos ſine presbyteratus ordine in epiſcopos fuiſſe inauguratos.

dem Cabillonenſem epiſcopum ordinatum, refert Sidonius Apollinaris (200). S. Epiphanium e lectore hypodiaconum, tum diaconum, nullaque presbyteratus mentione iniecta, Ticinenſem epiſcopum conſecratum, prodit Ennodius (201). In toto Occidente adhuc ſaeculo IX. diaconi, praetermiſſo presbyteratu, epiſcopi conſecrabantur. Hinc Latinis vitio vertit Photius, quod apud eos diaconi crearentur epiſcopi, presbyteratu haud accepto. Et quamvis Graeculos calumniari reponeret Ratramnus Corbeienſis (202); factum tamen admiſit Aeneas Pariſienſis epiſcopus (203), multiſque id licere oſtendit, praeſertim *quod in ſublimitate maioris pontificis conſiſtat etiam honor minoris ſacerdotis*, nempe quod presbyteratus *eminenter* in epiſcopatu contineatur. Idem in Oriente ab aliquibus factum, ipſe Photius (204) non diffitetur. In ipſa Romana eccleſia pontifices e diaconis delectos, omiſſo presbyteratu, conſecrari epiſcopos conſueviſſe, liquet ex Romanis Ordinibus, & exemplis Valentini, & Nicolai I., qui ex diaconis, praetermiſſo presbyteratus ordine, pontifices conſecrati fuere. Eiuſmodi mos ad Gregorium VII. viguit, qui adhuc diaconus ad pontificatum evectus an. 1073., primus Romanorum pontificum presbyteratu, antequam epiſcopus fieret, inſignitus eſt. Inde Gelaſius II. ex diacono item electus, non ante pontifex conſecratus fuit, quam presbyter ordinatus (*m*).

§.XXVII.

(200) *Lib. IV. ep* 25. (201) *In eius vita*. (202) *Lib. III. contra Graecor. oppoſita cap.* 8. (203) *Lib. adv. Graecor. obiectiones cap.* 210. *apud* Lucam Dacherium *tom. VII. Spicilegii p.* 148. (204) *In ep. ad Nicolaum P.*, apud Baron. *ad an.* 861. *n.* 44.

(m) Conſ. Mabillonium, & Pagium iuniorem *cit. loc.*

§. XXVII. Veteri huic diſciplinae, qua per omnes ordinum gradus ad ipſum uſque epiſcopatum neceſſario progrediendum non erat, ſucceſſit nova, qua ordinata per ſingulos ordines progreſſio neceſſaria habetur, & quaſi ad vim alterius ordinis, ita ut vel unus ex inferioribus ordinibus omiſſus ſuppleri debeat. Novum hoc ius ex Pſeudo-Iſidori collectione natum eſt; is enim epiſtolam protruſit ſub nomine Caii papae ad Felicem epiſcopum, cuius fragmentum extat apud Gratianum (205), qua *mandatur, ut ſi quis epiſcopus eſſe meretur, ſit primum oſtiarius, deinde lector, poſtea exorciſta, inde ſacretur acolythus, demum vero ſubdiaconus, deinde diaconus, & poſtea presbyter, & exinde, ſi meretur, epiſcopus ordinetur*. Hinc paſſim apud Latinos receptum, per diſtinctos hos gradus ad ſacerdotium & epiſcopatum adſcendi, omiſſoſque ſuppleri. Quin inde a ſaeculo IX. poenae in violatores ſancitae ſunt. Concilium Sueſſionenſe II. an. 853. (206) (quo tempore Iſidoriana collectio Galliam iam pervaſerat) depoſitionem ſtatuit in *eum, qui ſaltu ſine diaconi gradu ad ſacerdotium proſilivit*. Eadem poena in diaconos & presbyteros ceteris ordinibus carentes animadvertit Concilium Rothomagenſe an. 1022. Deinde ſuſpenſio ab ordinibus ita ſuſceptis indicta eſt, donec ſupplerentur omiſſi: quod primum ab Alexandro II. (207) conſtitutum eſt. Inde Innocentius III. (208) Bononienſi epiſcopo reſcripſit, ut peracta condigna poenitentia, ſuppletoque omiſſo diaconatus ordine, presbyterum reſtitueret. Tandem Tridentinum (209) epi-

(205) *Can.* 1. *diſt.* 77. (206) *Act.* 7. (207) Apud Gratian. *can.* 1. *diſt.* 52. (208) *Cap. unic. de cleric. per ſalt. promot.* (209) *Seſſ.* 23. *de ref. cap.* 14.

epiſcopis permiſit, ut iuſta de cauſſa cum promotis per ſaltum ordine ſuppleto diſpenſent, modo ii in ſuſcepto ordine non miniſtraverint; quod ſi miniſtraverint, utpote irregulares ex violatione cenſurae, ſummi pontificis indulgentia eſt opus, niſi crimen (quod hac in re difficillimum eſt) occultum fuerit.

§. XXVIII. Certa temporum intervalla inter unum & alterum ordinem ſervanda, quae *interſtitia ordinum* vocantur. Legem interſtitiorum primum propoſuit Synodus Sardicenſis (210), cavitque *uniuſcuiuſque ordinis gradum habere non minimi temporis longitudinem, per quod & fides, & morum probitas, & conſtantia, & moderatio poſſit cognoſci*: unde habes, certum a Synodo tempus hac in re haud definitum, ſed epiſcoporum arbitrio delatum fuiſſe. Deinde ſtata interſtitiorum tempora praeſcripſerunt Siricius (211), Innocentius I. (212), Zoſimus (113), Leo I. (214), & Gelaſius I. (215). Tantum interſtitia monachorum, qui deficientibus clericis ordinabantur, breviora fuere, ob probatam ſcilicet in monaſterio eorum pietatem, ut ex eodem Gelaſio (216) conſtat. Haec interſtitiorum diſciplina paullatim collapſa eſt ob mutationem aetatis ordinandorum a ſaeculo V. pedetentim factam. Saeculo XII. quatuor inferiores ordines conferri uno die conſueviſſe, conſtat ex Caeleſtino III. (217). Tandem Tridentina Synodus (218), ut veterem diſciplinam quodammodo reſtitueret, iuſſit, ordines per temporum interſtitia dari, nempe clericum

(210) *Can.* 10. (211) *Cit. ep. ad Himer. cap.* 9. & 10.
(212) *Ep. ad Felicem epiſcop. Nucerin.* (213) *Cit ep. ad Heſychium cap.* 3. (214) *Ep. ad Anaſtaſ. Theſſalonicenſ.*
(215) *Cit. ep. ad epiſcop. per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos.* (216) *Cit. ep. cap.* 2. (217) *Cap.* 2. *ext. de eo, qui furtive ordinem ſuſcepit.* (218) *Seſſ.* 23. *de ref. cap.* 2.

cum *nonniſi poſt annum a ſuſceptione poſtremi gradus minorum ordinum ad ſacros ordines promoveri*; in diaconatu *ad minus annum integrum* verſari. Diſpenſandi praeterea poteſtatem epiſcopis conceſſit, in minorum ordinum interſtitiis, *ſi id epiſcopo expedire magis videatur*; in maiorum autem, ſi ita *ob eccleſiae utilitatem, ac neceſſitatem epiſcopo videatur*. Idem Tridentinum (219) vetuit, *duos ſacros ordines eodem die etiam regularibus conferri, privilegiis, ac indultis quibuſvis conceſſis non obſtantibus quibuſcumque*, ablata epiſcopis, praeter Romanum, diſpenſandi auctoritate.

§.XXIX. De tempore ſacrarum ordinationum tria quaerenda, quo anni menſe, quo hebdomadae die, & qua hora olim celebrarentur. Prioribus tribus perſecutionum ſaeculis & amplius, epiſcopi (*n*), presbyteri, diaconi, aliique clerici quovis menſe, die, atque hora ordinabantur, ut eccleſiarum neceſſitas poſtulabat, & opportunitas patiebatur: quod pluribus adſtruunt Ant. Pagius (220), & Binghamus (221). Parta eccleſiae pace, ſacrae ordinationes apud Latinos die dominico celebratas, conſtat ex Leone I. (*o*), qui

(219) *Cit. ſeſs. 23. cap. 13.* (220) *Critic. Baronian. ad an. 67. n. 18. ſeqq.* (221) *Lib. IV. orig. eccleſ. cap. 6. §. 7.*

(n) Romanos pontifices a Petro ad Simplicium uſque ordinationes celebraſſe menſe Decembris ob proximam Dominicae nativitatis ſollemnitatem, tradunt Auctor libri Pontificalis, Amalarius, Micrologus, aliique. At illos qualibet hebdomadae die ordines contuliſſe, nec prioribus ſaeculis menſi Decembris ordinationes perpetuo in Romana eccleſia adfixas fuiſſe, praeclare oſtendunt Ant. Pagius *Critic. Baronian. ad an. 67. n. 4.*, & Franciſcus Pagius *Breviar. Roman. Pontific. in Simplicio.*

(o) S. Leo *ep. XI. ad Dioſcorum Alexandrin.* inquit, *ſervatum a patribus noſtris, ut non paſſim diebus omnibus ſacerdotalis*

qui hunc morem ad *patres*, & *traditiones maiorum* re-

lis (hoc eſt presbyteralis, & epiſcopalis), *vel levitica ordinatio celebretur*, ſed tantum in *die reſurrectionis Dominicae*. Rurſus *ep.4. ad Anaſtaſ. Theſſalonicenſ. cap.6.* eſſe *contra canones & traditionem patrum* ait, *presbyteros & diaconos quolibet die dignitatem accipere*. Et *epiſt.74. ad Marcian. Aug.* reprehendit Anatolium CPolitanum epiſcopum, quod Aetium presbyterum ordinaſſet non die Dominico, ſed *Sexta ſabbati*, *traditionis apoſtolicae aut neſcius*, *aut oblitus*. Nomine *diei reſurrectionis Dominicae* non diem paſchae, ſed quamlibet Dominicam a Leone ſignificari, colligitur ex eadem *ep. ad Dioſcorum*, ubi diem Dominicae reſurrectionis a paſchali diſerte diſtinguit iis verbis, *quam ad diem reſurrectionis*, *ſicut etiam in paſcha Domini declaratur &c.*; itemque ex eo, quod die illa Dominicae reſurrectionis *mundum ſumſiſſe exordium* ſubdit. Nimirum veteribus quaelibet Dominica dicta eſt *reſurrectionis dies*, ob memoriam Dominicae reſurrectionis; *δια τον εν αυτη αναϛαντα* Κυριον, *quia Dominus ea die reſurrexit*, inquit Chryſoſtomus in *Pſalm.CXIX.*, ſive quod *Chriſtus reſurrectione ſua diem Dominicum conſecravit*, uti loquitur Athanaſius *tom.I. p.* 1060. Sic Dominica *αναϛασιμος ημερα*, *reſurrectionis dies* dicitur Ignatio *ep. ad Magneſ.*, Palladio *in diſputat. Gregentii*. aliiſque. Appoſite Pſeudo-Clemens *lib.VII. Conſt. Apoſt. cap.* 31.: *Την αναϛασιμον τε* Κυριε *ημεραν*, *την κυριακην φαμεν*, *reſurrectionis Domini diem*, *Dominicam appellamus*. Pariter *reſurrectionis diem* pro qualibet Dominica dixit Alcuinus editus a Mabillonio *tom. II. Analect. p.* 101. & 138. Porro per *traditionem apoſtolicam*, qua ordines die Dominico conferendi ſunt, non intelligit Leo apoſtolicam inſtitutionem (prioribus enim tribus ſaeculis cuilibet diei, non uni Dominicae adfixae erant ordinationes) ſed conſuetudinem in Romana eccleſia ſaltem poſt Conſtantinum receptam, quae ab apoſtolica potius doctrina deſcenderet. Sollemne Leoni fuiſſe mores in eccleſia ſua receptos traditionis apoſtolicae nomine inſignire, conſtat ex *ep. 2. ad Ruſticum*, ubi ex *apoſtolica traditione* venire ait, maiores clericos publicae poenitentiae non ſubdi; quos tamen primis tribus ſaeculis ſubiectos fuiſſe, comperimus. Urget quoque pontifex *canones*, *& traditionem patrum*. Canones de re praeſenti fruſtra in monumentis, quae ſuperſunt, quaeres. Forte *canonum* nomine regulam eccleſiaſticam ſolo uſu & traditione

refert : unde habes , ſaltem poſt Conſtantinum in Romana, aliiſque Occidentis eccleſiis ordinationes die dominico celebrari coepiſſe ; ſecus veterem traditionem fruſtra pontifex laudaſſet. Deinde Gelaſius I. an.494. (222) praeſcripſit: *Ordinationes presbyterorum & diaconorum niſi certis temporibus & diebus exerceri non debent, ideſt, quarti menſis ieiunio, ſeptimi, & decimi, ſed etiam quadrageſimalis initii, ac mediana quadrageſimae die, ſabbati ieiunio circa veſperam noverint celebrandas.* Quinque igitur tempora ordinibus conferendis adſignata, nempe ieiunium menſis *quarti*, hoc eſt Iunii (nam veteres etiam a menſe Martio annum auſpicabantur) *ſeptimi*, hoc eſt, Septembris, *decimi*, ideſt, Decembris, *initium quadrageſimae*, ideſt, hebdomadae quadrageſimae, & diem *medianae quadrageſimae*, ideſt, ſabbatum *Sitientes* (*p*). Primum a Gelaſio quatuor temporum ieiunia

(222) *Ep. ad epiſcopos per Lucan., Brutios, & Sicil. conſtit.*

ne firmatam Leo intelligit. Vid. Queſnellum *in cit. ep. XI. ad Dioſcor.*, & *diſſ. VI. de ieiunio ſabbati in eccleſia Romana* §.6., ac Pagium *Critic. Baronian. ad an. 67. n. 15.*

(p) Primus omnium, quod ſciam, Gelaſius memorat hebdomadam *medianam quadrageſimae*. Eiuſdem deinde meminerunt alii. Pelagius I. *ep. ad Laurentium epiſcopum Centumcellenſem*, apud Holſtenium *in collect. Roman. p.241.*, eumdem hortatur, ut *veniente mediana ſeptimana paſchae* ordines celebret. Ordinationum *ſabbato hebdomadae medianae* habitarum meminere Urbanus II. in Concilio Claromontano *can. 24.*, Ivo Carnotenſis *ep. 63.*, Auctor geſtorum Innocentii III. *p. 102.*, aliique. *Dominicae medianae* mentio fit in 1. Ordine Romano apud Mabillonium *pag.* 18. Quaenam fuerit hebdomada mediana, adeoque ſabbatum hebdomadae medianae, ac Dominica mediana, non convenit inter eruditos. Scite Mabillonius *comment. ad Ordines Roman.* §. 19. *p.126.*, Cangius *in Gloſſar. v. hebdomada mediana*, aliique putant, hebdomadam medianam eſſe quartam quadrageſimae hebdomadam, quae

Do-

nia ſacris ordinationibus praeſtituta, coniicit Sandinus (223). Sed id potius factum eo temporis ſpatio, quod inter Leonem & Gelaſium proceſſit. Eiuſmodi enim ordinationes adhuc aevo Leonis dominicis diebus peractas conſtat; primuſque, quod ſciam, Gelaſius ordinationum ſtatis ieiuniorum temporibus celebrandarum meminit, ita tamen, ut veterem eſſe eam conſuetudinem, non novam, & a ſe primum inductam ſupponat. Et quamvis longe antea conſtituta fuerint quatuor temporum ieiunia, uti conſtat ex Leone M. (224), qui a *patribus* ieiunia iis tempo-

(223) *Vit. Roman. pontific. in Gelaſio I. p.163.* (224) *Serm. 1. & 5. de ieiunio decimi menſis*. Conf. Thomaſſin. *in tractatibus hiſtorico-dogmaticis de ieiuniis eccleſiae*, Mabillon. *tom.II. Muſei Italici p.93.*, & Muratorium in *diſquiſit. de quatuor temporum ieiuniis*.

Dominicam *Paſſionis* praecedit, quum revera a Dominica quarta medium quadrageſimae tempus excurrat; nam olim non a feria quarta Cinerum, ſed a feria ſecunda poſt Dominicam primam quadrageſimale ieiunium auſpicabatur. Inde ſequitur, *Dominicam medianam* eſſe eam, quam nunc *Paſſionis* adpellamus; ſabbatum vero hebdomadae medianae eſſe illud, quod a principio introitus *Sitientes* dicimus. Vidit id etiam gloſſa canonica ad Gratian. *can. 15. diſt. 63.*, ubi vocem *mediana* ſic explicat; *Scilicet quum cantatur Sitientes*. Quae cum ita ſint, perperam Lupus *ad 3. S. Leonis IX. decretum tom. IV. Opp. p. 296.* opinatur, hebdomadam medianam eam fuiſſe, quae quartam quadrageſimae Dominicam praecedit; ac proinde Dominicam medianam fuiſſe quartam quadrageſimae, quam *Laetare* vocamus; ſabbatum vero medianae illud, quod Dominicam *Laetare* praeit. Quumque hodie ordinationes non ſabbato ante Laetare, ſed ſequenti ſabbato *Sitientes* celebrentur; ſubdit vir doctus, Alexandrum III. ordinationes, quas Gelaſius in ſabbato ante Dominicam Laetare peragendas edixit, in ſabbatum ſequens ante Dominicam Paſſionis tranſtuliſſe, quia tertia hebdomada quadrageſimae baptizandorum ſcrutiniis occupabatur, adeoque ordinandorum ſcrutinia in ſequentem hebdomadam translata fuiſſe.

poribus adfixa inquit; id tamen factum non ordinationum cauſſa, ſed quod qualibet anni parte chriſtiani purificationibus egerent, ut idem pontifex (225) obſervavit (*q*). Sacras autem ordinationes praecedere ieiunium debet *ex conſuetudine, quae ex apoſtolica doctrina venit*, inquit idem Leo (226). Apoſtoli enim Paullo & Barnabae *ieiunantes & orantes* manus impoſuerunt (227). Tandem ſaeculo XII. ſabbatum ſanctum recenſitis quinque ordinationum temporibus acceſſit. Etenim Romani pontifices Gelaſius (228), Gregorius II. (229), Zacharias (230), Urbanus II. (231), itemque Ivo Carnotenſis (232), aliique ſtata ordinationum tempora recenſentes, de ordinationibus ſabbato paſchae celebrandis ſilent. Nec olim ſabbato ſancto celebrari ordinationes poterant, propter ſollemnitatem baptiſmi, cui conferendo hoc tempus conſecratum erat (*r*). Saeculo XII. ſacros mi-

(225) *Serm. 9. de ieiunio ſeptimi menſis cap.3.* (226) *Cit. ep. ad Dioſcor.* (227) *Act. XIII. v. 2.* (228) *Cit. ep.* (229) *Ep. ad Clerum, plebemque Thuringiae.* (230) *In Concilio Romano an. 753. can. 2.* (231) *In Concilio Claromontano cap. 24.* (232) *Ep. 63. ad Capitul. Senonenſ.*

(q) Martenius *lib. I. de ritib. cap.* 8. *art.* 4. *n.* 5. ſuſpicatur, etiam aevo Leonis ordinationes in quatuor temporum ieiuniis peractas fuiſſe. At id ex ſermonibus ipſius Leonis de illis ieiuniis numquam iure extundet.

(r) Chriſt. Lupus *ad Decr. S. Leonis IX. decret. 3. pag. 229.* aliique cenſent antiquiſſimum eſſe morem conferendi ordines in ſabbato ſancto, eiuſque Gelaſium non meminiſſe cauſſantur, quod inveteratum ſuppoſuerit. In hanc ſententiam laudatur locus Pelagii II. *ep. ad Iulianum*, ſeu *Tullianum epiſcopum Grumentinum*, quae integra extat apud Ivonem *Decret. part. VI. cap.* 112., ubi ait, ut Latinus Grumentinae eccleſiae diaconus, epiſcopus eccleſiae Marcellianenſis electus, Romam *ſi poteſt, ante diem ſanctum* (paſchae) *feſtinet occurrere, ut vel ſabbato ipſo noctis magnae poſt baptiſmum valeat or-*

di-

miniſtros etiam ſabbato magno conſecratos, conſtat ex Alexandro III. (233). Ob male autem intellecta Leonis & Gelaſii loca factum, ut ſabbatum ſanctum inter ordinationum tempora referretur: qua de re vide Mabillonium (234). Ita inde uſque a ſaeculo XIII. ſex apud Latinos fuerunt ſtata ſacrarum ordinationum tempora, nempe quatuor temporum ieiunia, ſabbatum *Sitientes*, & ſabbatum ſanctum. Extra haec tempora maiores ordines non niſi venia Romani pontificis conferri poſſunt; ſecus ordinans auctoritate ordinandi privandus eſt; ordinatus vero uſu ſuſcepti ordinis ipſo iure ſuſpenditur, donec cum eo diſpenſetur, ut ab Alexandro III. (235), Pio II. (236), aliiſque pontificibus cautum. Eiuſmodi diſpenſationem Romanae ſedi reſervavit Urbanus III. (237); at hanc epiſcopo poteſtatem concedere videtur Gregorius IX. (238). Regularium privilegium accipiendi ſacros ordines etiam diebus feſtis de praecepto, a Tridentino ſublatum eſt. Eadem die duo ſacri ordines conferri nequeunt, immo nec duobus diebus continuis, etiam feſtis, ut Innocentius III. (239) & Honorius III. (240) reſcripſerunt. Nec etiam una die

(233) *Cap. 3. ext. de temporib. ordinat.* (234) *Comment. in Ordinem Romanum cap.* 16. *&* 19. (235) *Cap.* 2. *eod.*
(236) Bulla, quae incipit, *quum ex ſacrorum*, (237) *Cap.* 7. *eod.* (238) *Cap.* 16. *eod.* (239) *Cap.* 13. *ext. eod.*
(240) *Cap.* 15. *eod.*

dinari; alioquin neceſſe eſt uſque ad quarti menſis ieiunia ſuſtinere. Hinc etiam colligunt, baptiſmum impedimento non fuiſſe, quominus ſabbato magno ordines conferrentur; nec paſchae ſabbatum inter ordinationum tempora relatum ob male accepta Leonis & Gelaſii loca. Sed haec omnia facile ruunt; nam multis epiſtolam illam Pelagio abiudicat Berardus *in Decret. Gratian. part. II. cap.* 55. *pag.* 503. *tom. II.*

die minores ordines & hypodiaconatum dari poſſe, colligitur ex Caeleſtino III. (241), & S. Congregatio declaravit (242).

§. XXX. Venio nunc ad diem, & horam ſacris ordinationibus conferendis adſignatas. Dies quidem fuit ſabbatum, hora vero veſpera, ut ex Leone (243), & Gelaſio (244) conſtat: non quod praeciſe ſabbato celebraretur ordinatio (nam proprie dominico die peragebatur) ſed quod veſpera ſabbati ſic inciperet, ut dominico die mane perficeretur: unde etiam ordinationes die dominico peragendas eſſe, veteres vulgo aiunt. Hinc miſſa, quae in ordinationibus celebrabatur, non ad ſabbatum, ſed ad dominicam pertinebat. Occaſione autem ordinationum ieiunium ſabbati in matutinum dominicae tempus protrahebatur, ut *his, qui conſecrandi ſunt, ieiunis, & a ieiunantibus ſacra benedictio conferatur*, inquit S. Leo (245). Adhuc initio ſaeculi XIII. ſub veſperam ſabbati ſacras ordinationes fuiſſe celebratas, patet ex Innocentio III. (246). Inde eo ſenſim ventum eſt, ut nec dominica die mane, nec veſpera praecedenti, ſed ſabbato ſummo mane ordinationes celebrarentur, ne ieiunii continuatio ordinantes & ordinatos defatigaret (247). Moneo heic, dicta hactenus de ordinationum temporibus intelligenda eſſe de Latina eccleſia. Etenim Graeci ex veteri conſuetudine ſua quovis anni menſe, ac hebdomadis die etiam maiores clericos ordinant, demta quadrageſima, in qua epiſcopos & presbyteros conſecrant tantum ſabbatis, do-

(241) *Cap. 3. de eo, qui furtive ordines ſuſcepit.*

(242) Conf. Benedict. XIV. *inſt.* 106. (243) *Cit. ep. ad Dioſcor.* (244) *Cit. ep.* (245) *Cit. ep. ad Dioſcorum.*

(246) *Cap. 13. ext. de temporib. ordinat.* (247) Vid. Lupum *ad 3. S. Leonis decretum tom. IV. Opp. p.* 296.

minicis, & feſto Annunciationis, in quibus ſcilicet ſacrificium offerunt; diaconos autem ordinant aliis quadrageſimae diebus, in quibus miſſam praeſanctificatorum celebrant, ut ex eorum Euchologio (248). conſtat.

§. XXXI. Quod vero ſpectat ad minores ordines, quibus hypodiaconatus accenſebatur ad ſaeculum uſque XII., ii olim quolibet die conferebantur. Hinc nulla hypodiaconorum, aliorumque inferiorum clericorum mentio in laudatis Leonis & Gelaſii litteris, quibus legitima ordinationum tempora praeſtituuntur. In veteri Ordine Romano apud Gratianum (249), inque nono Ordine Romano apud Mabillonium (250) legitur, poſſe ſubdiaconos, minoreſque clericos ordinari *quando, & ubi libitum fuerit*. Poſtea Alexander III. (251) epiſcopo Herfordienſi reſcripſit, poſſe epiſcopos *dominicis, & aliis feſtivis diebus unum, aut duos ad minores ordines promovere*; nulli autem epiſcoporum, praeter Romanum pontificem, licere ſubdiaconos extra legitima tempora ordinare. Olim dubitarunt interpretes, poſſentne epiſcopi dominicis, feſtiſve diebus minores clericos ordinare pluſquam *unum, aut duos*, quem numerum Alexander expreſſit. Et pleriſque viſum, iis licere duos, tres, aut etiam plures ordinare, modo generales ordinationes non celebrent. Tandem omnem amovit dubitationem Pontificale Romanum (252), quo cautum, ut *prima tonſura quocumque die, hora, & loco; minores vero ordines ſingulis dominicis, & feſtivis diebus dupli-*

(248) *Tit. de ordinatione diaconi*. Conf. Morin. *adnot.* 15. & 16. *in Ordin. Graecor.* (249) *Can.* 6. *diſt.* 68. (250) *Ad Ordines Roman. p.*89. (251) *Cap.* 3. *ext. de temporib. ordinat.* (252) *Tit.* 2. §. 13. & *ſeq.*

plicibus (s), *ubicumque*, *& in mane tantum*, conferri poſſint.

§. XXXII. Locus ordinationum tribus perſecutionum ſaeculis non ſolum eccleſia, ſed & quaevis privata domus fuit, teſte Cypriano (253). Parta religioni pace ſacri ordines tantum in eccleſia conferri coeperunt. Maximum Cynicum in ſedem CPolitanam intruſum, quod in *ſordida choraulis* (hoc eſt, fiſtulam inflantis) *domo* fuerit ordinatus, carpit Gregorius Nazianzenus (254). Vitio Ioanni XII. datum, quod diaconum extra eccleſiam conſecraſſet, teſtatur Luitprandus (255). Nonnumquam ſolitarios in privatis cellulis ordinatos, tradit Theodoretus (256). Tandem Tridentinum (257) edixit, ut *ordinationes ſacrorum ordinum in cathedrali eccleſia, vocatis, praeſentibuſque ad id eccleſiae canonicis, publice celebrentur; ſi autem in alio dioeceſis loco, praeſente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, eccleſia ſemper adeatur*. Minores ordines, & prima tonſura etiam extra eccleſiam conferri poſſunt, ut habet Pontificale Romanum (258). Nec ſolum in eccleſia, ſed publice & inter miſſarum ſollemnia, adeoque ad alta-

O 2 re,

(253) *Ep.* 45. 52. & 68. (254) *In carmine de vita ſua:* (255) *Lib. VI. cap.* 7. (256) *In Philotheo cap.* 3. 13. & 19. (257) *Seſſ.* 23. *de ref. cap.* 8. (258) *Tit. de ordinib. conferend.*

(s) Nonnulli docent, hodie minores ordines conferendos tantum diebus Dominicis, aut feſtis de praecepto, non item diebus, qui duplices ſunt in Officio; quia iuſſu Urbani VIII. in Pontificali Romano *tit. de ordinib. conferend.* additum eſt, & *diebus feſtivis de praecepto*. At eiuſmodi additamentum deeſt in omnibus Romani Pontificalis editionibus poſt Urbanum factis, inque ea, quam ſuis inſtructam commentariis noviſſime adornavit vir doctus ac diligens Ioſeph Catalanus.

re, ſacrae ordinationes celebratae ſunt: ut ordinandi cleri plebiſque teſtimonio probarentur: quem morem in utraque eccleſia vetuſtiſſimum eſſe, liquet ex Cypriano (259), Epiphanio (260), Theodoreto (261). Graeci adhuc epiſcopos, presbyteros, & diaconos in *ſanctuario* inter ſacra myſteria; hypodiaconos & lectores in *diaconico*, vel ante *portam* templi *ſpecioſam* extra miſſam ordinant. Ceterum in eccleſiis propriae, non alienae dioeceſis ordines ab epiſcopis conferendi ſunt; ordinatio enim eſt actus iuriſdictionis, quae exerceri in alieno territorio nequit. Appoſite Tridentinum (262): *Nulli*, inquit, *epiſcopo liceat cuiuſvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioeceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantum: ſi ſecus factum fuerit, epiſcopus ab exercitio pontificalium, & ſic ordinati ab executione ordinum ſint ipſo iure ſuſpenſi*. Ex Tridentina itaque Synodo nefas eſt conferri in aliena dioeceſi non ſolum maiores, ſed & minores ordines, ipſamque clericalem tonſuram; ea enim vetat in aliena dioeceſi pontificalia omnia, quae non ſolum maiores, ſed & minores ordines, ac vero etiam tonſuram comprehendunt.

CAP. IX.

De ſponſalibus, & proclamationibus.

§. I. MAtrimonii ſacramentum praecedunt *ſponſalia*, & *proclamationes*, de quibus prius agendum. Sponſalia a *ſpondendo* dicta ſunt, quia olim *qui*

(259) *Ep. 52. ad Antonian.* (260) *Ep. ad Io. Hieroſolymit.*
(261) *Hiſt. relig. cap. 13.* (262) *Seſſ. 6. de ref. cap. 5.*

qui uxorem ducturus erat, ab eo unde ducenda erat, ſtipulabatur, eam in matrimonium ductum iri, ut ait Gellius (1). Ea certis ſollemnibuſque verborum formulis celebrabantur, in tabulas utplurimum referebantur, ac teſtibus obſignabantur [2]. Sunt autem ſponſalia *futuri matrimonii mutua promiſſio & acceptatio*. Quare ſi una pars acceptet, nec tamen repromittat, unilateralis haec promiſſio nomen & vim ſponſaliorum non habebit. Tanto ſponſalia a matrimonio diſtant, quanto ſpes a reipſa, uti belle Cuiacius (3). Nihil ea habent de ratione ſacramenti, ſuntque merus contractus civilis, qui mutuo contrahentium conſenſu perficitur. Quod vero ſunt praeambulum quoddam ſacramenti matrimonii, publice apud parochum iniri, paſſim Ritualia praeſcribunt. Quin apud Latinos poſt ſaeculum X. invaluit, ut ſponſalia benedicerentur [a]. Semper apud chriſtianos

(1) *Lib. IV. Noct. Attic. c.* 4. (2) Vid. Briſſonium *lib. VI. de formulis in pr.* (3) *Ad tit. C. de ſponſalib.*

(a) Sunt qui benedictionem in ſponſalibus iamdiu ante ſaeculum X. apud Latinos uſitatam colligunt ex Siricio *ep.*1. *ad Himer. Tarraconenſ. cap.*4.: *De coniugali autem violatione, requiſiſti, ſi deſponſatam alii puellam alter in matrimonium poſſit accipere? Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus; quia illa benedictio, quam nupturae ſacerdos imponit, apud fideles cuiuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur.* Haec Siricii verba Carolus M. *lib. I. Capitular. cap.* 163. inſeruit. Siricium de benedictione futurae ſponſae interpretantur Couſtantius *not. ad cit. epiſt.I. tom.I. Epiſt. Rom. pontific. p.* 627. & Binghamus *lib. XXII. Origin. eccleſ. cap.* 3. *vol. IX. p.*325. *ſeq.* Ex iiſdem verbis in Capitularibus relatis ſponſaliorum conſecrationem aevo Caroli M. adhibitam inſert Hotomanus *de ſponſalib. cap.* 5. At enim Siricium, non ſecus ac Carolum M., de ſponſalibus de praeſenti loquutos fuiſſe, ſcite tradunt Bellarminus *lib. I. de ſacram. matrim. cap.* 3., aliique. Sane inquit Siricius, *de coniugali violatione*, ut habent Capitularia

 Fran-

nos ſponſalia nuptiis praemitti conſueverunt, ut ſponſi ad

Francorum, Creſconius, Gratianus, aliique canonum collectores, quos laudant Correctores Romani. Quae verba de adulterio, quod coniugalis fidei violatio eſt, & matrimonium ſupponit, accipienda ſunt. Idem confirmant quae ſequuntur, *ſacrilegii inſtar eſt*. Ideo autem Siricius *inſtar ſacrilegii*, non *ἁπλως ſacrilegium* dixit, quia olim ſacrilegium dumtaxat furtum rei ſacrae ſignificabat, nec niſi poſterioribus temporibus ad quamcumque eiuſdem violationem productum eſt. In Codice Queſnelliano, aliiſque MSS. legitur *velatione*, ſicque legi iubet Couſtantius: quod ſi admittas, de vero matrimonio Siricium interpreteris, neceſſe eſt; nam coniugale velamen aevo Siricii *κυριως proprie* de nuptiis dicebatur, uti probat ſcriptor *συγχρονος* Ambroſius *ep.* 19. *ad Vigilium cap.* 15.: *Ipſum coniugium*, inquit, *velamine ſacerdotali, & benedictione ſanctificari oportet*. Et Nicolaus I.° *ad conſult. Bulgaror. cap.* 3. nuptiarum ritus deſcribens, ſacerdotis benedictionem, & velamen ultimo loco reponit, tamquam matrimonii complementum. Porro benedictionem ſacerdotalem magis proprie de nuptiis, quam de ſponſalibus intelligendam, & Siricius in eadem *epiſt. cap.* 9. oſtendit, & Innocentius I. *ep. II. de Victric. Rhotomageuſ. cap.* 6. iis verbis: *Benedictio, quae per ſacerdotem ſuper nubentes imponitur*. Utitur vero Siricius voce *deſponſatam*, quae non raro praeſentem uxorem ſignificat: qua de re multa hoc capite. Nec te moretur nomen *nupturae*; nam praeter quam quod in duobus MSS. legitur *nuptae*, teſte Couſtantio, nuptiae olim ſignificabant etiam feſtivitatem, quae velationem conſequebatur, ac vero etiam ipſam matrimonii conſummationem. Ita Gregorius M. *hom.* 26. *in Evangel.* nomen *nuptiarum παρατατικως* uſurpat pro primo carnali amplexu, dum ait: *Suum habere Maria ſponſum voluit, qui tamen ad eius nuptias non pervenit*. Et Pelagius papa apud Gratian. *can. ult. diſt.* 34. permittit Valentinum clericum promoveri, *cui mulier cum alio ante velata, non tamen ei nupta* (hoc eſt coniugali copula haud deminuta) *ſed virgo permanens, poſt mortem eius, cum quo velata erat, ſponſa coniugali eſt copula ſociata*. Sic etiam accipienda laudata Siricii verba: *Benedictio, quam nupturae* (hoc eſt ei, quae rite inito matrimonio in coniugales amplexus eſt abitura) *ſacerdos imponit*: tantum abeſt, ut benedictio futurae ſponſae alia fuerit a benedictione nuptiarum.

ad gratiam ſacramenti ſe ſe compararent, nec temere perpetuo matrimonii nexu ſe adſtringerent, ut ex Concilio Foroiulienſi [4], aliiſque conſtat. Aliam rationem dat Auguſtinus [5]: *Inſtitutum eſt*, ait, *ut iam pactae ſponſae non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiravit ſponſus dilatam*. Idem ſponſalia praemittendi mos apud Hebraeos [6], Romanos [7], aliaſque gentes viguit.

§. II. Dividuntur ſponſalia in *de futuro*, & *de praeſenti*. Sponſalia *de futuro*, ideſt matrimonio contrahendo, ſunt pactio futurarum nuptiarum, & proprie ſponſalia dicuntur. Ea ineuntur verbis futurum tempus exprimentibus, ut *ducam te uxorem*, & ſolubilia ſunt. Sponſalia vero *de praeſenti* ſunt ipſum matrimonium ratum, nondum conſummatum, & improprie ſponſalia vocantur, quum a veris ſponſalibus valde diſtent. Haec contrahuntur per verba praeſentis temporis, ut *duco te uxorem*, ac utpote verum matrimonium indiſſolubilia ſunt. Eiuſmodi diſtinctio ſponſaliorum in antiquis canonibus, inque Concordia Gratiani an. 1151. edita non comparet. Ea poſt medium ſaeculum XII. a ſcholaſticis primum excogitata eſt, mox in ius pontificium perrepſit [b]. Orta enim controverſia, an ſolo conſenſu

(4) *Can.* 8. (5) *Lib. VIII. confeſſ. c.* 3. (6) Vid. Auguſt. Calmet *diſſ. de ſponſalibus nuptiiſque Hebraeorum*, adiuncta eius commentario in Canticum Canticorum, & Io. Buxtorfium *exercit. de ſponſalibus & divortiis Hebraeorum*. (7) Conſule Briſſonium *de veteri ritu connubiorum*.

rum. Quid quod apud ſequiores ſcriptores *nubere* paſſim pro *miſceri* uſurpatur, ut exemplis docemur apud Cangium *Gloſſ. med. & infim. Latinit. v.* nubere?

(b) Mazochius in *diatriba ad can. Illiberitan. LIV. not.* 5. fieri potuiſſe ſcribit, *ut cum ius canonicum Orientale duum ge-*

ſu ſine corporum commixtione verum matrimonium conſtaret, & num a ſola fide deſponſationis, an demum poſt copulam coniuges dicendi ſint; Gratianus [8] pluribus in utramque partem congeſtis Scripturae & patrum teſtimoniis (etſi partim obſcuris, partim ſuppoſititiis, aut male citatis & intellectis) quorum alia *ſponſas* etiam poſt copulam vocant, alia vero *uxores* & *coniuges* ante commixtionem, in eam concedit ſententiam, tum demum verum fieri coniugium, & vere coniuges adpellari poſſe, quum acceſſerit *coitus*, *ac defloratio virginitatis*, & *conſuetudine Scripturae a prima deſponſationis fide ſponſas coniuges appellari ſpe futurorum*, *non re praeſentium*. A Gratiano recte diſſenſit Petrus Lombardus ſcholaſticorum facile princeps (9), qui adverſus Gratianum, aliosque adfirmantes, *verum coniugium non contrahi ante traductionem*, *& carnalem copulam*, *nec ve-*

ro

(8) *Cauſ. XXVII. quaeſt. 2.*
(9) *In IV. Sent. diſt. 27.*

nerum ſponſalia agnoſceret, *unum infirmius & diſſolubile*, *arctius alterum ac prope indiſſolubile*, *id nomine tenus Latini canoniſtae ſint imitati*, *duplex admittentes ſponſaliorum genus*, *unum de futuro*, *quae proprie ſunt ſponſalia*, *idque diſſolubile*, *alterum indiſſolubile*, *quod de praeſenti appellant*. Sed quamvis Graecorum ſponſalia ſollemnia minus ſollemnibus antecelluerint, Latinorum tamen ſponſalibus *de praeſenti* aequari nequeunt. Quare idem vir ſummus aliam proponit originem diviſionis ſponſaliorum in *de futuro*, & *de praeſenti*, ex biblicis nempe locutionibus hauſtam, per quas *ſponſalia* & *matrimonia*, *ſponſae* & *uxores* promiſcue uſurpantur: unde ad amphilologiam tollendam introducta eſt diſtinctio illa, ut ſponſalia *de futuro* ſint, quae in iure civili *ἁπλῶς ſponſalia* dicuntur, *de praeſenti* autem ſint ipſum matrimonium non conſummatum. At quum huius partitionis ne vola quidem compareat in canonibus ante ſaeculum XII. conditis, cl. Mazochio adſtipulari nequeo.

re coniuges eſſe aliquos; antequam intercedat commixtio ſexus, ſic diſputat: *Fit aliquando deſponſatio ubi eſt compromiſſio viri & mulieris de contrahendo matrimonio, non eſt autem ibi conſenſus de praeſenti. Eſt & deſponſatio habens conſenſum de praeſenti, ideſt pactionem coniugalem, quae ſola facit coniugium. In illa ergo deſponſatione, ubi eſt pollicitatio contrahendi matrimonium, ſponſi tantum, & ſponſae fiunt, non coniuges . . . In ea vero, ubi eſt conſenſus de praeſenti, coniugium contrahitur, & ab illius deſponſationis prima fide veri coniuges appellantur. Secundum hanc diſtinctionem deſponſationis, de ſponſis varie loquuntur doctores*. Idem Magiſter (10), quidnam matrimonium efficit, ſic explicat: *Efficiens cauſſa matrimonii eſt conſenſus non quilibet, ſed per verba expreſſus, nec de futuro, ſed de praeſenti. Si enim conſentiunt in futurum dicentes:* „ Accipiam te in virum, & ego te in uxorem „ *non eſt iſte conſenſus efficax matrimonii . . . Obligatio illa verborum, quibus conſentiunt dicentes:* Accipio te in virum, & ego accipio in uxorem „ *matrimonium facit*. Vides, a Lombardo primum diſtinctionem ſponſaliorum ſeu conſenſus in *de futuro* ac *de praeſenti* excogitatam fuiſſe ad quaeſtionem a Gratiano propoſitam, an verum fieret coniugium ſine copula, dirimendam. Magiſtrum ſententiarum ſequuta reliqua ſcholaſticorum cohors eamdem diſtinctionem adhibuit, nominatim S. Thomas (11). Quum autem ſaeculo XII. & XIII. omnia ex ſcholis derivari ſolerent, Romani pontifices de dubiis ſuper ſponſalibus & matrimoniis exortis conſulti, eamdem ſponſaliorum in *de futuro* & *praeſenti* parti-

(10) *Cit. loc. quaeſt.* 1. & *ſeq.* (11) *In IV. ſent. diſt.* 27. *quaeſt. II. art.* 1. *ad* 6.

titionem decretalibus ſuis uſurparunt, ut Alexander III. (12), Innocentius III. (13), Gregorius IX. (14), aliique (*c*). Sed eiuſmodi diſtinctio totam fere vim amiſit, poſtquam aliam matrimonio valide contrahendo formam Tridentina Synodus (15) praeſcripſit.

§.III. Apud Orientales ſponſalia aut *nuda* erant, aut *ſollemnia*. Nuda, iuri Romano cognita, eiuſdem erant naturae cum hodiernis Latinorum ſponſalibus. Sollemnia vero per oſculum (*d*), arrham & preces tantum inter puberes celebrabantur, & fere indiſſolubilia erant, uti ſtatuit Alexius Comnenus (16): *Poſt*

(12) *Cap.* 2. *ext. de conditionib. appoſit. &c.*, *cap.*5. & 16., *ext. de ſponſalib. & matrim.* (13) *Cap.* 22. *eod.* (14) *Cap.* 31. *eod.* (15) *Seſſ.* 24. *de ref. matrim. cap.* 1.

(16) *Nov. de ſponſalibus*, quam afferunt Balſamon in *Phot. Nomocan. t.* 13. *c.* 2. Harmenopulus *lib. IV. Promptuar. iur. tit.* 1. §.12. & Gothofredus in *corpor. iur. civ. ad calc.*

(c) Haec quum ita ſint, deſinant aliquando in ſponſalia *de praeſenti* debacchari Hotomanus *diſp. de ſponſalib. cap.*7. aliique. Ipſis veteribus Romanis ſponſalia de praeſenti, qualia exhibet ius pontificium, haud ignoraſſe, probat Huber *lib.II. Obſ. iur. cap.* 8.

(d) Sollemne priſcis chriſtianis fuit oſculum in ſponſalibus adhibere, quod ſponſus ſponſae dabat in pacti confirmationem Oſculi ſponſalitii meminit Tertullianus *lib. de velandis virginib. cap.* 2., & Conſtantinus *l.* 5. *Cod. Theod. de ſponſalib. & ant. nupt. donat.* Originem huiuſmodi oſculi a chriſtianis arceſſit Gothofredus ad *dict. l.* 5. Oſculo autem ſponſae pudicitiam delibari, Romani, chriſtiani, aliaeque gentes crediderunt. Tertullianus *cit. loc.* ſcribit, *reſignari pudorem ſpiritus per oſculum*, & *dexteras*. Quare oſculum ius ſponſaliorum augebat, ut proinde cui ſponſus oſculum praebuit, quaſi uxor, & pluſquam ſponſa cenſeretur. Plura de oſculis chriſtianorum omnis generis congerunt Gothofredus *in cit. l.*5., Mazochius *diatriba in can. Illiberit.*54., Pfannerus *lib.II. obſ. eccleſ. cap.* 3., Grotius *ad Rom. XVI.* 16., Suicerus *theſ. eccleſ. v.* φίλημα, Petrus Muller *diſſ. de oſculo ſancto*, & Martinus Kempius in opere *de oſculis*.

Poſt ſacrum precum carmen , & conſuetam arrhae & oſculi obſervationem , exiguo vel etiam longiuſculo temporis ſpatio interiecto , . . . citra recuſationem legitimae nuptiae ſuccedant . Rurſus *ea proprie eſſe ſponſalia* iubet , *& revera cum nuptiis aequipollere . . . quae ſacram benedictionem ſubſecutam agnoverunt .* Hinc Graeci canonum interpretes Balſamon , Zonaras , Blaſtares , aliique hanc tradunt regulam , ſponſalia in omnibus aequiparari nuptiis , iiſdemque de cauſſis ſolvi , quibus nuptiae .

§.IV. Ad ſponſalia valide ineunda requiritur uſus rationis , quo contrahentes quid agant noſſe queant. Hinc ea inire vetantur furioſi, mentecapti, aliique rationis uſu deſtituti (17), & *infantes*, ideſt ſeptennio minores . Aetas ergo contrahendorum ſponſalium eſt ſeptennium expletum : inita ante id tempus nulla ſunt ex defectu conſenſus, nec impedimentum pariunt publicae honeſtatis , uti reſcripſit Alexander III. (18) . Iam impuberes ſeptennio maiores recte ſponſalia paciſcuntur ; quippe qui ante pubertatem illorum naturam & effectus noſſe queunt : a ſponſalibus tamen reſilire poſſunt , quum ad pubertatem perveniunt, niſi carnalis copula intervenerit (19) . Quod ſi pubes ſponſalia cum impubere contraxerit, ille reſilire nequit, hic autem poteſt , quum pubertatem adſecutus eſt (20) . Parentes etiam vi patriae poteſtatis valide ſponſalia contrahunt pro liberis , modo hi praeſentes ſint & taceant , aut ſi abſentes, vel ſeptennio minores fuerint , poſtea expreſſe vel tacite rata habeant (21) ; *alias ex ſponſalibus contractis a pa-*

(17) *Cap. 24. de ſponſalib.* (18) *Cap. 4. 5. & 6. ext. de deſponſat. impuber.* (19) *Cap. 8. eod.* (20) *Cit. cap. 18.*
(21) *Cap. 1. eod.*

a parentibus pro filiis , nec ipſi filii obligantur , nec publicae honeſtatis iuſtitia inde ſurgit, uti cavit Bonifacius VIII. (22).

§. V. Sponſaliorum validorum effectus praecipue duo ſunt, obligatio matrimonii contrahendi, & publicae honeſtatis impedimentum, de quo infra cap. XI. Iure decretalium ſponſalia, etiam iureiurando firmata, multis modis diſſolvuntur. I. Mutuo ſponſorum conſenſu, *ad inſtar eorum, qui ſocietatem interpoſitione fidei contrahunt, & poſtea eamdem ſibi remittunt* (23) (*e*). Tantum impuberes ſponſalia etiam mutuo conſenſu dirimere vetantur, niſi poſtquam ad annos pubertatis pervenerint (24). II. Matrimonio ſubſequente cum alio contracto (25); quo tamen per mortem ſoluto priora ſponſalia, quae nunc impleri poſſunt, reviviſcere cenſentur. III. Affinitate poſt ſponſalia contracta, ſive carnalis ſit, veluti ſi ſponſus cognoverit ſponſae ſororem, ſive ſpiritualis (26) ita tamen ut ſponſus, cui impedimentum poteſt imputari, diſpenſationem petere teneatur. IV. Suſceptione ordinis ſacri (27), aut profeſſione monaſtica (28), aut

(22) *Cap. unic.* §. 2. *de deſponſat. impuber. in VI.*
(23) Innòcent. III. *cap.* 2. *ext. de ſponſalib. & matrimon.*
(24) Alexand. III. *cap.* 8. *de deſponſat. impuber.*
(25) Gregor. IX. *cap.* 31. *de ſponſalib.* (26) Innoc. III. *cap.* 8. *de eo, qui cognov. conſang.* Innoc. III. *cap.* 6. *de cognat. ſpiritual.* Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de ref. matrim. cap.* 4.
(27) Alexand. III. *cap.* 16. *de ſponſalib.*
(28) Bonifac. VIII. *cap. unic. de voto & voti redemt. in VI.*

(e) In regno noſtro licet mulieribus pro lubitu a ſponſalibus reſilire. Ferdinandus IV. rex reſcripto die X. Novemb. 1759. ad epiſcopum S. Marci dato attendi iuſſit *praerogativa, qua ſecundum leges gaudent mulieres non conſentiendi ſponſalibus, & ab iis etiam recedendi*. Ita conſultum muliebris ſexus levitati, cui leges in multis ſubveniunt, atque honeſtati, quam quaecumque cum maribus conſuetudo imminuit.

aut ſimplici caſtitatis voto praecedente (29). V. Conditione deficiente, niſi accedat conſenſus de praeſenti, ſeu carnalis commixtio (30). VI. Subſequente ſponſi fornicatione (31); idque in gratiam innocentis: ſi vero uterque fornicatus ſit, paria crimina mutua compenſatione deleantur, ſine ullo inter ſponſum vel ſponſam diſcrimine, cum in utroque eadem ſit perfidiae ratio (32). VII. Superveniente morbo, gravi infirmitate, deformitate, veluti epilepſia, paralyſi, lepra, caecitate, furore, aut aliis defectibus, qui ſi ab initio extitiſſent, aut cogniti fuiſſent, prudenti iudicis arbitrio a ſponſalibus retraxiſſent (33). VIII. Diſceſſu unius in remota loca, & diuturna abſentia ex quacumque cauſſa, altera parte inſcia aut invita (34) (*f*). IX. Elapſo tempore nuptiis celebrandis praefixo (35). Ceterum iure communi nec ſententia iudicis, nec ulla ſollemnitas ad ſolvenda ſponſalia requiritur, ſed propria auctoritate, mutuo contrahentium conſenſu, ab iis recedere permiſſum eſt. Quare diverſi locorum mores & ſtatuta hac in re ſerventur.

§.VI.

(29) Caeleſtin. III. *cap.6. ext. qui cleric. vel vovent.*
(30) Alexand. III. *cap.3.* Innoc.III. *cap.6.* & Gregor. IX. *cap.7. de condit. appoſit.* (31) Innoc.III. *cap.25. de iureiur.*
(32) Argum. *cit. cap.* 25. (33) *Cit. cap.* 25. *de iureiur.*
(34) Alexand. III. *cap.* 5. *de ſponſalib.*
(35) Innoc. III. *cap.* 22. *eod.*

(f) Iure canonico tempus abſentiae definitum non eſt, ſed iudicis arbitrio relinquitur. At iure civili ſponſus expectare iubetur per biennium, ſi intra provinciam abfuerit, per triennium, ſi extra, *l.2. C. de nupt.* & *l.2. C. de repud.*; quin & diutius, ſi neceſſaria ſit abſentiae cauſſa, *l.* 17. *C. eod.* Id hodie non procedit; cum in iure civili non de facultate reſiliendi, ſed de lucro vel amiſſione arrhae agatur.

§. VI. Videamus nunc, an cenſura cogendus ſit ſponſus, qui ſine iuſta cauſſa datam fidem implere detrectat. Hac in re vetus a nova diſciplina differt. Eccleſia ad ſaeculum uſque XIII., quo canonica poenitentia viguit, ſponſos refractarios ad praeſtandam fidem hortata eſt, coegitque tantum in foro interno, poenitentiam iis imponendo pro peccato, uti conſtat ex Gratiano (36), Alexandro III. (37), Innocentio III. (38), aliiſque. At in foro contentioſo eoſdem monuit, cenſuris non adegit, quamvis ſponſalia iureiurando firmata fuerint, quia coacta matrimonia infelices exitus habere novit, & porro libera debent eſſe matrimonia, ut Urbanus II. (39), Alexander III. (40), & Innocentius III. (41) reſcripſerunt. Diſerte Lucius III. (42) interrogatus ab epiſcopo Rapollenſi, *qua cenſura mulier compelli debeat, quae, iurisiurandi religione neglecta, nubere renuit, cui ſe nupturam interpoſito iuramento firmavit*, reſpondit, *quum libera debeant eſſe matrimonia*, illam *monendam eſſe potius, quam cogendam; quum coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere*. At enim contrarium reſcripſiſſe videtur Lucii praedeceſſor Alexander III. (43), qui conſultus, an qui iuravit cum aliqua contrahere, compelli ab epiſcopo poſſit ad fidem exſolvendam, reſpondit: *Quia igitur praedicto G. periculoſum eſt contra ſuum iuramentum venire, fraternitati tuae mandamus, quatenus ſi hoc tibi conſtiterit, eum moneas, & ſi non acquieverit monitis, eccleſiaſtica cenſura compellas, ut ipſum (niſi rationabilis*

(36) *Can.* 5. *cauſ.* 27. *q.* 2. (37) *Cap.* 5. *ext. de ſponſalib. & matrimon.* (38) *Cap.* 22. *eod.* (39) Apud Gratian. *can.* 3. *cauſ.* 31. *q.* 2. & Ivon. *part. VIII. cap.* 23.

(40) *Cap.* 14. *ext. eod.* (41) *Cap.* 2. *eod.*

(42) *Cap. requiſivit* 17. *eod.* (43) *Cap. ex litteris* 10. *eod.*

bilis cauſſa obſtiterit) in uxorem recipiat , & maritali affectione pertractet. Pugnant ergo inter ſe Lucius & Alexander. In hac ἀντινομια concilianda mire adlaborant interpretes, in diverſas ſententias diſtracti, potiſſimum Cuiacius, Gonzalez, Florens, Eſpenius, Mazochius, & Boëhmerus, quos conſule. At Lucius, quod nemo negat, loquitur de ſponſalibus *de futuro*; Alexander vero de ſponſalibus *de praeſenti* accipiendus eſt, ut eius reſponſum ſedulo expendenti patebit (44); ſicque alter alteri non obſtat.

§. VII. Veteri diſciplinae paſſim ſucceſſit nova, ex canoniſtarum interpretatione nata, uſuque fori eccleſiaſtici probata, qua ſponſi refractarii ad nuptias ineundas in foro externo excommunicatione compelluntur; quae, ſi finem, ob quam infligitur, ſpectes, ut nempe ſponſi ad praeſtandam fidem urgeantur, ſeverioris poenitentiae *gradus* dici poteſt: conſtat enim quatuor canonicae poenitentiae gradus fuiſſe totidem ſpecies excommunicationis, quamvis minoris ea, quae maior excommunicatio audit. Mutatio haec poſt medium ſaeculum XIII. contigit; quo, exorta inter canoniſtas controverſia, an ſicut in *interno*, ita & in *contentioſo foro*, ad quem cenſurarum ferendarum poteſtas ſpectabat, ſponſi, praeſertim iurati, cogi ad nuptias poſsent, permulti adfirmarunt, quamvis non defuerint qui negaverint ob mala, quae proficiſci a coactione poſſunt. Teſtem coaevum do S. Thomam (45): *Ex tali promiſſione*, inquit, *unus alteri ad matrimonium contrahendum obligatur, & peccat mortaliter non ſolvens promiſſum, niſi legitimum impedimentum interve-*

(44) Vid. cl. Trivicenſem antiſtitem Paſch. Roganum *diatriba in cap. X. & XVII. de ſponſalib. & matrimon.*

(45) *In IV. Sent. diſt. 27. q. 11. art. 1.*

veniat, & ſecundum hoc eccleſia cogit, iniungendo poenitentiam (ut antiqua ferebat diſciplina) *pro peccato. Tandem in foro contentioſo non compellitur, quia matrimonia coacta conſueverunt malos exitus habere, niſi forte iuramentum intervenerit, quia tunc cogendus eſt, ut quidam dicunt, quamvis aliis non videatur propter cauſſam praedictam*, nempe ob difficiles coactionum exitus. Opinio autem illa, ſponſalium iuratorum obligationem procedere etiam in foro externo, & ad nuptias cogendum iuris remediis renuentem, niſi rationabilis cauſſa excuſet, a poſterioribus canoniſtis & theologis probata fuit, & fori uſu recepta communis evaſit, immo ad nuda etiam ſponſalia producta. Ita curiarum epiſcopalium praxis enata eſt, cogendi ſponſos ad matrimonium contrahendum, quae in iure naturae de pactis ſervandis, & iurisiurandi religione tuenda firmum habet praeſidium (g). Omnes autem conſentiunt, ſponſum detrectantem prius monendum, tum, ſi res poſtulet, cenſura cogendum. Qua in re ſumma prudentia uti iudex debet in inveſtigando, an coactio ſit magis obfutura, quam profutura, potiuſque monendus ſponſus obluctans, quam vi & poenis cogendus. Quod ſi poſt cenſuram adhuc reluctet, ulterius procedendum non eſt, immo a cenſura abſolvendus. Satius vero erit ab initio cenſuris parcere,

(g) Perperam canoniſtae fere omnes inveteratum fori eccleſiaſtici uſum, cogendi cenſura ſponſum renuentem ad matrimonium ineundum, repetunt ex iure pontificio, maxime decretali Alexandri III. in *cit. cap. ex litteris* 10. *de ſponſalib.* In ea enim agitur de ſponſalibus *de praeſenti*, non *de futuro*. Porro nullam S. Thomae notam fuiſſe pontificii iuris ſanctionem, quae ſponſos cogendos decreverit, patet ex opinionum varietate de ſponſo iurato ad nuptias adigendo, quam is affert *cit. loc.*: proinde ſecus saeculo XIII. laudatum caput *ex litteris* explicatum, quam poſteriores canoniſtae interpretati ſunt.

cere, ne contra Concilii Tridentini (46) mentem magis *contemnantur*, *quam formidentur*, *& perniciem potius pariant*, *quam ſalutem*; atque canonicam diſciplinam de poenitentia ſponſo foedifrago imponenda in uſum revocare.

§. VIII. Poſt ſponſalia ſequuntur proclamationes, ideſt *futuri matrimonii publice in eccleſia feſtis diebus per proprium parocbum factae denunciationes*. Gallis dicuntur *banna* & *edicta* publica. Duplex eſt eorum finis, nempe ut matrimonium inſtans publice apud eccleſiam manifeſtetur, & ut publice citentur ii, quorum intereſt, & qui impedimentum illi opponere poſſunt. Ritus hic *proclamationis* ante nuptias non adeo vetus eſt (*h*). Primum in Gallicanis eccleſiis ſaeculo XII.

(46) *Seſſ.* 24. *de. ref. cap.* 3.

(h) Iuenin *de ſacram. diſſ. X. q.* 5. *cap.* 2. Baronius *ad A. C.* 57. §.47. aliique denunciationes futuri matrimonii iam inde a ſaeculo ſecundo uſitatas, colligunt ex Tertulliano *lib.II. ad uxor. c.* 9. concelebrante matrimonium illud, *quod eccleſia conciliat*, *confirmat oblatio*, *& obſignatum Angeli renuntiant*, *Pater ratum habet*. Hoc loco per *Angelos*, ſacerdotes; per verbum *renuntiant*, publicas in eccleſia futuri matrimonii denunciationes, intelligunt. At vel ipſe orationis contextus oſtendit, heic nomen *Angelorum* proprie accipiendum pro caeleſtibus ſpiritibus, atque agi de renunciatione, quae ſequitur matrimonium iam ratum & obſignatum: quum contra denunciatio, de qua loquimur, praecedat, non ſequatur matrimonii celebrationem. Nimirum Tertullianus felix matrimonium eſſe ait, quod *eccleſia conciliat*, h. e. epiſcopi & ſacerdotes ſuadent ac probant. Chriſtiani enim de nuptiis deliberaturi epiſcopos & ſacerdotes conſulere ſolebant, ne imprudenter haeretico, Iudaeo, vel apoſtatae implicarentur, teſte Ignatio *ep. ad Polycarp.* Quare beatas habet nuptias, quae cum marito aeque chriſtiano celebrantur. Aliam felicis matrimonii conditionem continuo ſubdit, *Confirmat oblatio*, ideſt ſacrificium miſſae: unde liquet, matrimonia olim in eccleſia & euchariſtiae ſacris

XII. adhibitus eſt. Etenim Innocentius III. an.1212. epiſcopo Belvacenſi reſcripſit (47): *Bannis, ut tuis verbis utamur, ſecundum conſuetudinem eccleſiae Gallicanae editis*. Inde Concilium Lateranenſe IV. ſub eodem Innocentio III. an. 1215. (48) *ſpecialem quorumdam locorum* (nempe Galliae) *conſuetudinem ad alia generaliter prorogando, ſtatuit, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in eccleſiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino praefinito, ut intra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat, & ipſi presbyteri nihilominus inveſtigent, utrum aliquod impedimentum obſiſtat*. Ita mos denunciandi futurum matrimonium in legem generalem decreto Lateranenſis Concilii primum abiit, inque omnibus Occidentis eccleſiis receptus eſt. Lateranenſis Concilii veſtigiis inſiſtens Tridentina Synodus (49) futurum matrimonium *ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus feſtis in eccleſia inter miſſarum ſollemnia publice* denuntiari iubet; epiſcopis vero permittit, iuſta de cauſſa denunciationes omnes, aut earum aliquam remittere, quum *probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot praeceſſerint denunciationes, tunc vel*

una

(47) Integra Innocentii epiſtola extat *lib. XV. epiſt.* 184. *edit. Baluz. p.*689. quae tamen mutila refertur in *cap.*27. *ext. de ſponſalib. & matrimon.* (48) *Can.*5., & *cap.*3. *ext. de clandeſt. deſponſat.* (49) *Seſſ.* 24. *de ref. matrim. cap.* 1.

cris celebrata fuiſſe. Sequitur *& obſignatum Angeli renuntiant*, hoc eſt ſacerdotis benedictione ad ſacramenti rationem & naturam iam evectum perfectumque Angeli, qui chriſtianorum precibus & ſacrificio altaris interſunt, renuntiant matrimonium iam rite celebratum; idque *Pater* (ſubaudi *caeleſtis*) *ratum habet*. Adde Albaſpinaeum *not. ad Tertullian. cit. loc.* & *lib. I. obſ.* 24.

una tantum fiat, vel ſaltem parocho, & duobus, vel tribus teſtibus praeſentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſummationem denunciationes in eccleſia fiant, ut, ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur, niſi Ordinarius ipſe expedire iudicaverit, ut praedictae denunciationes remittantur, quod illius prudentiae & iudicio ſancta Synodus relinquit. Unam tantum cauſſam diſpenſandi a proclamationibus Synodus exprimit, *quando probabilis eſt ſuſpicio matrimonium malitioſe impediri poſſe.* At cum rem totam prudentiae ac iudicio epiſcoporum permittat, alias cauſſas aeque graves non excludit. Nomine *Ordinarii*, cuius religioni haec diſpenſandi copia datur, intelligi ſolum epiſcopum, non praelatum inferiorem, licet iuriſdictionem quaſi epiſcopalem habeat, S.Congregatio Concilii interpres probante Gregorio XIII. reſpondit apud Fagnanum (50). Poteſt autem epiſcopus ius hoc ſibi reſervare, & etiam concedere Vicario generali. Ex Rituali Romano, ſi contrahentes diverſae parochiae ſint, a proprio utriuſque parocho fieri denuntiationes debent: quae, *ſi infra duos menſes poſt factas denunciationes, matrimonium non contrahatur*, repetendae ſunt, *niſi aliter epiſcopo videatur*. Omiſſis autem ſine venia epiſcopi denunciationibus, matrimonium illicitum quidem, non irritum eſſe, eadem Congregatio cenſuit.

C A P. X.

De matrimonio.

§.I. Sponſalia & proclamationes ſequitur matrimonium, quod etiam *connubium*, *coniugium*, *nuptiae*

(50) *In cit. cap. 3. de clandeſt. deſponſat.*

ptiae adpellatur. Ab ipſo Deo, ut auctore naturae, inſtitutae ſunt nuptiae (1); idque ad propagationem humani generis (2), ad vagas libidines coërcendas (3), & ut uxor ſit in adiutorium familiae & domus (4). Tres hoſce iuſtarum nuptiarum fines ipſi ethnici agnoverunt, uti Grotius, Puffendorfius, aliique demonſtrant. Sunt ergo nuptiae naturali divinoque iuri conſentaneae, quippe quae naturam conſervant & propagant. Eſt quidem naturale hoc officium humano generi commune; at obligatio matrimonii contrahendi ſingulos homines non complectitur. Nimirum initio mundi, quo homines erant perpauci, omnes ad nuptias ineundas obſtringebantur; ex ipſo enim naturae iure praeceptum conſervandi & propagandi genus hominum promanat. Idem adfirmandum de tempore, quod univerſale diluvium ſtatim excepit, deque populo Dei, quum adhuc exiguo numero eſſet, & Deus non homines modo, ſed etiam ſui cultum religionemque propagare decreviſſet. Aucto exinde populo Iudaico, non amplius ad matrimonium ſinguli adſtringebantur, ut exemplis liquet Ioſue, Eliae, Ieremiae, aliorumque, qui tempore Moſaicae legis caelibes vixere. In lege evangelica idem matrimonii praeceptum ſingulos non conſtringit. Diſerte Chriſtus (5) continentiam commendat: & Paulus (6) virginitatem nuptiis praefert.

§. II. Matrimonium trifariam ſpectari poteſt, *iure naturae*, *civili*, & *eccleſiaſtico*. Secundum ius naturae nihil eſt aliud, quam *viri & mulieris ſocietas, ad ſobolem procreandam & educandam inita*. Iure autem

(1) *Geneſ.* 2. *v.* 24. (2) *Geneſ.* 1. *v.* 28. (3) 1. *ad Cor. cap.* 7. *v.* 2. (4) *Geneſ.* 2. *v.* 18.
(5) *Matth.XIX.* 12. (6) 1. *ad Cor. VII. v.* 38.

tem civili eſt *coniunctio viri & mulieris individuam vitae conſuetudinem continens*, ut ait Iuſtinianus (7): quam definitionem repetunt Gratianus [8], & Alexander III. [9]. Canonico tandem iure eſt *novae legis ſacramentum, quo vir & mulier ſecundum praecepta eccleſiae perpetuo nexu copulantur*. Noſtrum hîc erit, de matrimonii ſacramento ex iure dumtaxat eccleſiaſtico diſſerere.

§. III. Eſt itaque matrimonium & *contractus*, & *ſacramentum*. Contractus quidem, qui mutuo contrahentium conſenſu perficitur [a]. Hinc matrimonium συναλλαγμα *contractus* Chryſoſtomo [10], & συναλλαγμα ἄλυτον *contractus indiſſolubilis* Harmenopulo (11) dicitur. Hunc contractum ad ſacramenti dignitatem Chriſtus evexit, non ſolum ut ſignificaret unitatem coniunctionemque inter Chriſtum & eccleſiam, ſed etiam gratiam coniugatis elargiretur: quod ſacrae litterae (*b*), conſtans patrum traditio, & univerſalis eccleſiae definitio docet. Etenim matrimonium chriſtiano ritu celebratum eſſe ſacramentum, communi conſenſione Tertullianus (12), Ambroſius (13), Auguſtinus (14), Innocentius I. (15), item Cyrillus Alexandrinus (16), Chryſoſtomus (17),

 Epi-

(7) §. 1. *inſt. de patr. poteſt.* (8) *Cauſ. 27. q. 1. in pr.*
(9) *Cap. XI. ext. de praeſumt.*
(10) *Hom. in Matth.* (11) *Lib. VI. Promptuar. iur. tit. 3. n. 21.*
(12) *Lib. II. ad uxor.*, *de praeſcript. c.* 40., & *de monogam. c. 5.* (13) *Lib. I. de Abraham. c. 7. n.* 59. & 65. & *ep. 19. ad Vigilium n. 7.* (14) *De bono coniug. c. 24. n. 3. lib. I. de nupt. & concupiſc. c. 10. n. 11.* & alibi. (15) *Ep. 9. ad Protom.* (16) *Lib. 2. in Ioan.* (17) *Hom. 56. in Geneſ.*

(a) Vide quae cap. ſeq. dicemus.
(b) Paulus *ad Epheſ. V.* 32. Vid. Tournelium *praelect. theologic. de ſacram. matrim. quaeſt. 2. art.* 2. alioſque theologos.

Epiphanius (18), ceterique patres conteſtantur. Idem definierunt Synodus Florentina (19), & Tridentina (20). Ceterum ratio ſacramenti, quae ad contractum accedit, non mutat illius naturam, ſed ſervat integram, & ad meliorem ſortem evehit.

§. IV. Gravis eſt theologorum concertatio, an quodlibet fidelium matrimonium ſit ſacramentum, ita ut ratio contractus ſeiungi nequeat a ratione ſacramenti, ſeu an dari poſſit inter fideles verum in ratione contractus matrimonium, quod tamen non ſit ſacramentum. Negant Sanchez (21) aliique, propterea quod ex inſtitutione Chriſti ratio ſacramenti tam inſeparabili nexu adligata eſt connubiali contractui, ut a voluntate & arbitrio hominis non pendeat eam divellere, & a contractu excludere rationem ſacramenti divinitus inſtituti: quod omnino alienum eſſet a mente & verbis Concilii Tridentini (22), a quo ſine limitatione definitum eſt, fidelium matrimonium *eſſe vere & proprie unum ex ſeptem legis evangelicae ſacramentum*. Contra Pontius (23), Tournelius (24), Collet (25), aliique a contractu matrimonii illam ſeparari poſſe adfirmant, adeoque dari poſſe inter fideles validum matrimonium quoad vinculum perpetuum, quod tamen non ſit ſacramentum. Profecto, ſi debita requiſita deſint, nullum eſſet ſacramentum; quo caſu valeret matrimonium, quatenus eſt contractus naturalis quoad foedus & vinculum, at dignitate ſacramenti careret; nam cum ma-

(18) *Haereſ. 67. n. 6.* (19) *In inſtruct. Armenor.*
(20) *Seſ. 7. de ſacram. matrimon. can.* 1. & *ſeſſ.* 24. *can.* 1.
(21) *Lib. II. de matrim. diſput.* 10. *n.* 6. (22) *Cit. ſeſſ.* 24. *can.* 1. (23) *Lib. I. de matrim. c.* 9. (24) *In praelect. theologic. de ſacram. matrimon. quaeſt.2. art.2.* (25) *In continuat. praelect. theologic. Tournelii T.XIV. cap.2. art.2. ſect.3.*

Digitized by Google

matrimonii contractus ſit actio a ſacramento diſtincta, poteſt ab illo ſeparari ratio ſacramenti, nec ſacramento deficiente, contractus etiam corruit. Moneo hic, aliud eſſe teneri fideles ita celebrare ſemper matrimonium, ut ſit ſacramentum; aliud reipſa ita ſemper ab iis celebrari: prius verum eſt, poſterius non item. Nec quidquam negotii faceſſit contraria illa ratio, nempe in poteſtate hominis non eſſe ſeparare a contractu coniugali ſacramenti dignitatem, quam Chriſtus ipſi conceſſit perpetuo duraturam; haec enim dumtaxat probat, non eſſe in poteſtate hominis, ut matrimonium legitimo ritu celebratum non ſit inter fideles verum ſacramentum, nec chriſtianos alio ritu nuptias inire debere, quam qui neceſſarius eſt, ut celebretur ſacramentum. At longe aliud eſt, ad aliquid teneri chriſtianos, & illud ab ipſis ſemper obſervari, ut paullo ante monuimus. Tenentur quidem fideles matrimonium contrahere eo ritu, qui verum efficiat ſacramentum, & penes ipſos non eſt, efficere, ut eo ritu legitime poſito non ſit verum ſacramentum; at reipſa ritum hunc non ſemper obſervant. Vice verſa valet matrimonium in ratione ſacramenti, quod tamen nullum eſſet in ratione contractus quoad effectus civiles, veluti prolis legitimationem, dotem, ſucceſſionem, ſi matrimonium ſecundum eccleſiae leges initum ſit, ſed contra legem principis illud ſub tali poena temporali prohibentis.

§. V. Matrimonium theologi in *legitimum*, *ratum*, & *conſummatum* diſtinguunt. Legitimum ſecundum leges naturae, & cuiuſque gentis inſtituta contrahitur, merumque eſt civile negotium, non ſacramentum, cuiuſmodi ſunt infidelium & Iudaeorum matrimonia. Ratum vero eſt, quod a fidelibus

legitime contrahitur, & ſacramenti rationem habet, ſed nondum carnali copula in uſum deductum eſt. Conſummatum tandem, quod corporum coniunctione iam perfectum eſt. Haec matrimonii in *ratum* & *conſummatum* diſtinctio apud veteres patres non occurrit, primumque a Gratiano inventa eſt. Hic enim veterum monumenta retulit, in quorum aliis dicitur, coniugem ſine alterius venia continentiam profiteri non poſse (26), in aliis contra poſſe coniugem ſine alterius conſenſu converti (27): & praeterea matrimonium modo ſeparabile (28), modo individuum exhibetur. Ad haec omnia concilianda Gratianus monumenta, quae de non ſeparando coniugio loquebantur, de matrimonio *conſummato*; quae vero ſeparabile coniugium indicabant, de *rato* interpretatus eſt.

§. VI. De materia, forma, & miniſtro ſacramenti matrimonii, vetus & adhuc ſub iudice lis eſt. Veteres ſcholaſtici fere omnes ſtatuerunt, materiam eſſe contrahentium corpora; formam vero eorumdem conſenſum verbis aut nutu expreſſum; miniſtros eſſe ipſos nubentes. Eos ſequuntur Bellarminus (29), Raynaldus (30), Fagnanus (31), Eſpenius (32), aliique. Quot ex hac opinione abſurda fluunt! Sic enim huius ſacramenti miniſter non eſt unus, ſed duo: non ordinati, ſed laici: vir, & mulier: iidem ſuſcipientes, & conferentes: forma conſiſtit ſine verbis (nam conſenſus nutu expreſſus ſufficit); quin, quum ante Tridentinum per concubitum ſponſa-

(26) *Can.* 23. & 24. *cauſ.* 27. *q.* 2. (27) *Can.* 27. & 28. *eod.* (28) *Can.* 29. *eod.* (29) *Lib. I. de matrim. cap.* 6.

(30) *In heroclit. ſpiritual. punct.* 14., *Oper. tom. XVI.*

(31) *Ad cap.* „ quod nobis „ *ext. de clandeſt. deſponſat.*

(32) *Iur. eccleſ. univ. tom. I. part.* 2. *tit.* 12. *cap.* 5. *n.* 4.

ſalia tranſirent in matrimonium de praeſenti, adeoque concubitus ſuppleret conſenſum, carnalis commixtio perfeciſſet ſacramentum: quo quid abſurdius? Communem hanc ſcholaſticorum ſententiam primus deſeruit Gulielmus Pariſienſis epiſcopus an. 1228. creatus (33), docuitque miniſtrum matrimonii, quatenus eſt ſacramentum, eſſe ſacerdotem, & huius benedictione ſacramenti dignitatem matrimonio addi. Idem tradiderunt B. Thomas (34) (etſi hic in contrariam quoque ſententiam laudetur), tum Dominicani ordinis viri Humbertus (35), Albertus Caſtellanus (36), Caietanus (37), aliique. Hanc Gulielmi ſententiam in Tridentinis Comitiis Pariſienſes quidam theologi, duce Simone Vigorio, propoſuerunt. Eamdem inſtauravit, ſtrenueque propugnavit Melchior Canus (38), qui adſeverat, remotam ſacramenti matrimonii materiam eſſe nubentium corpora, proximamque mutuum eorumdem conſenſum; formam vero eſſe verba illa ſacerdotis nuptias benedicentis, *coniungo vos in matrimonium*, aut his ſimilia; & miniſtrum eſſe ſacerdotem ipſum nuptias benedicentem. Cano deinde adſtipulati ſunt Silvius (39), Eſtius (40), Iuenin (41), Tournelius (42), Serrius (43), Marca (44), aliique permulti.

§. VII. Profecto ſacramenti matrimonii ſubſtantia ſeu

(33) *Tract. de ſacram. matrimon. cap.* 9. (34) *Lib. IV. contr. gent. cap.* 77., & *ſupplem. quaeſt.* 22. *art.* 2. (35) *De eruditione Praedicatorum cap.* 51. (36) *In Sacerdotali Romano*, quod an. 1494. evulgavit. (37) *Tom. I. Opuſc. tract.* 12. *q.* 1. (38) *Lib. VIII. de loc. theologic. cap.* 5. (39) *In III. part. D. Thomae diſt.* 42. *art.* 1. *q.* 1. (40) *In IV. ſentent. diſt.* 26. §. 10. (41) *De ſacram. diſſ. XIII. q.* 3. (42) *De ſacrament. matrimon. quaeſt.* 3. *art.* 2. (43) *Praef. ad Opera Melchioris Cani cap.* 7. (44) Opuſc. Gallice edito *de ſacramento matrimonii*, *Opp. tom. V. p.* 148. *ſeqq. edit. Neap.*

ſeu materia eſt mutuus viri & mulieris conſenſus; & quidem de praeſenti: qua de re dicam infra. Porro *ἐυλογιαν* ſeu *ἱερολογιαν benediƈtionem* ſacerdotalem eſſe huius ſacramenti formam, oſtendi facile poteſt. Ea inde uſque ab eccleſiae initiis obtinuit, ſemperque ſervata eſt. De Oriente explorata res eſt. A Baſilio (45) matrimonium definitur, *ὁ δια της ἐυλογιας ζυγος*, *iugum per benediƈtionem impoſitum*. Chryſoſtomus (46) benediƈtioni ſacerdotali *την ὁμονοιαν τυ συνοικεσιυ concordiam coniugii*, quae ſacramenti effeƈtus eſt, adſcribit. Eidem benediƈtioni reƈtae educationis gratiam attribuit Cyrillus Alexandrinus (47). Ad eamdem *ἱερολογιαν* ſpeƈtavit Syneſius (48), dum ait: *Mihi & Deus, & lex, & ſacra Theophili* (patriarchae Alexandrini) *manus uxorem dedit*. Balſamon (49) nuptias, accedente benediƈtione, in ſacramentum attolli ſcribit. Ioannem patriarcham CP. Mauricii nuptias benedixiſſe, prodit Theophylaƈtus (50). Graeci etiam hodie *ἱερολογιαν* in nuptiis adhibent, teſte Metrophane Critopulo (51). Chriſtiani quoque Caeſares nuptias benediƈtione contrahi iuſſerunt. Primus in Oriente ſaeculo nono Leo Sapiens (52) nuptias ſine *ἱερολογια* initas diſerte irritas declaravit. In eamdem ſententiam

(45) *Hom. 7. in Hexaemer.* Conf. Kortholrum *diſſ. de neceſſitate conſecrationis nuptialis*, Petr. Muller *de antiquitate benediƈtionis nuptialis*, Pſannerum *lib. II. obſ. eccleſ. cap. 7.*, Dougtheium *in analeƈtis ſacris ad Malachiae II.* 14., & Gothofredum *ad L. 3. Cod. Th. de nuptiis*. (46) *Hom.* 48. *in Geneſ.* (47) *Lib. II. in Ioan.* (48) *Ep.* 105. *ad Evodium*.

(49) *Ad Photii Nomocan. tit. XIII. cap.* 2. (50) *Lib. I. hiſt. Mauric. cap.* 10. (51) *In confeſſ. eccleſ. Orient. cap. XII.*

(52) *Nov.* 89. cui titulus praeſcribitur, *περι τυ τα συνοικεσια ἀνευ της ἱερας ἐυλογιας μη ἐρρωσθαι*, *ne matrimonia citra ſacram benediƈtionem confirmentur*.

riam Harmenopuli Scholiaſtes (53) memorat Alexii Comneni ſanctionem.

§. VIII. Quantum ad Occidentem, connubium ſacerdotali benedictione ſemper ſanctificatum, oſtendunt omnis aevi patres, qui & nuptiis per ſacerdotem benedicendum, & ea benedictione gratiam conferri, diſerte adfirmant. Tertullianus (54) ſcribit, ſolum illud matrimonium a Deo ratum haberi, quod *eccleſia conciliat, confirmat oblatio, obſignat benedictio*, hoc eſt, ei gratiam imprimit per ſacerdotalem benedictionem; nam ſignare proprium eſt ſacramentorum, quae ſunt ſigna rei ſacrae. Idem (55) matrimonia clam eccleſia ſine benedictione celebrata, fornicationes potius eſſe adfirmat: *Penes nos occultae quoque coniunctiones, ideſt non prius apud eccleſiam profeſſae, iuxta moechiam & fornicationem iudicari periclitantur.* Sanctitatem matrimonii a ſacerdotali benedictione arceſſit Paullinus (56). Et Ambroſius (57) *coniugium velamine ſacerdotali, & benedictione ſanctificari oportere*, ſcribit. Leo M. (58) negat *eſſe matrimonium, ubi non eſt nuptiale myſterium*, ideſt benedictio. Eamdem benedictionem apud Latinos viguiſſe, conſtat ex Concilio Carthaginienſi IV. an. 398. (59), Siricio (60), Innocentio I. (61), Iſidoro Hiſpalenſi (62), ceteriſque. Adeo uſitata fuit ſacerdotalis benedictio, ut nonnumquam ex eius defectu nullum argueretur matrimonium. Adparet id ex divortio Lotharii regis, qui repudiata Teuthberga uxore, ſe Gualdradam ante illius matrimonium du-

(53) *Lib. IV. Promtuar. iur. tit. 3. n. 21.* (54) *Lib. II. ad uxor. num.* 8. (55) *De pudicit. cap.* 4. (56) *In epitalamio ſub fin.* (57) *Lib. III. ep.* 23. (58) *Ep. ad Ruſtic. cap.* 4. (59) *Can.* 13. (60) *Ep. ad Himer. cap.* 4. (61) *Ep. ad Victric. cap.* 5. (62) *Lib. II. de offic. cap.* 10.

duxiſſe aiebat. Re ad Nicolaum I. delata, hic iuſſit inquiri (63), an revera Lotharius, antequam Teuthbergam duxiſſet, matrimonium celebraſſet cum Gualdrada *coram teſtibus, ſecundum legem, & ritum, quo nuptiae celebrari ſolent*. Si enim probatum non fuerit, *Gualdradam fuiſſe uxorem legitimam, neque nuptiis ſecundum morem celebratis, per benedictionem ſcilicet ſacerdotis*, Lothario coniunctam fuiſſe, hunc cum Teuthberga legitima uxore reconciliari voluit. Etiam reges noſtri ſacerdotalem in nuptiis benedictionem praeſcripſerunt. Rogerius Siciliae rex in Comitiis Arianenſibus an. 1140. (64) ſancivit, *ſollemnitate adhibita, & benedictione ſacerdotali matrimonium ſollemniter celebrari*. Tanti benedictio haec in eccleſia eſt habita, ut fidelem, qui ſine ea nuptias contraxiſſet, irregularem habuerit: qua de re dicam ſuo loco. Tandem Rituale Romanum, Sacerdotale item Romanum ab Alberto Caſtellano an. 1494. editum, & Tridentina Synodus (65) parocho iniungunt, ut cognito contrahentium conſenſu dicat, *ego vos coniungo &c.* Iam ſi ſacramentalis forma continetur iis verbis, *ego te baptizo &c.*, *ego te abſolvo &c.*; cur verba his ſimilia, *ego vos coniungo &c.*, ſacramentalem formam non conſtituent (c)? Ex dictis

(63) *Can. Lotharius* 4., C. 31., q. 2. (64) Conſt. *ſancimus tit.* 22. *de matrimoniis contrahendis lib. III. Conſt. Regni.*
(65) *Seſſ.* 24. *de ref. matr. cap.* 1.

(c) Quum Chriſtus certam huius ſacramenti formam haud inſtituerit, ea varia fuit pro varietate eccleſiarum, & temporum. Plures veteres formulas benedicendi nuptias ſubiunxit Martenius *ad calcem partis* 2. *lib.* 1. *de antiq. eccleſ. ritib.* Eae olim deprecativae fuerunt. In Ordine ſecundo, quem ſaeculo X., & Ordine tertio, quem ſaeculo XI. ſcriptum putat Martenius, legitur: *Deus Abraham vos coniungat &c.*

Ta-

ctis habes, matrimonium ad ſacramenti dignitatem evectum ſacerdotali benedictione perfici in eo, quod ſpectat ad gratiam, adeoque eiuſdem ſacramenti formam eſſe.

§. IX. Sacerdotem denique nuptias benedicentem eſſe huius ſacramenti miniſtrum, cum alia probant, tum laudati patres, qui benedictione ſacerdotali matrimonium ſanctificari ſcribunt. Idem confirmant Ritualia, & Concilia, quae ſacerdotem huius ſacramenti *miniſtrum* paſſim adpellant. Sic Rituale Romanum (*66*) adminiſtrationem huius ſacramenti ad parochum pertinere ait. Concilium Colonienſe an. 1536. (*67*), & Cameracenſe an. 1567. (*68*) parochos faciunt connubialis ſacramenti *miniſtros*, & gratiam ac donum Spiritus ſancti *illorum precatione* conferri tradunt. Quid plura? Concilium Tridentinum (*69*) tam neceſſariam parochi praeſentiam in nuptiis rite celebrandis exiſtimat, ut iniungat parocho, explorato viri & mulieris conſenſu, dicere; *ego vos coniungo &c., & qui aliter matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit*. Parochus autem non originis, ſed domicilii, aut quivis alius ſacerdos de parochi, vel epiſcopi venia, eſt huius ſacramenti mini-

(66) *In praef.* (67) *Part. VII. cap.* 4. (68) *Cap.* 1. (69) *Cit. loc.*

Tali vel ſimili deprecativae formulae (ut in formis aliorum ſacramentorum uſuvenit) ſucceſſit indicativa : *Ego vos coniugo &c.*, quae primum occurrit in Ordine ſeptimo, qui ſaeculo XIII. conſcriptus eſt, eamque tempore Concilii Tridentini uſitatiorem fuiſſe, idem Martenius probat. Adde noſtram praefationem ad *Opera Petr. de Marca tom; V. p.* 28. *edit. Neap.*

niſter, uti ſciſcit Tridentinum (70). Si in parochia ſponſae celebretur matrimonium, huic illius parochus aderit; ſi vero in parochia viri, parochus huius praeſens erit, uti decrevit S. Congregatio an. 1573. (71).

§. X. Ad matrimonium rite celebrandum quatuor in primis requiruntur. (I). Legitima aetas, nempe pubertas, quam in maribus expleto anno 14., in puellis anno 12. definivit Iuſtinianus (72); hac enim aetate & illi gignere, & hae virum pati poſſe creduntur. Sed pontificio iure puberes ſunt quoad matrimonium, qui, licet ea aetate minores, ex habitu corporis gignere poſſunt (73): unde canoniſtarum effatum, *malitia ſupplet aetatem*. Initum ante pubertatem matrimonium, etiam cum niſu carnalis copulae, nullum eſſe reſcripſit Urbanus III. (74). Porro Benedictus XIV. (75) praepotentes impuberes pontificia diſpenſatione haud indigere in nuptiis ineundis, ſi tales ab epiſcopo rite iudicentur; egere autem, ſi actu ad perfectam copulam apti non ſint, declaravit. (II). Praeſentia parochi, & duorum vel trium teſtium; ſecus irritum eſſe matrimonium, decrevit Tridentina Synodus (76). (III). Omnis impedimenti abſentia: qua de re infra dicendum. (IV). Mutuus contrahentium conſenſus. Iure naturae matrimonium ſolo conſenſu perficitur, quum nihil ſit aliud, quam inter duos diverſi ſexus inita ſocietas ſobolis gignendae & educandae gratia. Conſenſu nuptias fieri, ci-

vi-

(70) *Cit. ſeſſ.* 24. *cap.* 3. (71) Vid. Benedict. XIV. *Notific.* 20. (72) *L. ult. C. quando tut. eſſe deſin.* (73) S. Iſidorus *in cap.* 3. *ext. de deſponſat. impub.*, Alexander III. *cap.* 9., & Innoc. III. *cap.* 14. *eod.* (74) *Cap.* 10. *eod.*

(75) Conſt. *magnae nobis* 51. *tom. II. Bullar. p.* 406.

(76) *Seſſ.* 24. *de ref. matrim. cap.* 1.

vile ius clamat. Inſtar omnium ſit Iulianus (77): *Sponſalia*, inquit, *ſicut nuptiae*, *conſenſu contrahentium fiunt*. Sed & iure canonico matrimonii οὐσίαν in mutuo conſenſu conſiſtere, ſexcentis locis ſcriptum eſt. Nicolaus I. (78): *Ubi*, inquit, *non eſt conſenſus utriuſque*, *non eſt coniugium*. Nuptias *ſolo conſenſu contrahi*, ſcribunt Alexander III. (79), & Innocentius III. (80). Hinc defectu conſenſus dementium, qui de mente ſua diſceſſerunt, & furioſorum, qui in rabiem acti in ſe & alios deſaeviunt, niſi in lucidis intervallis contrahant, nullum eſt matrimonium. Eorum vero, qui ſani contraxerunt, tum amentia vel furore correpti ſunt, coniugia non ſolvi, reſcripſit Nicolaus papa (81). Concubitus de ſubſtantia non eſt matrimonii. Ad rem Ulpianus (82): *Nuptias*, ait, *non concubitus*, *ſed conſenſus facit*. Pari modo ſcribit Ambroſius (83), *non virginitatis deflorationem coniugium facere*, *ſed pactionem*, puta *conſenſum*. Nimirum matrimonii ſubſtantiae non repugnat eo non uti, ſed uti haud poſſe. Hinc poſſunt coniuges communi conſenſu caſtitatem vovere: quo nomine Armentario & Paullinae gratulatur Auguſtinus (84). Conſenſus exprimendus eſt verbis *de praeſenti*, quibus nempe contrahentes ſe nunc matrimonio adſentiri ſignificent, uti reſpondit Innocentius III. (85). Si vir & mulier invicem promittunt, quod ab eo tempore ſe pro coniugibus habebunt, matrimonium contractum eſſe de praeſenti, reſcripſit Alexander III. (86); nam licet verba fu-

(77) *L. 2. D. de ritu nupt.* (78) *Can. unic. cauſ. 30. q. 2.*
(79) *Cap. 14. ext. de ſponſalib. & matrim.* (80) *Cap. 23. eod.* (81) *Can. 25. cauſ. 32. q. 7.* (82) *L. 3. D. de R. I.*
(83) *De inſt. virg. cap. 6.* (84) *Ep. 127. al. 45.*
(85) *Cap. 25. ext. de ſponſalib. & matrim.* (86) *Cap. 9. eod.*

futuri temporis ſint ſecundum grammaticae *συντάξιν*, praeſentem tamen conſenſum & acceptationem ſignificant. Sive autem verbis, ſive quavis alia voluntatis ſignificatione conſenſus exprimatur, nihil intereſt. Hinc mutos & ſurdos, quum verbis non poſſint, ſignis valere connubialem conſenſum declarare, reſpondit Innocentius III. (87). Conſonat Eugenius IV. (88): *Cauſſa efficiens* (ſeu materia) *matrimonii regulariter eſt conſenſus per verba de praeſenti expreſſus*. *To regulariter* ideo additum, quia interdum non verbis, ſed nutibus, aliiſve ſignis, & nonnunquam ſolo ſilentio conſenſus ſignificatur. Iam quocumque modo conſenſus aperiatur, verus eſſe debet, non fictus. Non enim valet matrimonium, in quo alter contrahentium ſimulato animo conſentit, uti ſcite Innocentius III. (89): quia ſine vero conſenſu non ſubſiſtit matrimonium; ſimulatus autem conſenſus verus non eſt, adeoque nec ſimulatum matrimonium valet (90): quod de foro interno accipe, non item externo.

§. XI. Porro conſenſus aut *purus* eſt, aut *conditionalis*. Conditio eſt oratio, quae actum ſuſpendit in futurum & liberum eventum. Quare conditio *de praeterito*, vel *de praeſenti*, vel *de futuro neceſſario* proprie hoc nomine dici nequit, quum actum non ſuſpendat. Proprie itaque conditio eſt, quae in futurum & liberum eventum concipitur. Ea aut *poſſibilis* eſt, aut *impoſſibilis*. Poſſibilis dicitur, quae cum natura, lege, boniſve moribus non pugnat. Haec implenda eſt, nec niſi exiſtente conditione contractus valet. Hinc Bonifacius VIII. (91) cavit, debere

(87) *Cap. 23. eod. tit.* (88) *In inſtruct. Armenor.*
(89) *Cap. 26. eod.* (90) *L. 30. D. de rit. nupt.*
(91) *Cap. unic. de ſponſalib. in 6.*

bere virum, qui ante conditionis eventum cum alia matrimonium *per verba de praeſenti* contraxit, cum ſecunda hac remanere, nullumque inde oriri publicae honeſtatis impedimentum. Impoſſibilis autem conditio eſt, quae naturae, legibus, boniſve moribus obſiſtit. Haec vel matrimonii ſubſtantiae adverſatur, vel ſecus. Si prius, nullum erit matrimonium. Illa vero conditio ſubſtantiae matrimonii opponitur, quae tribus eiuſdem matrimonii bonis, puta, *prolis*, *fidei*, & *ſacramenti* obſtat, ut, *contraho tecum*, *ſi generationem prolis evites*, vel *donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem*, vel *ſi pro quaeſtu adulterandam te tradas*. Si vero impoſſibilis conditio ſubſtantiae matrimonii non repugnet, veluti *ſi conſentiat defunctus pater*, *ſi fratrem occidas*, *ſi nuda in foro ſaltaveris*, conſiſtit matrimonium, & conditio *pro non adiecta habetur*. Haec omnia cavit Gregorius IX. (92). Ceterum conditionata matrimonia poſt Tridentinam Synodum deſueverunt; haec enim contrahi matrimonium iubet per verba de praeſenti coram parocho & teſtibus, ſecus illud nullum & irritum pronuntiat.

§. XII. Non inter praeſentes modo, ſed & inter abſentes contrahi matrimonium poteſt per procuratorem, aut per epiſtolam; nam matrimonium, etiam poſtquam ad ſacramenti dignitatem evectum eſt, contractus retinet rationem, adeoque, uti ceteri contractus, vel naturae iure moralem contrahentium praeſentiam poſtulat, quae per procuratorem peculiari mandato inſtructum habetur (*d*). Ut autem

(92) *Cap. 7. ext. de condit. appoſit. in deſponſat.*

(d) Num matrimonium inter abſentes legitime contractum ſa-

conſiſtat matrimonium inter abſentes quatuor conditiones praeſcripſit Bonifacius VIII. (93). I. Ut procurator habeat ſpeciale mandatum ad contrahendum cum certa & determinata perſona. II. Ut ipſe per ſe rem gerat, alium non deputet, niſi id ſpecialiter ei commiſſum ſit. III. Ut mandatum a domino revocatum non ſit, antequam procurator contraxerit, quum per revocationem ceſſet conſenſus, ſine quo nuptiae non conſiſtunt; idque ob eamdem hanc rationem verum eſt, quamvis huiuſmodi revocationem procurator ignoraverit: quod connubiali contractui peculiare eſt; ceteri enim contractus valide per procuratorem celebrantur, ſi mandati revocatio procuratori non innotuerit. IV. Ut procurator fines mandati non excedat; etenim mandans conſentire non cenſetur, niſi ſervetur conditio, quam praeſcripſit.

§. XIII. Dicam heic de patrio in filiorum nuptiis conſenſu. Iure naturae conſiſtit matrimonium invitis vel inſciis parentibus contractum; namque patrius in nuptiis filiorum conſenſus honeſtatis eſt, non neceſſitatis, uti ſcite Tridentina Synodus (94) definivit. Sane nuptiae inſtitutae ſunt ad prolis procreationem & educationem; utrumque conſequitur ex conſuetudine vitae, atque haec ex mutuo coniugum amore, qui natura nullo imperio conſtringi poteſt. Appoſite Auctor declamationum (95): *Neſcis*, inquit, *noſtri arbitrii eſſe matrimonia? Affectus noſtri* vo-

(93) *Cap. 9. de procuratorib. in 6.* (94) *Cit. ſeſſ. 24. cap. 1.*
(95) *Declamat.* 376.

ſacramenti rationem habeat, non idem omnibus ſedet. Iis adſtipulor, qui adfirmant; nam eiuſmodi matrimonium rationem habet legitimi contractus; contractus vero connubialis ritu eccleſiaſtico celebratus verum eſt ſacramentum. Vid. Sanchez *de matrim. lib. II. diſp.* 11. & Tournelium in *praelect. teolog. de ſacram. matrim. q.* 2.

vobis non ſerviunt. Non potes efficere imperio, ut vel amem quam velis, vel oderim. Porro ex naturali ratione pater, aeque ac mater, dirigere actiones filiorum tenentur quamdiu hos latet, quid facere vel omittere debeant, nec maiorem utrique poteſtatem habent, quam ad hanc directionem eſt opus: contra qui ducit uxorem, & maturae aetatis eſſe debet, & extra familiam abit, ita ut hac in re regimini familiari non ſubſit. Tenentur quidem liberi ob eam, quam iure naturae parentibus debent reverentiam, cum in rebus omnibus, tum praecipue in pergravi nuptiarum negotio, quod totam familiam & gentem ſpectat, illorum conſenſum exquirere; quod apud gentes paſſim factum, teſtantur Euripides (96), Pauſanias (97), aliique. Sed eo adſenſu haud exquiſito, nuptiae nihilominus conſiſtunt (e). Divino etiam iure eiuſmodi parentum conſenſus ex honeſtate requiritur. Multa quidem in ſacris litteris habentur de nuptiis, deque reverentia a liberis exhibenda parentibus: at nihil uſpiam offendes, quod nullum adſtruit matrimonium parentum iniuſſu initum.

§. XIV. Ab hoc naturali divinoque iure deſcivit Ro-

(96) *In Androm. v. 987.* (97) *Lib. VII. cap. 19.*

(e) Patrium conſenſum naturali divinoque iure ad honeſtatem, non firmitatem matrimonii filiorum requiri, probant etiam Grotius *de I. B. & P. lib. II. cap.* 5., Puſendorfius *de offic. homin. & civ. lib. II. cap.* 3., Wolfius *de iure natur. part. VII. cap.* 4. §. 660. *ſeqq.*, Lockius *de regimin. civil. cap.* 1., aliique. Contrarium fruſtra tuentur Petrus Merre *in defenſione uſus Galliae de matrim. filiorumf. init. ſine conſenſu parent.*, Franc. Maria Muſcettula *diſſ. de ſponſalib. & matrimoniis, quae a filiisfam. contrahuntur, parentibus inſciis, vel iuſte invitis*, Mazochius paſſim *in adnotat. ad hanc diſſert.*, aliique.

manum ius, quo nullae ſunt nuptiae a filiisfamilias ſine conſenſu parentum contractae. Unum laudaſſe ſat habeo Tribonianum (98): *Si filiiſfamilias ſint, conſenſum habeant parentum, quorum in poteſtate ſunt. Nam hoc fieri debere, & civilis, & naturalis ratio ſuadet: in tantum ut iuſſus parentis praecedere debeat.* Heic *naturalis* ratio eſt reverentia parentibus iure naturae debita; *civilis* vero eſt patria poteſtas, cui nimium tribuere Romani, adeo ut filiusfamilias, quamvis maturae aetatis, vel maritus fuerit, patri ſerviebat, inque omnibus patriae maieſtati parere debebat, & porro peculiaris illa pro nuptiis filiorum ratio, ne ſcilicet invito patri ſuus heres ex inviſa femina adnaſceretur (*f*). Adligavit itaque civile ius neceſſitatem conſenſus parentum in nuptiis liberorum patriae poteſtati, non reverentiae ipſis debitae. Hinc permiſit filio emancipato, qui aeque ac in poteſtate conſtitutus reverentiam debet, vel diſſentiente patre, nuptias inire (99): & porro matrem, quae non ſecus ac pater ſuſpicienda eſt, utpote poteſtatis expertem, hac in re negligi voluit.

§. XV. Civile ius eccleſia olim ſequuta irritas habuit nu-

(98) *Pr. inſt. de nupt.* (99) Modeſtinus *L.* 25. *D. de ritu nupt.*

(f) Nuptias filiorumfamilias ſine patrio conſenſu nullas & irritas eſſe, apertiſſima produnt iuris civilis loca, quae extant in titulis inſtitutionum *de nuptiis*, & Pandectarum *de ritu nuptiarum*. In primis Paullus *L.* 2. *D. eod.* nuptias ſine conſenſu patrisfamilias conſiſtere negat. At enim idem Paullus *lib. II. recept. ſentent. tit.* 19. §. 2. validas eſſe eiuſmodi nuptias adfirmat. Ad hoc ἐναντιοφανὲς diſſolvendum induſtriam contulere ſuam Cuiacius *ad lib.* 35. *Paulli ad edictum*, & *lib. III. obſ. cap.* 5., Dionyſ. Gothofredus ad *L.* 25. *D. de ritu nupt.*, & Vinnius *ad lib. I. inſt. tit.* 10., quos adi.

nuptias filiorumfamilias, invitis vel inconſultis parentibus, contractas. Id de Oriente teſtatur Baſilius (100) & Photius (101). Quin ius hoc adhuc ſaeculo XIII. obtinebat, teſte Balſamone (102). Nuptias eorum, qui adhuc in ſacris parentum ſunt, ſine patrio iuſſu initas, pro nullis haberi, docet Alexius patriarcha CPolitanus (103). A vetuſtiſſimo hoc iure Graecos deſciviſſe, nuſpiam legimus. Idem in Occidente ius prioribus XII. ſaeculis obtinuit. Id de aetate ſua teſtatur Tertullianus (104): *Nec in terris*, ait, *filii ſine conſenſu patrum rite & iure nubent*. De Rebeccae deſponſatione ſcribit Ambroſius (105): *Conſulitur puella, non de ſponſalibus; illa enim expectat iudicium parentum*. Concilium Aurelianenſe IV. an. 541. (106) improbat *coniugium, quod contra parentum voluntatem impie copulatur*. Eamdem diſciplinam ſaeculo IX. viguiſſe, conſtat ex epiſtola Evariſto papae a Pſeudo-Iſidoro tributa (107). Et Nicolaus I. (108) in nuptiis conſenſum contrahentium, & eorum, in quorum poteſtate ſunt, ex aequo requirit. Saeculo XII. a veteri hoc iure receſſerunt Latini. Generatim enim caverunt pontifices, ut deinceps matrimonii vis a ſolo contrahentium conſenſu penderet, non item eorum, ſub quorum poteſtate, vel dominio ſunt contrahentes, nominatim Alexander III. (109), & Innocentius III. (110). Poſtea in diverſa ſtudia

(100) *Ep. ad Amphiloch. can.* 62. (101) *Nomocan. tit. XIII. cap.* 9. (102) *Ad Photii Nomocan. cit. loc.* (103) *In Synodalib. ſentent.* apud Leunclav. *in iure Orient.* (104) *Lib. II. ad uxor.* (105) *Lib. I. de Abraham cap. ult.*

(106) *Can.* 22. (107) *In can.* 1. *cauſ.* 30. *q.* 5.

(108) *Ad conſulta Bulgaror. cap.* 3. (109) *Cap.* 14. *ext. de ſponſalib. & matrim.* (110) *Cap.* 3. *&* 4. *ext. de ſponſa duor., & cap.* 6. *ext. de condit. appoſit. in deſponſat.*

de hac re in Tridentinis comitiis diſputatum, tandemque decretum ſic conceptum fuit, eccleſiam *ex iuſtiſſimis cauſſis* nuptias ſine parentum conſenſu contractas *ſemper deteſtatam eſſe*, *atque prohibuiſſe*; eos vero, *qui falſo affirmant*, *matrimonia a filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta*, *irrita eſſe*, *& parentes ea rata*, *vel irrita facere poſſe*, anathemate percelli (111). Poſt Tridentinam Synodum Galliarum reges Henricus III. an. 1579., & Ludovicus XIII. an. 1629. edixerunt, nulla & invalida eſſe matrimonia a filiisfamilias contracta ſine conſenſu parentum. At defectum patrii conſenſus ex mente regum chriſtianiſſimorum non attingere contractus ſubſtantiam, ſed tantum effectus civiles, ipſi Galli teſtantur (112): proinde in Gallia matrimonium a filiofamilias inſcio vel invito patre contractum valet, tantumque civilibus effectibus deſtituitur.

CAP. XI.

De civili, & eccleſiaſtica in matrimonium poteſtate.

§. I. MAtrimonium & naturae inſtitutum eſt, & contractus (*a*), & ſacramentum. Conſiſtit

(111) *Seſs. XXIV. de ref. matrim. cap.* 1. Conf. Pallavicin. *hiſt. Concil. Trident. liv. XXII. cap.* 4. (112) Vid. Benedict. XIV. *de Synod. dioeceſ. lib. IX. cap.* 11. *n.* 5.

(a) Prae ceteris Huber *praelect. ad tit. inſt. de nupt. n.* 2. & Heineccius *elem. iur. civ. lib. I. tit.* 10. *n.* 148. *in not.* pernegant, matrimonium eſſe contractum, quippe qui circa res, quae in commercio ſunt, verſari ſolet, §. 18. *inſt. de inutil. ſtipulat.*; hominum vero corpora extra commercium ſunt. At nulli rei, quam matrimonio magis congruit contractus definitio a Labeone tradita in *l.* 19. *D. de V. O.* nempe *ultro citroque obligatio*, vel Iuſtinianea obligationis definitio *pr. inſt. de*

ſtit autem in mutuo partium conſenſu, & refertur ad finem naturalem, qui eſt generatio filiorum, ad finem civilem, qui eſt bonum ſocietatis, atque ad finem ſupernaturalem, qui eſt gratia ſacramenti. In primo adſpectu regitur ab iure naturali: in ſecundo ab iure civili: in tertio a legibus divinis & eccleſiaſticis (*b*). Matrimonium ergo illegitimum eſſe pot-

de obligat., *obligatio eſt iuris vinculum*; nullus enim arctior matrimoniali nexus excogitari poteſt. Praeterea non ſolum de rebus, verum etiam de factis honeſtis pacta & contractus iniri poſſunt. Id certum eſt, matrimonium eſſe ſocietatem, quae ſine pacto ſeu contractu intelligi nequit. Nec autem ex eo, quod contractus verſari nequeunt, niſi circa res, quae in commercio ſunt, ſequitur, nullum eſſe contractum, qui ſine huiuſmodi rebus fieri poſſit: immo ſunt nonnulli, qui ſine re ſolo conſenſu perficiuntur. Sane mandatum, *ut pro me fideiubeas*, *pro Seio intervenias*, vel *Titio credas*, contractus eſt, & tamen res deeſt. Neque regeras, operam in his contractibus intervenire, quae in commercio eſt, *l.* 52. *D. pro ſocio*. Cur enim non idem de nuptiis adfirmandum, in quibus non ſolum opera, quam mulier praeſtat ſerviens viro, vir curans, quae mulieris ſunt, intercedit, ſed etiam res, quae viciſſim a coniugibus praeſtantur, uti dos, antipherna, & univerſa demum utriuſque bona communicantur? Quum itaque matrimonium ſit ſocietas quaedam, qua bona omnia coniugum communicantur, ſaltem hoc nomine dici poteſt circa res in commercio poſitas verſari: adeoque matrimonium eſſe contractum, qui ſolo conſenſu perficitur, cuiuſmodi ſocietas ipſa eſt.

(b) Magnis animis diſputatum eſt, cui poteſtati, civiline, an eccleſiaſticae, an utrique competat ius ſtatuendi impedimenta matrimonium dirimentia. Primi omnium Waldenſes, inde Lutherani, & Calviniſtae propriam eccleſiae auctoritatem conſtituendi eiuſmodi impedimenta denegarunt. Facultas theologica Pariſienſis inter cetera Lutheranae doctrinae capita ſententiam duabus propoſitionibus contentam, quibus negabatur eccleſiae poteſtas ſtatuendi impedimenta nuptias dirimentia, damnavit, tamquam *impiam*, *poteſtati eccleſiae impie derogativam ex damnato Waldenſium errore precedentem*. Tum Marcus Ant. de Dominis, archiepiſcopus Spalatenſis, & apoſta-

poteſt aut in ordine naturali, aut civili, aut eccleſiaſtico, prout diverſis hiſce legibus opponitur. Prae-

ta, *lib. V. de rep. eccleſ. cap.* 11. eamdem eccleſiae poteſtatem abnegavit. Idem paucis contendit Paullus Sarpius *in hiſt. Concil. Tridentin.* Poſtea Io: Launoius, fervente in Galliis quaeſtione de validitate matrimonii a Gaſtone duce Aurelianenſi contracti, librum edidit *de regia in matrimonium poteſtate, ſeu de iure ſaecularium principum chriſtianorum in ſanciendis impedimentis matrimonium dirimentibus*, *Pariſ.* 1675. 4. quo eccleſiae proprium ius ſanciendi impedimenta matrimonium dirimentia denegat, ſoliſque principibus laicis attribuit; poteſtatem, quam eccleſia exercet ſtatuendi eiuſmodi impedimenta, & ab eorum aliquot diſpenſandi ad uſurpationem, vel conceſſionem principum refert, & in canone Tridentino, quo definitur *poſſe eccleſiam ſtatuere impedimenta matrimonium dirimentia*, nomine *eccleſiae* reges & principes intelligendos adſeverat. Launoium amicis ſuis ſaepe teſtatum ſe librum illum ſcripſiſſe invitum & contra animi ſententiam iuſſu ſuperiorum, refert Ancilonius *in Miſcellan. critic. tom.* 2. *p.* 330. Statim Launoio tractatum oppoſuit Dominicus Galeſius *de eccleſiaſtica in matrimonium poteſtate, ſive de iure eccleſiae in ſanciendis legibus matrimonium impedientibus & dirimentibus*, *Romae* 1676. 4. Sed huic repoſuit Launoius *contentorum in Galeſii eccleſiaſtica in matrimonium poteſtate erratorum indicem*, *Pariſ.* 1677. 4. Paullo poſt Iac. Levllier, theologus Sorbonicus, qui tamen ſuum nomen haud profeſſus eſt, *in librum Io. Launoii, qui inſcribitur regia in matrimonium poteſtas*, *obſervationes* evulgavit *Pariſ.* 1678. 4. quibus Launoii errata fuſe refellit, totumque ab eo expilatum Spalatenſem, collato utriuſque textu, demonſtrat. Mediam ſententiam defendit Io. Gerbeſius, theologus item Sorbonicus, edito Gallice *tractatu irenico de poteſtate eccleſiae & principum in impedimenta matrimonii*, *Pariſ.* 1690. 4. quo, eiuſmodi auctoritate & eccleſiae & principibus vindicata, Launoium, ſuppreſſo eius nomine, ſolide confutat tota priori parte, allatiſque ex qualibet aetate teſtimoniis, eccleſiam iure ſuo poteſtatem ſtatuendi impedimenta matrimonium dirimentia ſemper exercuiſſe adſtruit. Launoium refellit etiam Gisbert in opere Gallico: *Hiſtoire de l' Egliſe ſur le ſacrament du mariage depuis Ieſus Chriſt iuſques a nous*, *Pariſ.* 1725. 3. *vol.* 4. & doctus Auctor libri *de auctoritate duarum*

Praeclare S. Thomas (1) docet: *Matrimonium, in quantum eſt in officium naturae, ſtatuitur iure naturae, in quantum eſt in officium communitatis., ſtatuitur iure civili; in quantum eſt ſacramentum, ſtatuitur iure divino; & ideo ex qualibet dictarum legum naturae, humanae, & divinae poteſt perſona effici ad matrimonium illegitima.*

§. II. Iam vero matrimonium ſpectatum pro contractu naturali, ſoli ſubeſt tribunali Dei, qui, creatis mare ac femina, illud inſtituit, primaſque de eo leges ſancivit. Quod vero contractus iſte celebrari nequit inter cultas gentes ſine reſpectu ad ſocietatem civilem, legibus Principum regitur. Hinc leges Principis regunt eius formam, obligationes & uti-

(1) *Lib. IV. contr. gentil. & in lib. IV. ſentent. diſt. 34. quaeſt. 2. art. 1. ad 4.*

rum Poteſtatum part. III. cap. 3. §. 8. tom. IV. Plures vide in Iac. le Long *Bibliotheca hiſtoric. Gall. lib. II. p.* 134. Ab eo tempore ſententiam Launoii defenſitavit e proteſtantibus Io. Samuel Stryckius *in diſſ. de reliquiis ſacramenti in matrimonialibus, Halae* 1704. 4. qua matrimonium non niſi contractum civilem eſſe iactat. At eum refutarunt ipſi proteſtantes Val. Erneſt. Loeſcherus *in relationibus innoxiis an.* 1705. *p.* 118. *ſeq.* & Michaël Henric. Reinhardus *in meletemate de ſanctitate matrimonii chriſtiani adverſus contractus mere civilis convitium*, inſerto iiſdem relationibus innoxiis an. 1717. p. 1037. & 1113. Launoii ſententiam, unius fere ſaeculi ſpatio veluti intermortuam, noſtris temporibus excitarunt prae ceteris Petrus Tamburinus in *praelect. de iuſtitia chriſtiana, & ſacrament. cap. 2. & 5. vol. 2.* & Thomas Neſtius Piſtorienſis libello Italice ſcripto *de impedimentis matrimonium dirimentibus*, qui Launoii, eiuſque adſeclarum ſcrinia expilarunt, novi nihil attulerunt. At iis reſpondit inter alios Petrus Deodatus *in defenſione Tridentinor. canon. de eccleſiae poteſtate in dirimentia matrimonium impedimenta adv. Launoium, Tamburinum, Neſtium, alioſque recentiores, Hierapoli* 1786. 8.

utilitates quantum ad temporalia ſpectat: & ubi contractus naturalis omnibus requiſitis a lege Principis praeſcriptis munitus eſt, evadit contractus civilis, iuſque praebet ad omnia commoda ipſi adnexa. Si contra civiles leges matrimonium contrahatur, nullum eſt quoad effectus civiles. Sic nuptiae filiif. ſine conſenſu patrio nullae ſunt quoad effectus civiles, quia civiles leges violat. Princeps itaque iure ſummi imperii contractum matrimonii ad civitatis commoda dirigit, & impedimenta illud dirimentia ſtatuit. Sane matrimonium eſt contractus, quod Chriſtus ad ſacramenti dignitatem ſine contractus ipſius immutatione evexit: proinde Princeps iure ſuo, ut contractus omnes ad reip. bonum dirigit, ita contractum nuptialem legibus ſuis moderatur. Adhaec cum maximam partem ſalus & tranquillitas reip. ex matrimoniis rite contractis pendeat; Princeps ſocietatis caput & cuſtos, leges ferre poteſt, quibus prohibeantur, vel irriti declarentur matrimoniales illi contractus, qui publicae utilitati obſunt; ſecus tanta is poteſtate non polleret, quanta ad commune reip. bonum requiritur. Revera diu chriſtiani principes hac poteſtate uſi ſunt. Plures Imperatorum ſanctiones de hac re proſtant in Codicibus Theodoſiano, & Iuſtinianeo, in Baſilicorum libris, & poſteriorum principum legibus (2) (c). Sed a multis

(2) Vid. Launoium *de regia in matrimon. poteſt.*

(c) Noſtri quoque reges inde uſque a monarchiae cunabulis leges de matrimonii contractu pertulerunt. Rogerius I. conſtitutione in Comitiis Ariani an. 1140. celebratis edita, quae *libro III. Conſt. Regni tit. 22. de matrimoniis contrahend.* inſerta eſt, ſancivit, *ſollemnitate adhibita, & benedictione ſacerdotali matrimonium ſollemniter celebrari*, proſcriptis clandeſtinis nuptiis;

tis abhinc ſaeculis chriſtiani principes uſum conſtituendi impedimenta matrimonii contractum dirimentia non exercent : tantum civiles effectus ei denegant, ſi adverſus leges ſuas initum ſit. Quare edicta Henrici III. & Ludovici XIII., quibus *nulla & invalida* pronuntiantur matrimonia a filiisf. ſine conſenſu parentum inita, *non aliter eſſe explicanda, quam per ſolam relationem ad contractum civilem*, nomine ipſius Ludovici Clero Gallicano in Comitiis Lutetiae Pariſiorum anno 1629. coacto reſponderunt regii ſanctioris Conſilii Adminiſtri. Ob eamdem rationem ſolus Princeps diſpenſare poteſt a conditionibus, quas legibus ſuis matrimonii contractui praeſcripſit. Tandem quidquid ſpectat ad civiles effectus matrimonii, utilitates, conventiones nuptiales, civilem filiorum ordinem, atque iura & ſucceſſiones in bona parentum, laico iudici deferendum eſt.

§.III.

ptiis; alioqui filios *ex clandeſtino matrimonio, & illegitimo* natos, tamquam illegitimos, teſtamentaria & legitima parentum hereditate arcuit; feminis vero clandeſtine nubentibus ius petendae dotis denegavit. Fridericus II. Conſt. *honorem noſtri diadematis lib. III. Conſt. Regni tit.* 23. vetuit, feudatarios, eorumque filios & nepotes nuptias ſine regiae curiae adſenſu contrahere. Carolus I. Andegavenſis in Capit. *ſatis conſtat* edito an. 1271. interdixit iniuſſu regis matrimonium contrahi cum filiis & filiabus proditorum, indicta poena publicationis omnium bonorum. Huic legi tantum exules ob laeſam maieſtatem, aut haereſim ſubiecit Carolus II. Capit. *item ſtatuimus quod filiae proditorum*. Idem Carolus in pactis cum Honorio IV. conventis an. 1285. *cap.* 37. nubere permiſit filiabus proditorum, quae paternam malitiam ſequutae non eſſent, dotemque iis dari de bonis alodialibus ſine Curiae permiſſione. Tandem Ferdinandus Catholicus in Comitiis Neapolitanis an. 1507. permiſit Baronibus nuptias ſine regio adſenſu inire, modo feuda in dotem non promittantur. Vid. *tom.* 1. *privileg. Neapolis cap. 6. p.* 92.

§. III. De eccleſiaſtica in matrimonium poteſtate, ambigendum non eſt. Ghriſtus enim matrimonii contractum ad ſacramenti dignitatem evexit: in ſacramenta vero ſoli eccleſiae vi divinae inſtitutionis poteſtas eſt. Quemadmodum ergo matrimonium pro ratione contractus principum legibus dirigitur ad ſocietatis civilis bonum; ita pro reſpectu ſacramenti ſubeſt eccleſiae, quae ſtatuit conditiones neceſſarias ſanctitati matrimonii, & ſpirituali nexui; curat, ut fideles illius finem & effectum ſpiritualem conſequantur; coniunctiones bono chriſtianae reip. adverſas reiicit & impedit: atque contractus naturalis conditionibus ab eccleſia praeſcriptis munitus conſtituit ſacramentum, gratiam producit, & his conditionibus deſtitutus, ſacramentum nullum, aut illegitimum eſt. Eccleſia itaque poteſtatem a Chriſto accepit conſtituendi impedimenta nuptias chriſtianorum dirimentia bono religionis, ideſt declarandi inhabiles ad contrahendum illos, in quibus obſtacula animadverteret bonis ſpiritualibus matrimonio adnexis, cuiuſmodi ſunt chriſtiana prolis educatio, obſervatio fidei coniugalis, & indiſſolubilitas. Hac poteſtate a chriſtianiſmi cunabulis ad haec tempora eccleſia uſa eſt, etiam conſenſu principum, qui probaverunt, & exequi iuſſerunt decreta eccleſiae de hac re. Chriſtus prohibuit divortium, quod legibus civilibus & vero etiam Moſaicis permittebatur. Apoſtoli novis fidelibus divortium & poligamiam interdixerunt. S.Paulus (3), quid a coniugibus infidelibus agendum eſſet, ſi eorum alter chriſtiana ſacra amplecteretur, praeſcripſit. Ignatius Martyr, Irenaeus, Athenagoras, Tertullianus, Origenes, dum de matrimoniis chri-

(3) *I. Corinth. 7. v. 12. ſeqq.*

chriſtianorum loquuntur, ea legibus eccleſiae regi ſignificant. Eadem in nuptias chriſtianorum poteſtate eccleſiam ſemper uſam fuiſſe, pluraque paſſim impedimenta dirimentia decreviſſe, conſtat ex Concilio Illiberitano an. 305. (4), Ancyrano an. 314. (5), Neocaeſarienſi eodem an. 314. habito (6), Hybernenſi an. 450. a S. Patricio celebrato (7) Chalcedonenſi an. 551. (8), item Baſilio (9), Siricio (10), Innocentio I. (11), Leone I. (12), Gregorio M. (13), aliiſque (*d*). Tandem Tridentina Synodus (14) anathemate percellit eum, *qui dixerit, eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe*.

§. IV. Eccleſiae quoque ius eſt relaxandi impedimenta matrimonii, quae ipſa conſtituit, & iudicandi de diſpenſationibus, quas indulſit. Ipſi Principes diſpenſationem impedimenti dirimentis a Pontifice exorarunt, & obtinuerunt. Et quemadmodum ob defectum poteſtatis nulla eſſet Principis diſpenſatio, quae concederet effectum ſacramenti matrimonio cum impedimento dirimente inito; ita & Pontificis indulgentia quoad effectus civiles matrimonii contra civiles leges celebrati. Stet utraque poteſtas intra fines ſuos. Porro quidquid pertinet ad ſacramentum matrimonii, eccleſiae iudicio ſubeſt; eccleſiae enim ex Chriſti inſtitutione competunt cauſſae,

(4) *Can.* 15. 16. 61. *&* 66. (5) *Can. XI.* (6) *Can.* 1. *&* 2. (7) *Can.* 17. (8) *Can.* 16. (9) *Ep.* 160. *ad Diodor.* (10) *Ep. ad Himer. Tarraconenſ.* (11) *Ep. ad Victric. Rothomag. cap.* 2. (12) *Ep.* 84. *&* 89. (13) *Lib. XI. ep.* 64. (14) *Seſſ.* 24. *de ſacram. matrim. can.* 4.

(d) Conf. Gerbeſii *tract. de poteſt. eccleſ. & princip. in impedim. matrim.*, & Gisbert *hiſtoriam eccleſiae de ſacramento matrimonii*.

ſae, quae religionem habent pro immediato obiecto, cuiuſmodi eſt matrimonium pro ſacramento ſpectatum. Sola nimirum eccleſia ad haec uſque tempora iudicavit de controverſiis fidelium, etiam principum, quae ligamen ſacramenti ſpectarent. Ipſi ſummi imperantes quoties nuptias a ſe contractas reſcindere voluerunt, ad eccleſiae iudicium confugerunt. Ita matrimonia Ludovici XII. regis Galliae cum Ioanna, & Henrici VIII. regis Angliae cum Maria Aragonia ab eccleſiaſtica poteſtate nulla fuerunt declarata (15). Concilium Tridentinum (16) anathema intorſit in eum, *qui dixerit cauſſas matrimoniales non ſpectare ad iudices eccleſiaſticos:* quo nomine *epiſcopos tantum* hic ſignificari, alibi expreſſit (17). Poſt Tridentinum Henricus IV. an. 1606. edixit, *cauſſas matrimoniales ad iuriſdictionem iudicum eccleſiae pertinere*. Apud nos ex Foedere inter Benedictum XIV. & Carolum regem olim noſtrum an. 1741. icto (18) *ſpectant ad ſolos eccleſiaſticos iudices privative cauſſae matrimoniales, in quibus agitur de validitate, vel invaliditate tam matrimonii, quam ſponſaliorum*. Ipſi Lutherani, etſi matrimonium inter ſacramenta non referant, cauſſas omnes matrimonii & ſponſaliorum conſiſtoriis reſervant, & ne incidenter quidem de iis iudicare permittunt laico magiſtratui, teſte Boehmero (19).

CAP.

(15) Vid. Boſſuet. *in defenſ. 4. propoſit. Cleri Gallican.*
(16) *Cit. ſeſs. 24. can. 12.* (17) *Cit. ſeſs. cap. 20.*
(18) *Cap. 6. n. 3.* (19) *Iur. eccleſ. Proteſtant. lib. 2. tit. 2. §. 24. tom. II.*

C A P. XII.

De impedimentis matrimonii.

§. I. Matrimonii impedimenta aut a *iure divino naturali*, aut a *iure humano* tam eccleſiaſtico, quam civili conſtituta ſunt. Ne enim quiſque in re tanta ſuae velificetur libidini, humanae leges poteſtatem matrimonii ineundi quibuſdam ademerunt, ut naturales magis determinarentur. Si humano iure impedimenta dirimentia conſtitui poſſunt, nihil etiam obſtat, quominus *longa conſuetudine*, quae vim legis habet, eadem induci queant, ut ex multis iuris pontificii textibus eruitur (1) (*a*). Sed in dubio impedimenta per conſuetudinem inducta potius impedientia, quam dirimentia cenſenda ſunt.

§. II. Impedimenta matrimonii aut *impedientia*, aut *dirimentia* ſunt. Illa matrimonium contrahi vetant, ſed contractum non diſſolvunt; haec & contrahere prohibent, & contractum dirimunt. Ita priora

(1) *Cap.* 1. *&* 3. *de cognat. ſpirit. cap.* 2. *de frigid. cap.*5. *de conſanguin. cap.* 1. *de ſponſ.*

(a) Petrus Colletus *ad praelect.theol.Tournelii de matrim.q.*7.ex conſuetudine in Gallia recepta tuetur ſententiam a Senatu Pariſienſi an.1634.latam, & a clero Gallicano in comitiis generalibus congregato an.1635. confirmatam, quo matrimonium a Gaſtone duce Aurelianenſi, Ludovici XIII. regis Galliae fratre, cum Margarita Lotharingia inſcio rege contractum, nullum & irritum quoad vinculum fuit declaratum. *Conſtat enim*, ait, *hanc ab antiquis temporibus fuiſſe Gallicanae eccleſiae praxin, ut principum regii ſanguinis coniugia, eorum praecipue, qui coronam propius contingunt, nulla forent, quoties iis deeſſet aſſenſus regis omnium proſapiae ſuae principum patris & domini:* in quorum confirmationem plura ſubiicit exempla.

ra matrimonium *illicitum*, poſteriora *nullum* reddunt. Impedimenta matrimonium *impedientia* plura olim fuere, nunc quatuor ſunt. Primum eſt *eccleſiae vetitum*, hoc eſt legitima iudicis eccleſiaſtici prohibitio de nuptiis ſaltem ad tempus inter certas perſonas non celebrandis. Si enim hac prohibitione non obſtante matrimonium contrahatur, illicitum, non irritum erit (2). Uno caſu nullum erit matrimonium, ſi cui ſummus pontifex illud prohibuerit cum *decreto irritante*, ideſt poena nullitatis, ut habes ex Innocentio III. (3); idque ob poteſtatem, qua pollet, ſtatuendi impedimenta dirimentia.

§. III. Secundum eſt *tempus feriatum*. Olim tantum in quadrageſima nuptiarum celebrationem interdictam, liquet ex Concilio Laodiceno (4), Martino Bracarenſi (5), aliiſque. Nono adhuc ſaeculo Nicolaus I. (6) nuptias in quadrageſima interdictas ait, nec alterius temporis meminit. In aliis eccleſiis non ſolum in quadrageſima, ſed & aliis temporibus nuptias fuiſſe prohibitas, liquet ex Concilio Ilerdenſi an. 524. (7), & Salegunſtadienſe an. 1022. (8). Tandem, deferveſcente fidelium caritate, Concilium Tridentinum (9) tempus hoc contraxit, iuſſitque *ab adventu Domini uſque in diem epiphaniae, & a feria quarta cinerum uſque in octavam paſchatis incluſive, antiquas ſollemnium nuptiarum prohibitiones ab omnibus obſervari*. His igitur temporibus vetantur ſollemnes nuptiae, quae cum pompis & celebritatibus fiunt (quippe quae diebus ora-

(2) *Cap.* 1. 2. & 3. *ext. de matrim. contract. contr. interdict. eccleſ.* (3) *Cap.* 13. *ext. de deſponſat. impub.*
(4) *Can.* 52. (5) *In collect. canon. cap.* 48.
(6) *Ad conſult. Bulgar.* (7) *In can.* 1. *cauſ.* 32. *q.* 4.
(8) *Can.* 3. (9) *Seſſ.* 24. *de ref. matrim. cap.* 10.

orationi, aut ieiuniis & poenitentiae deſtinatis adverſantur) non item quae privatim & ſine pompa celebrantur.

§.IV. Tertium ſunt *ſponſalia de futuro* cum alio contracta; ſponſi enim omni iure fidem praeſtare tenentur, nec ius alteri ex ſponſalibus quaeſitum ad futuras nuptias intervertendum eſt. Quare ſponſalia priora, niſi iure ſoluta ſint, poſterioribus etiam iuratis, praeferuntur. Impediunt illa quidem nuptias contrahendas; at contractas cum altero non dirimunt; fortius enim eſt nuptiarum, quam ſponſaliorum vinculum.

§.V. Quartum tandem eſt *votum ſimplex* caſtitatis, ideſt quod extra profeſſionem religionis ab Apoſtolica Sede adprobatae, vel ſacri ordinis ſuſceptionem emittitur. Caſtitatis voto obſtrictis nuptiae ſemper interdictae ſunt. Bonifacio Comiti, quod poſt votum caſtitatis uxorem duxit, gravi crimini vertit Auguſtinus (10). Quin *voventibus non ſolum nubere, ſed etiam velle nubere, damnabile eſſe*, docet Hieronymus (11). Olim matrimonia contra votum caſtitatis contracta *illicita*, non *invalida* fuerunt. Primum in Concilio Romano ſub Innocentio II. an. 1139. (12) matrimonium a monacho, aut moniali poſt votum religionis contractum, irritum declaratum eſt. Mox a Gratiano excogitata eſt diſtinctio voti in *ſollemne* & *ſimplex*, quoad effectum dirimendi matrimonium, ita ut illo dirimatur, hoc dumtaxat impediatur. Tandem Bonifacius VIII. (13) declaravit, votum ſollemne, quo matrimonium diſſolvitur, eſſe quod in ſuſceptione ſacri ordinis, vel profeſſione religio-

(10) *Ep.* 70. (11) *Lib. I. adv. Iovinian.* (12) *Can.* 7.
(13) *Cap. unic. de voto in VI.*

nis ab Apoſtolica ſede adprobatae emittitur; reliqua vero vota *ſimplicia* eſſe, & nuptias tantum impedire. Idem a Concilio Tridentino confirmatum eſt.

§.VI. Impedimenta dirimentia ſunt aut *conſenſus*, aut *naturae*, aut *ſanguinis*, aut *religionis*. Ob defectum conſenſus nuptias dirimunt *error*, *conditio ſervilis*, *metus*, & *raptus*. Error eſt aut *perſonae*, aut *conditionis*, aut *qualitatis*, aut *fortunae*. Error perſonae eſt, quum is, quocum matrimonium contrahitur, alius eſt ab eo, qui creditur, veluti putatur eſſe Caius, & eſt Seius. Error conditionis, quum is putatur liber, & eſt ſervus. Error qualitatis, quum bonus cenſetur, & malus eſt. Error tandem fortunae, quum putatur dives, & eſt pauper. Iam error perſonae naturali etiam iure nullum reddit matrimonium; tollit enim ſubſtantiam matrimonii, hoc eſt conſenſum, quum conſentire non videatur, qui agit per errorem. Error *conditionis* ſervilis matrimonium etiam diſſolvit; nam licet error hic non redundet in perſonam, impedit tamen poteſtatem in alterius coniugis corpus, uſumque liberrimum. Ita ſi aut liber ancillam duxerit, quam liberam putabat, aut haec nupſerit ſervo, corruit matrimonium, ut a Iuſtiniano (14), & Innocentio III. (15) cautum. Tandem error *qualitatis*, aut *fortunae* matrimonium non irritat; non enim tollit conſenſum, quum poſſeſſio qualitatis alicuius, aut fortunae ſit ratio, quae ad conſentiendum movet, non ipſius conſenſus obiectum. Qui ergo mulierem ducit delibatam, inopem, aut ignobilem, quam imminutam, divitem, honeſto genere ortam arbitrabatur, reſilire nequit; niſi contractum ſit ſub conditione, *ſi dives fue-*

(14) *Nov. 22. cap. 10.* (15) *Cap. 4. ext. de coniug. ſervor.* Conf. Fabrotum *exercit. 3.*

fuerit, ſi his qualitatibus praedita; tunc enim error qualitatis tranſit in errorem perſonae, quia conſenſus non fertur in virum hunc, aut mulierem utcumque; ſed huiuſmodi qualitatibus praeditum.

§.VII. Conditio ſeu ſtatus ſervilis matrimonium a ſervis contractum ſine conſenſu dominorum dirimit. Iure Romano nulla erant contubernia ſervorum invitis dominis inita; quin ii iuſtas nuptias ne conſentientibus quidem dominis celebrare poterant. Idem ius diu eccleſia ſecuta eſt, ut ex Baſilio (16), Leone M. (17), Concilio Aurelianenſi IV. (18), Cabillonenſi II. (19), aliiſque conſtat. Saeculo XII. *quibuſdam* viſum eſt, inter ſervos poſſe *fieri coniugium dominis ignorantibus*, teſte Petro Lombardo (20). Tandem eodem ſaeculo Hadrianus papa (21) Eborardo archiepiſcopo Saliſburgenſi reſcripſit, matrimonia ſervorum, invitis etiam dominis, contracta valere. Ita ſublatum eſt ſervilis conditionis impedimentum, quod coniugia ſcienter a ſervis contracta dirimebat; non item illud, quod ex errore conditionis enaſcitur, de quo ſupra §. VI. dictum. Sed ſublatis inter chriſtianos inde ab an. 1250. ſervitutibus, nullus hodie huius impedimenti uſus eſt.

§. VIII. Metus ſeu *vis*, *coactio* (quae verba in hoc argumento idem ſonant) eſt *inſtantis vel futuri periculi cauſſa mentis trepidatio*, inquit Ulpianus (22). Dividitur in *gravem*, & *levem*. Ille eſt mentis trepidatio ob grave damnum imminens, uti ſunt mors, mutilatio, exſilium; iſte vero eſt timor ob leve malum imminens, quo

(16) *Ep.* 199. *ad Amphiloch. can.* 40. & 42. (17) *Ep.*83. *ad Ruſtic. Narbonenſ.* (18) *Can.* 22. (19) *Can.* 30. apud Gratian. *can. ult. cauſ.*29. *q.* 2. (20) *Lib. IV. Sentent. diſt.* 36. (21) *Cap.* 1. *ext. de coniug. ſervor.* (22) *L.* 1. *D. quod metus cauſſa.*

abreptus vir animo imbecillis adſenſum praebet; Prior cadit in virum conſtantem; poſterius vero in inconſtantem, & fruſtra trepidantem. Iam ſolus metus gravis, non item levis, naturali & eccleſiaſtico iure nullum efficit matrimonium; etenim libertatem plurimum imminuit. Perbelle Tertullianus (23): *Ubi ſollicitatio*, inquit, *illic coactio; ubi coactio, illic neceſſitas; ubi neceſſitas, illic infirmitas*. Quare, licet qui metu gravi agit, velle videatur; tamen e re ſocietatis & religionis eſt, matrimonia plena prorſus libertate contrahi. Hinc Tridentinum (24) praecipit *omnibus cuiuſcumque gradus & conditionis*, ſub anathemate ipſo iure incurrendo, ne quem cogant, ut minus libere matrimonium contrahat. Ut autem metus gravis nuptias irritet, eſſe debet & iniuſte incuſſus, & ab externa cauſſa illatus, & in eum ſolum finem, ut nuptiae contrahantur (*b*).

§. IX. Raptus eſt *abductio violenta mulieris matrimonii contrahendi gratia*. Dicitur *abductio*, ideſt translatio de loco tuto, veluti paterna domo, monaſterio, in alium locum, ubi raptor poteſtatem habet. Abductio autem *violenta* ſit oportet: unde raptor non eſt, qui mulierem conſentientem, parentibus licet invitis, abducit, uti ſcite Lucius III. (25). Sive *phyſice* per manuum iniectionem, ſive *moraliter* per graves

(23) *Lib. de veland. virginib.* (24) *Seſſ. 24. de ref. matrim. cap. 9.* (25) *Cap. 6. ext. de raptorib.*

(b) Clemens III. *cap. 21. de ſponſal.* reſcripſit, matrimonium per vim contractum cohabitatione ſpontanea convaleſcere. At poſt Concilium Tridentinum *cit. ſeſſ. 24. cap. 1.* matrimonium vi ſeu metu initum per cohabitationem cum carnali copula non convaleſcit, niſi rurſus ex forma eiuſdem Concilii contrahatur.

ves minas, metumve gravem vis inferatur, nihil intereſt (*c*). Additur *mulieris;* verus enim raptus eſt, ſi puella, vidua, vel corrupta rapiatur (*d*). Tandem raptus *matrimonii extorquendi cauſſa* fieri debet (*e*). Iam raptus prioribus ſex ſaeculis non fuit dirimens matrimonii impedimentum; patres enim per haec tempora tantum anathemate mulierum raptores coërcent, eorum vero nuptias cum rapta deinde conſentiente contractas non reſcindunt. Concilium Ancyranum (26) deſponſatas puellas ab aliis raptas reddi iis iubet, quibus antea fuerant deſponſatae, quamvis pudicitiae iacturam fecerint. Concilium Chalcedonenſe (27) tantum poenam in raptores proponit, nempe depoſitionis in clericos, excommu-

(26) *Can. XI.* (27) *Can.* 17.

(c) Vulgo diſtinguitur raptus *violentiae*, & *ſeductionis ſeu ſubornationis:* quorum ille per vim fit; iſte vero blanditiis, illecebris, fallacibus promiſſis. Num etiam raptus ſeductionis matrimonium dirimat ex mente Concilii Tridentini, diſputatur. Galli raptum ſeductorium dirimere nuptias, ac de eo, ut de raptu violentiae, Concilium Tridentinum intelligendum adfirmant. Vid. Tournelium *de ſacram. matrim. q.*8. *art.* 1. Contra id negant aliarum gentium iuriſconſulti; nam vim *phyſicam*, ut raptus ſit impedimentum dirimens, requirunt: & in caſu noſtro femina libens volenſque ſeductorem ſequitur.

(d) Raptus adoleſcentis per mulierem praepotentem nuptias non dirimit; nam Tridentinum aperte de raptore & rapta, non de raptrice & rapto loquitur. Intercedit Tournelii Continuator, cui refragantur Galli theologi, & canoniſtae, qui eiuſmodi nuptias in extremo foro & quoad effectus civiles, non in interno & eccleſiae nullas cenſent.

(e) Num raptus mulieris non matrimonii, ſed libidinis explendae gratia illud dirimat, non idem omnibus ſedet. Adfirmat prae ceteris Cabaſſutius: negant autem Sanchez, aliique: utrique in ſuam ſententiam decreta Congregationis Concilii urgent.

municationis in laicos. Quin Baſilius (28) permittit, raptam mulierem parentibus reſtitutam raptori nuptum dari. Primum ſaeculo VI. raptus dirimens evaſit matrimonii impedimentum. Etenim iuſſit Iuſtinianus (29), raptorem ducere raptam non poſſe, quamvis haec, eiuſque parentes poſtmodum conſentirent. Idem cautum in Capitularibus regum Francorum (30). Ius hoc vetus eccleſia excepit. At ſaeculo XII. immutatum eſt; nam Innocentius III. (31) reſpondit, matrimonium cum rapta conſiſtere, ſi haec poſtea conſenſerit. Tandem Concilium Tridentinum (32) decrevit, *inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium*; eam vero nubere raptori poſſe, quum *in loco tuto & libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit*. Unum id novi Synodus inſtituit, nempe ſubſiſtere impedimentum dirimens cum rapta, quamdiu haec in manu raptoris eſt; & quamvis ea hoc tempore revera conſentiret, nullum tamen eſſe matrimonium, quod tamen iure decretalium valebat.

§.X. Ob naturae imbecillitatem nuptias diſſolvit *impotentia coëundi*, ſeu inhabilitas conſummandi matrimonium. Hoc enim conſiſtit in mutua corporum traditione ad uſum coniugalem. Potentia quidem ad copulam exercendam eſt de eſſentia matrimonii; non item actus ipſe copulae. Ab impotentia coëundi differt impotentia gignendi, ſeu ſterilitas, quae nuptias non disiungit, quum ſteriles coniugali congreſſu ſemen effundentes una caro fieri poſſint, quamvis generationi aptum non ſit, non tam ex natura ſua, quam

(28) *Cit. ep. ad Amphiloch. can.* 22. (29) *L. unic. C. de raptu virgin.* (30) *Lib. VI. cap.* 69. & *lib. VII. cap.* 395. (31) *Cap.* 7. *ext. de raptorib.* (32) *Cit. ſeſſ.* 24. *cap.* 6.

quam ratione ſubiecti. Hinc eunuchorum connubia nulla ſunt, ut etiam ex ſententia iuris Romani cavit Sixtus V. (33); ſenum vero valida, licet plerumque parum honeſta ſint. Porro impotentia aut matrimonium antecedit, aut ſequitur. Antecedens impotentia diſpeſcitur in *perpetuam*, quae nullo naturali remedio ſanari, & *temporalem*, quae naturali arte tolli poteſt. Rurſus perpetua vel *abſoluta* eſt, nempe reſpectu omnium, vel *relativa*, ideſt reſpectu unius, non alterius, veluti impotens reſpectu virginis, potens reſpectu viduae. Oritur autem impotentia ex natura, facto, vel maleficio. Natura impotentes ſunt viri frigidi, & mulieres ob naturae *arctationem* (34); facto eunuchi ſeu ſpadones utroque διδυμω carentes; maleficio qui ope daemonum & incantationibus inepti ad rem uxoriam facti ſunt (35). Ut autem impotentia coëundi nuptias dirimat, duo requiruntur. (I) Ut ſit *antecedens*, hoc eſt matrimonium praeceſſerit; ſi enim ſupervenerit matrimonio iam contracto, etſi ratum dumtaxat, non conſummatum ſit, illius ſemel validi vinculum divino iure indiſſolubile non frangit. (II) Ut ſit *perpetua* ſeu inſanabilis; temporalis enim matrimonio non obſtat, quia contra eius ſubſtantiam non militat.

§. XI. Diu apud chriſtianos neſcita ſunt repudia ex capite impotentiae. Primus ſaeculo ſexto Iuſtinianus (36) cavit, *ut ſi maritus uxori coire minime propter naturalem imbecillitatem valeat, poſſit mulier a marito divertere*. Iuſtinianeum hoc ius non ubique receptum eſt. In Gallicanis eccleſiis connubium ob viri impoten-

(33) Conſt. *cum frequenter* an. 1587.

(34) Vid. Zachiam *lib. I. quaeſt. medico-legal. cap.* 1. 3. & 4.

(35) Vid. Zachiam *lib. III. tit.* 1. *cap.* 5. Grilland. *tract. de ſortilegiis*, & Chardon. *in hiſt. matrimon. cap.* 14.

(36) *L.* 10. *C. de repud.*

tentiam diſſolvebatur, uti liquet ex Capitularibus Caroli M. (37). At in Romana eccleſia nuptiae ob impotentiam non ſolvebantur; ſed qui congredi cum uxore non poterat, ſive ſuo, ſive uxoris vitio, eam tamquam ſororem retinere debebat, & haec viciſſim illum tamquam fratrem, uti conſtat ex decretalibus Alexandri III. (38), Lucii III. (39), & Clementis III. (40). Tandem exeunte ſaeculo XII. ſenſim Romana eccleſia Gallicanae morem recepit, ſicque impotentia antecedens & perpetua dirimens matrimonii impedimentum conſtituit, uti probant decretales Caeleſtini III. (41), Innocentii III. (42), & Honorii III. (43). Iam inde ab eo tempore ubique perſtrepunt in foris eccleſiaſticis eiuſmodi expoſtulationes & querimoniae, perinde ac ſi nullum aliud ſit maris cum femina amoris vinculum, niſi quod libido conciliat. Abuſionibus hac in re inductis ſapienter occurrit Benedictus XIV. (44).

§. XII. Impotentia legitime probanda eſt ab eo, qui matrimonium hoc nomine impugnat. Si impotentia ſit externa & viſibilis, ſtatim disiungitur matrimonium. Si vero interna & dubia, impotentia probatur cohabitatione triennali, iudiciali coniugum confeſſione, eorumdem iureiurando de non conſummato matrimonio cum ſeptima manu propinquorum, aut vicinorum, & inſpectione corporum utriuſque. Quod ad primum, ad faciendum impotentiae perpetuae periculum Iuſtinianus (45) primum praeſcripſit biennium; deinde (46) triennium a celebratis nu-

(37) *Cap.55. & 91.* (38) *Cap.2. & 3. de frigid. & maleſic.*
(39) *Cap. 2. eod.* in ſecunda decretalium compilatione.
(40) *Cap. 4. eod.* (41) *Cap. 5. eod.* (42) *Cap. 6. eod.*
(43) *Cap. 7. eod.* (44) Conſt. *Dei miſeratione 33. Bullar. ſui tom. I.* (45) *Cit. l. 10. C. de repud.* (46) *Nov.22. cap.6.*

nuptiis elabi iuſſit, ut in hac ſe palaeſtra coniuges exercendo vires experiantur ſuas. Hoc idem cohabitationis triennium probavit Caeleſtinus III. (47). Sola utriuſque coniugis confeſſio ad impotentiam probandam ſatis non eſt; iure enim fraus & colluſio inter eos metuitur (48). Confeſſio autem iureiurando confirmanda eſt. Iurare vir debet, ſe copulam per triennium perficere non potuiſſe, & mulier, quod non impedierit, ſimulque iurare debent ex parte utriuſque coniugis ſeptem propinqui, aut, his deficientibus, vicini bonae famae, quod credant, illos verum aſſerere. Huiuſmodi ſacramenti natales ſaeculo VIII. antiquiores fuiſſe non videntur in caſu probationis frigiditatis. Etenim Gregorius II. (49) permiſit uxori ad alia vota convolare, ſi uterque coniugum *cum ſeptima manu propinquorum tactis ſacroſanctis reliquiis iureiurando dicit, quod numquam per commixtionem carnis coniuncti una caro effecti fuiſſent*. Eamdem impotentiae probandae rationem confirmant Caeleſtinus III. (50), & Honorius III. (51). Sed & *inſpectio ocularis* poſt triennale experimentum exigitur; mulieris quidem per obſtetrices *bonae opinionis*, *fide dignas, & expertas in opere nuptiali* (52), duas, & in magna civitate tres; mariti vero per medicos facienda (53). Si de impotentia conſtiterit, qui impotens non eſt, aliud matrimonium inire poteſt; uterque vero, ſi *reſpectiva* ſit impotentia. Quod ſi error poſtea deprehendatur, aut impotentia ope naturali ſublata ſit, prius matrimonium, quamvis aliud ſit initum, reſtaurandum eſt (54).

§.XIII.

(47) *Cit. cap. 5. de frigid. & maleficiat.* (48) *Cit. cap. 5. & cap. 54. de probat.* (49) *In can. requiſiſti 2. cauſ.33. q.1.* (50) *Cit. cap.5.* (51) *Cit. cap.7.* (52) Gregorius VIII. *cap. 14. de probat.* Innoc.III. *d. cap.6.* & Honorius III. *cit. cap.7. de frigid.* (53) *Cit. cap.14. de probat.* (54) *Cit. cap.6. de frigid.*

§. XIII. Impedimenta, quae *ob ſanguinem* matrimonium dirimunt, ſunt *cognatio*, *adfinitas*, & *publica honeſtas*. Cognatio triplex eſt, *naturalis*, *civilis*, & *ſpiritualis*. Naturalis (quam canones *conſanguinitatem* vocant) ex ſanguine procedit, eſtque inter eos, qui a communi ſtipite deſcendunt, ſive ex iuſtis nuptiis, ſive ex illegitimo coitu prognati ſint. Civilis autem adoptione; ſpiritualis baptiſmo & confirmatione conſtituitur. Cognatio per *lineas*, & *gradus* diſtinguitur. Linea eſt *ſeries perſonarum a communi ſtipite deſcendentium*. Gradus eſt *diſtantia cognatorum*. Linea in *rectam*, & *tranſverſam* ſeu *lateralem* dividitur. Recta aut *adſcendens* eſt, in qua genitores, aut *deſcendens*, in qua geniti ſunt. Tranſverſa complectitur eos, qui ex latere coniunguntur: inque *aequalem*, & *inaequalem* dividitur. Aequalis eos continet, qui pari gradu diſtant a communi ſtipite, ut fratres, & ſorores, itemque conſobrini. Inaequalis vero eos, quorum alter altero a communi ſtipite remotior eſt, ut patruus, & fratris filius (*f*). Iure civili in recta & tranſverſa linea gradus una hac regula numerantur: *Generata perſona gradum conſtituit*; ſeu *tot ſunt gradus*, *quot generationes*. Ita in recta linea pater & filia uno; avus & neptis duobus; proavus & proneptis tribus gradibus diſtant: in collaterali aequali frater a ſorore duobus, conſobrini quatuor; in inaequali nepos a patruo tribus diſtat gradibus. Iure canonico eadem iuris civilis regula gradus in recta linea ſupputantur; diverſa vero in tranſverſa linea.

In

(f) Arborem conſanguinitatis ſeu delineationem graduum exponunt ICti ad *lib. XXXVIII.* Digeſtor., & *ad tit. inſt. de gradib. cognat.* Graecam vero cognationum & adfinitatum delineationem ex Codice MS. vulgavit Neſſelius *in catalogo Bibliothecae Vindobonenſ. part. V. p. 52.*

In aequali enim hac regula numerantur: *Collaterales tot gradibus diſtant inter ſe, quot a communi ſtipite abſunt*. Hinc iure civili frater a ſorore diſtat ſecundo; canonico autem primo gradu: conſobrini iure civili quarto; iure canonico ſecundo gradu diſtant. De inaequali linea canones hanc ſervant regulam: *Collaterales tot gradibus diſtant inter ſe, quot remotior diſtat a communi ſtipite*. Hinc nepos, qui iure civili a patruo tribus, canonico duobus gradibus abeſt. Ideo a legibus hac in re diſceſſerunt canones, quod leges gradus enumerant hereditatis conferendae gratia, quae ex una in aliam perſonam defertur; canones autem nuptiarum cauſſa, quae non niſi cum duobus fieri poſſunt.

§.XIV. Olim eccleſia regulam iuris civilis in gradibus ſupputandis ſequuta eſt. Eam Graeci ad haec tempora ſemper ſervarunt, uti conſtat ex Balſamone (55), Matthaeo Monacho (56), Harmenopulo (57), aliiſque. At Latini a civili graduum computandorum modo receſſerunt; ſed quo primum tempore, & auctore, non ſatis liquet. Id ſaeculo ſexto a Gregorio M. conſtitutum, putat Cuiacius (58) ob *can. XX. cauſ.35.q.2. & 3., can.III. q.5.* Sed de auctore canonis XX. ambigunt critici, nec is illud habet, quod ex eo vir ſummus extundit: canon autem III. Zachariae eſt, non Gregorii, uti monent Romani Correctores. Quidquid ſit, certe ſaeculo VIII. canonica graduum computatio iam vigebat; nam Zacharias P. an. 741. (59) duos germanos fratres *primum*

(55) *Ad Photii Nomocan. tit. 13. cap. 2.* (56) *Lib. de quaeſtionibus & cauſſis matrimonialibus.* (57) *Lib. VI. tit. 6. n. 11. & 22.* (58) *In tit. decretal. de conſang. & affinit.*

(59) Apud Gratian. *can. 4. cauſ. 35. q. 5.*

mum efficere gradum ait, quae computatio iuris canonici propria eſt; deque hac re ita loquitur, ut non a ſe primum ad eum modum definitam oſtendat. Hunc canonicum numerandi gradus modum adhuc ſaeculo XI. non ubique receptum, colligitur ex Alexandro II. (60), & Petro Damiano (61). Exinde generatim apud Latinos in matrimonialibus tantum cauſſis, & criminibus inde orientibus receptus eſt.

§. XV. Iam vero nuptiae inter adſcendentes & deſcendentes iure naturae vetantur in infinitum. Nihil eſt, cur Grotius (62) de ratione decretoria naturali huius prohibitionis deſperet; aut Thomaſius (63) ad ius divinum poſitivum univerſale confugiat. Ea enim in proclivi eſt. Nimirum caſtitas & verecundia humanae naturae indita prohibet ortus auctores accedere ad *carnem carnis ſuae*, & ſecum ipſis quaſi miſceri (64). Tanta in eiuſmodi coniunctionibus eſt turpitudo ac foeditas, ut natura omnes ab iis abhorreant, & ſua ipſorum conſcientia redarguantur neceſſe ſit, qui haec naturae iura violant. In ipſis humanis affectibus inſita eſt fuga quaedam commixtionis parentum & liberorum, a qua etiam animantia quaedam naturaliter abhorrere, comperimus. Porro nimia obligationum confuſio inde orietur, ſublata reverentia, quam liberi parentibus, ut vitae ſuae auctoribus, debent. Etenim paternae auctoritati & filiali reverentiae adverſatur coniugalis viri & mulieris aequalitas. Poſtulat natura, liberos parentibus ſubeſſe, matrimonii vero eſſen-

(60) *Ep. 27. ad clericos Neapolitanos*, & *ep. 38. ad epiſcopos, clericos, & iudices Italiae*, apud Labbeum *tom. XII. Concil. edit. Venet. col.* 100. (61) *Opuſc. de gradib. parentelae Opp. tom. III.*
(62) *Lib. II. de I. B. & P. cap. 5. §. 12.* (63) *Lib. III. inſt. iuriſprud. divin. cap. 2. §. 222.* (64) *Levit. XVIII. v. 6.*

ſentia iure naturae aequalem coniugum poteſtatem & ſocietatem involvit. Nonne contra naturae ius eſt, liberos habere poteſtatem in corpus parentum, quibus ſubiectos eos natura & naſcendi ordo voluit? Tandem hanc ſanguinis inter parentes & liberos commixtionem neceſſario conſequeretur confuſio nominum cognatorum, quae & ipſa naturae legi atque ordini refragatur. Cui enim non horrendum videtur, ut quis dicatur avi gener, matris maritus, fratrum pater, nepotum avunculus? Ceterum quibus rationibus parentum & filiorum nuptiae, iiſdem avi & neptis, proavi & proneptis, abavi & abneptis, ceterorumque adſcendentium & deſcendentium connubia vetantur; nam in iis omnibus continuata quaſi unitas ſanguinis eſt, & naturalis reverentia, quae parentibus debetur, quo longius a genarcho progreditur in linea recta, creſcit.

§. XVI. In linea laterali aequali vetantur nuptiae inter fratres & ſorores; ſive *germani* ſint, hoc eſt, ex utroque communi parente ſuſcepti, ſive *conſanguinei*, puta, ex eodem patre, non matre nati, ſive *uterini*, ideſt, ex eadem matre, non eodem patre progeniti. Num eiuſmodi nuptiae iure naturae vetentur, in utramque ſententiam diſputatur. Qui adfirmant, Iove iudicant aequo (*g*). Neque regeras pri-

(g) Apud gentes moratiores connubia fratrum ſororumque inceſta ſunt habita. Athenis lege Solonis ducere licebat ſororem *ὁμοπατριον*, *conſanguineam*, non item uterinam, aut germanam. Suidas in Κιμων, Nepos *in vit. Cimon.* Conf. Petitum *ad Leges Attic. pag.*447. *ſeq.*, Heraldum *Adverſ. lib. I. cap.* 24., & Menagium *ad Laërt. p.* 33. Contra Spartae Lycurgus ducere permiſit tantum ſororem *ὁμομητριον*, *uterinam*. Philo *libro de legib. ſpecialib. ad praeceptum* 6. Ceteroqui communibus Graecorum legibus fratrum & ſororum germanorum con-

primaevorum hominum cum ſororibus coniugia, ſacris litteris prodita: unde conſequeretur, ſi eiuſmodi nuptiae naturali iure proſcriberentur, totum genus humanum ex inceſtu liberorum Adami propagatum fuiſſe. Id enim neceſſitate, tacitaque divina diſpenſatione factum eſt. Quum enim Deus iuſſiſſet propagari genus humanum, *creſcite*, ait, *& multiplicamini*, nec feminas condidiſſet, quibuſcum contrahi nuptiae poſſent, niſi ſorores; tunc temporis hanc fuiſſe divinam voluntatem ratiocinatione collectum eſt, ut fratri ex ſorore prolem ſuſcipere fas eſſet; quod poſtea ipſa natura docuit non licere. Quare Auguſtinus (65) id urgente neceſſitate factum obſervat: *Quanto*, ait, *eſt antiquius, compellente neceſſitate* (puta neceſſitate ob illius temporis adiuncta), *tanto poſtea factum eſt damnabilius religione* (hoc eſt, naturali averſione) *prohibente*. Idem quoque docet Epiphanius (*66*).

§.XVII. In eadem linea tranſverſa aequali vetantur nuptiae inter fratrum & ſororum liberos. Hi diſtinguuntur in *patrueles*, *amitinos*, & *conſobrinos*. Patrueles ſunt ex duobus fratribus nati, quaſi fratrueles; amitini ex

(65) *Lib. XV. de Civ. Dei cap.* 16. (66) *Haereſ.* 39.

coniugium vetitum fuiſſe, conſtat ex Artemidoro *lib. V. cap.* 24., & Platone *lib.VIII. de legib.* Pariter Macedonibus haud permiſſum cum ſororibus connubium, oſtendit Card. Noriſ. *de epochis Syro-Macedon. p.* 35. *ſeq.* Contra Perſis germanam quoque ſororem, quin & matrem, ducere licuit. Vide Menagium *ad Laërt. p.*7., Rittershuſium *ad Iſidor. Peluſiot. lib.I. ep.* 464., & Freinshemium *ad Curtii VII.* 2. *ſect.* 19. Idem de Parthis perhibet Lucanus VIII. 403. *ſeqq.*, ac de Aegyptiis multorum teſtimonio liquet. Vid. Freinshemium *ad Tacit. Annal. lib.II. cap.* 3., Spanhemium *ad Iuliani orat.* 1. *p.* 89., & Rutgerſium *lib. I. var. lect. cap.* 9.

ex fratre & ſorore; conſobrini ex duabus ſororibus progeniti, quaſi conſorini: quamvis vulgo omnes iſti fratres communi adpellatione *conſobrini* vocentur. Nulla in his conſobrinorum nuptiis eſt iuris naturae prohibitio. Etenim ſanguinis neceſſitudo aequalem ab his erga ſe invicem poſtulat reverentiam, nec ea tanta eſt, ut aequali coniugum ſocietati obeſſe poſſit. Nec etiam iure divino conſobrinorum nuptiae inhibentur. Apud Hebraeos ante & poſt Legem latam conſobrinorum connubia obtinuiſſe, permulta in ſacris litteris exempla produnt (67). Divina lege conſobrinorum nuptias prohibitas non fuiſſe, tradit Auguſtinus (68). Romae inde a cunabulis conſobrinorum nuptiae permiſſae ſunt. Sub regibus Servius Tullius duas ex uxore Tarquinia filias earumdem iunxit conſobrinis Tarquinii nepotibus, teſte Halicarnaſſaeo (69). Sub conſulibus Scipio Africanus Semproniam conſobrinam, M. Aurius Melinus Cluentiam item conſobrinam, Brutus conſobrinam Porciam Catonis Uticenſis filiam, uxorem duxit. Sub imperatoribus Auguſtus Iuliam filiam ſuam Marcello Octaviae ſororis filio nuptum dedit, teſte Suetonio (70). Antoninus Philoſophus, ut cetera mittam exempla, Anniam Fauſtinam conſobrinam ſuam uxorem duxit, uti prodit Capitolinus (71). Primus ſaeculo quarto Theodoſius M. conſobrinorum nuptias prohibuit, eaſque tantum ex reſcripto principis contrahi iuſſit. Ipſa conſtitutio hodie non extat; ſed eius meminere Aurelius Victor (72), Ho-

(67) *Geneſ.28. & 29.*, *Exod.II. v.2. & 6. v.20.* & alibi.
(68) *Lib. V. Confeſſ. cap. 13.*, & *lib. XV. de C. D. cap 16.*
(69) *Lib. IV. Antiq. Rom.* (70) *In Auguſt.* (71) *In M. Antonin. cap. 1.* (72) *In epitome hiſtor. in fin.*

Honorius & Theodoſius (73), Ambroſius (74); & Auguſtinus (75). Patrium interdictum Arcadius & Honorius filii (76) ſuſtulerunt, rurſuſque conſobrinorum nuptias permiſerunt. Tandem Iuſtinianus (77) horum imperatorum legem amplexus, ſuo codici repetitae praelectionis eam inſeruit. Idem Iuſtinianus (78) Arcadii & Honorii conſtitutionem, qua conſobrinorum connubia permiſerunt, probavit in inſtitutionibus, ubi ait: *Duorum autem fratrum vel ſororum liberi, vel fratris & ſororis iungi poſſunt:* maleque nonnulli abnutivam particulam addunt. Sed in Oriente poſt Iuſtiniani fata eiuſmodi matrimonia iterum improbata ſunt. Hinc Theophilus (79) Iuſtiniani paraphraſtes verba illa *coniungi poſſunt* negative reddidit ϰ δυνανται, *non poſſunt*, quia ſic in Oriente obtinebat. Pari modo in epitome inſtitutionum Caii (80) negatio ab Aniano adiecta eſt, quia Gothi hac in re Theodoſium M. ſequebantur, teſte Caſſiodoro (81). In eccleſia Theodoſii legem viguiſſe, teſtantur Ambroſius (82), Auguſtinus (83), & Pſeudo-Athanaſius (84). Eaſdem conſobrinorum nuptias canones prohibuerunt, nominatim Concilium Agathenſe an. 506. (85), & Epaonenſe an. 517. (86). Quin vel poſt permiſſa ab Iuſtiniano conſobrinorum coniugia, ea tamquam inceſtuoſa proſcripſere Synodus Aurelianenſis III. (87), & Turonenſis II. (88). Gre-

(73) *L. unic. C. Th. ſi nupt. ex reſcripto petantur.* (74) *Lib. VIII. ep. 66. ad Paternum.* (75) *Cit. lib. XV. de C. D. cap.* 26. (76) *L. celebrandis* 19. *C. de nupt.* (77) *Cit. l.* 19.
(78) §. 4. *inſt. de nupt.* (79) *Lib. I. inſtit. tit.* 10. §. 4.
(80) *Lib. I. tit.* 4. §. 6. (81) *Lib. VII. cap.* 46. (82) *Cit. ep.* 66. (83) *Cit. loc.* (84) *In Synopſ. s. Scriptur.* (85) *Can.* 61.
(86) *Can.* 3. (87) *Can.* 10. (88) *Can.* 21.

Gregorius M. (89) meminit *cuiuſdam terrenae legis in republica Romana* (puta legis *celebrandis* a Triboniano Codici inſertae), quae conſobrinorum nuptias permittit; tum fidelibus abſtinendum cavit a nuptiis conſanguineorum in *ſecunda generatione*, hoc eſt ſecundo gradu lineae lateralis, in quo ſunt conſobrini ſecundum canonicam numerationem. Poſteriores quoque canones conſobrinorum nuptias proſcripſerunt, ut vel ex Ivone Carnotenſi (90), & Petro Damiano (91) habes: unde patet, Iuſtiniani legem de conſobrinorum nuptiis numquam in Occidentali eccleſia receptam. Quin in ipſa Orientali eccleſia eadem ſanctio vel numquam recepta fuit, vel brevem habuit uſum. Concilium enim Trullanum an. 692. (92) *nefarium conſobrinorum contubernium* diſſolvi iuſſit. Idem ius deinceps in Oriente ſervatum, conſtat ex Harmenopulo (93), Matthaeo Monacho (94), aliiſque (*h*).

§. XVIII. In linea tranſverſa inaequali, non ſecus ac in recta, nuptiae vetantur inter eas perſonas, quae parentum ac liberorum loco ſunt, & quidem in infinitum (95). Romae olim nefas fuit ducere fratris filiam aut neptem, teſte Plutarcho (96).

(89) *Ep. ad Auguſtin. Anglor. epiſcop. ad interrogat.* 6. (90) *Pannom. part.* 7. *cap.* 53. (91) *Ep. ad Ruſticum*. (92) *Can.* 54. (93) *Lib. IV. Promtuar. tit.* 6. & *lib. VI. tit.* 4. (94) *Tit. de gradib. ſept. conſang.* (95) *L.* 53. *C. de nupt.* (96) *Quaeſt. Roman. cap.* 6.

(h) Egregie de nuptiis conſobrinorum pertractarunt Ev.Otto *diſſ. de nuptiis conſobrinor.*, Contius *lib. II. ſubſec. lect. cap.* 1., Nerius *lib. II. Analect. cap.* 32., Riccius *vindic. iur. cap.* 3., Franc. Florens *diſput. de nuptiis conſobrinor.*, & Iac. Gothofredus ad *L. unic. C. Th. ſi nupt. ex reſcript. petant.*, & *ſingul. diſſ. ad L.* 19. *C. de nupt.*, quos conſule.

Verum Senatuſconſulto in favorem Claudii condito permiſſum fuit ducere fratris filiam, talique venia data Claudius Agrippinam Germanici fratris filiam uxorem duxit, uti teſtatur Suetonius (97). Deinde Titus filiam ſuam fratri nuptum dedit, eodem Suetonio (98) teſte: quod idem Antoninum Pium feciſſe, prodit Capitolinus (99). Quod vero SCtum illud in gratiam Claudii perlatum naturali honeſtati obſiſtere videbatur, ſtrictiſſime acceptum eſt de ſola fratris filia, non autem de filia ſororis, teſte Ulpiano (100). Tandem eiuſmodi nuptias Conſtantinus (101), & Iuſtinianus (102) prohibuerunt.

§. XIX. Initio eccleſia ſequuta eſt prohibitionem nuptiarum, quae in Levitico (103) legitur (*i*). Ad eam paſſim provocant Concilium Illiberitanum (104), Neocaeſarienſe (105), Pſeudo-Clemens (106), Ambroſius (107), Auguſtinus (108), aliique patres. Divina vero lege illa deficiente, ad leges humanas confugiunt. Etenim patres & Caeſares, pudore ac verecundia dictante, prohibitionem nuptiarum ultra gradus Levitici produxerunt. Saeculo IX. impedimenta conſanguinitatis ad ſeptimum lineae tranſverſae gradum iam extenſa erant, ut ex Pſeudo-Iſidori de-

ere.

(97) *In Claud. cap.* 26. (98) *In Domitian. cap.* 22.
(99) *In eius vit.* (100) *Tit.* 5. §. 6. Vid. Cuiac. *lib. XIII. Obſ. cap.* 16., & Nood *lib. II. Obſ. cap.* 5. (101) *L.* 1. *C. Th. de inceſt. nupt.* (102) *L. ult. C. eod.* (103) *Levit. XVIII. v.* 12. (104) *Cit. cap* 18. (105) *Can.* 61. (106) *Can. Ha* (107) *Can. apoſtolorum* 19. (108) *Ep. ad Patern.*

(i) Gradus divina lege prohibitos exponunt interpretes ad hunc Levitici locum, Seldenus *de iur. nat. lib. V.*, & *lib. I. uxor. Hebr. priorib. ſex capitib.*, & Perizonius *diatriba de conſtitutione divina ſuper ducenda defuncti fratris uxore, Deuteron. XXV.* 5.

cretalibus conſtat. Haec diſciplina ad ſaeculum XII. viguit. Tandem Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. an. 1215. coactum (109) nuptias prohibuit uſque ad quartum ex latere gradum incluſive, ſecundum canonicam computationem: quod confirmavit Synodus Tridentina (110). Atque hoc iure nunc utimur.

§. XX. Cognatio legalis ex adoptione naſcitur. Hanc civile ius invexit, quod canones per omnia ſequuti ſunt. Romanum ius irritas decrevit nuptias inter perſonas, quae ficta hac cognationis ſpecie coniunguntur, uti mox oſtendetur. Eccleſia inde a primis temporibus civiles etiam leges in matrimonii impedimentis excepit: quin cognationem legalem, eiuſque impedimenta eo prorſus modo, quo a Romanis legibus ſtatuta fuerant, in univerſum recepit, probavitque Nicolaus I. (111): nec quidquam hac in re a Tridentina Synodo innovatum, ſcite monet Cuiacius (112). In hac quoque civili cognatione attendenda eſt linea *recta*, & *lateralis*. In recta linea non conſiſtunt nuptiae inter adoptantem & adoptatum, ac ab iſto deſcendentes uſque in infinitum, uti patet ex Iuſtiniano (113); turpe enim eſt viſum, nuptias contrahi inter perſonas, quae parentum & liberorum loco ſunt. Hoc impedimentum manet, etiam ſoluta per emancipationem adoptione; ſemper enim nefas habetur, eam uxorem ducere, quae per adoptionem filia, aut neptis fuit, uti ſcribit Gaius (114). Pariter vel poſt diſſolutam adoptio-

(109) *Can.* 50. relato *in cap.* 8. *ext. de conſang. & affinit.*
(110) *Cit. ſeſſ.* 24. *cap.* 5. (111) *Reſp. ad conſult. Bulgar.*
(112) *Ad tit. decretal. de cognat. legal.* (113) §. 1. *inſt. de nupt.* (114) *L.* 55. *D. de ritu nupt.*

nem nuptiae non ſubſiſtunt inter adoptantem & uxorem adoptati, ac viciſſim inter adoptatum & uxorem adoptantis. Quare nec filius adoptivus, ſi emancipetur, ducere poteſt uxorem patris adoptivi, quae novercae ſuae locum habuit, nec pater uxorem filii, quae prius fuerat nurus loco, ut habes ex Paullo (115). Praeterea adoptivus ducere nequit matrem adoptivi patris: non quidem ob civilem aliquam neceſſitudinem, quae nulla eſt inter eos, teſte Paullo (116); ſed ob reverentiam, quam matri patris adoptivi propter patrem debet, quamdiu in eius familia eſt: & porro turpe eſſet, eum adoptivi patris vitricum fieri. Soluta vero per emancipationem adoptione matrem adoptivi patris ducere non vetatur, quia illa numquam aviae loco ipſi fuit, ſed ſemper extranea, ut idem docet Paullus (117). In tranſverſa linea impedimentum eſt inter adoptatum & filios naturales adoptantis: quod perſtat, quamdiu durat adoptio, ſeu quamdiu filii permanent ſub patria poteſtate. Diſſoluta vero patria poteſtate vel morte adoptantis, vel emancipatione filii naturalis, aut adoptivi, nuptiae inter eos conſiſtunt, uti tradit Iuſtinianus (118).

§. XXI. Exemplo legalis inſtituta eſt cognatio ſpiritualis; nam ſpiritualis filius adoptivi loco eſt habitus, quum per baptiſmum ſpiritualis adoptio celebretur (*k*). Ea naſcitur ex baptiſmo, & confirmatio-

(115) *L.* 14. *D. eod.* (116) *L.* 23. *D. de adopt.*
(117) *Cit. loc.* (118) §. *II. inſt. de nupt.*

(k) Pauca heic ad rem praeſentem illuſtrandam de adoptione, quae fiebat per baptiſmum, perfundam. Per baptiſmum a Chriſto adoptamur, eius familiae inſerimur, & regenerati per Spiritum ſanctum accipimus ius filiorum Dei. *Ioann. I. v.* 12. Perbelle Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Paedagog. cap.* 6. ſcribit:

tione. Olim baptiſmo dumtaxat contrahebatur. Et-

bit: *Baptizati illuminamur, illuminati adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur*. Pſeudo-Dionyſius *lib.II. de eccleſ. hierarch. cap.* 2. baptiſmi lavacrum adpellat την μητερα της υιοθεσιας, *matrem adoptionis*. Chryſoſtomus *lib III. de Sacerdot* aliquot *partus in baptiſmo*, & *ſpirituales propaginem* agnoſcit. In veteri litania apud Caniſium *tom. V. antiq. lect.* fons baptiſmi *parturire*, & ipſum baptiſterium *uterus* dicitur. Vid. Vincent. Riccardum *ad Procl. orat. V.* Per baptiſmum quoque ſpiritualis adoptio fit tam inter baptizantem & baptizatum, quam inter ſuſceptorem & ſuſceptam. Sane inde a primis eccleſiae temporibus ſuſceptores in baptiſmo adhibiti ſunt, qui parvulos ulnis ſuis geſtabant, maiores vero manuducebant ad baptiſterium, eoſque ibi offerebant epiſcopis & ſacerdotibus, tamquam filios ſuos adoptivos: qua de re diximus ſupra *cap.II. p. 62. ſeq.* Hinc per baptiſmum filii & filiae adoptivae fieri dicuntur *in Eclog. Baſilic. lib. XXVIII. tit. 25. cap.* 17., & apud Harmenopul. *lib.IV. tit. 6.* §. 18. Vid. Merillium *lib. III. obſ. cap.* 40 Beliſarius una cum coniuge Antonina Theodoſium *divino lavacro luſtratum in filium adoptarunt, quo more chriſtiani conſueverant liberos adſciſcere*, teſte Procopio in *hiſt. arcan.* Ludovicus Pius Heraldum Danorum regem *ſacro baptiſmate perfuſum de ſacro fonte ſuſcepit, ſibique in filium adoptavit*, auctore Remberto in *vita S. Anſcharii cap.* 6. Hinc qui aliquem de ſacro fonte elevabat, *pater*, vel *compater*, levatus autem *filius ſpiritualis*, *filius de baptiſmo*, vel *filiolus de fonte* dicebatur. Vid. Petr. Lambecium *ad Gualdonem de vit. S.Anſcharii cap.* 12. Ad rem Fortunatus *lib. V. poëmat.* 4.: *Germine qui non eſt, ſit tibi fonte parens*. In Graeca inſcriptione apud Prideaux *marm. Oxon. p.* 276. Ioannes. Senatus ſcriba, hortulum dediſſe legitur Theodoro ſuo ΓΝΗΣΙΩ ΕΚΓΟΝΩ, ΚΑΙ ΠΝΕΥΜΑΤΙΚΩ ΤΙΩ, *legitimo nepoti, & ſpirituali filio*. Hinc etiam ſuſceptor filiolo ſuo poſt baptiſmum donum dabat, quaſi teſtaturus, partem aliquam bonorum ſuorum ei deberi: quod *filiolaius*, *filiolagium*, *filiaticum* dicebatur. Vid. Cangium in *Gloſſ. h. v.* Ex hac igitur ſpirituali adoptione inter patrinum & ſuſceptum, eiuſque parentes, oritur ſpiritualis cognatio; quae ad exemplum cognationis legalis inſtituta eſt, & matrimonium inter illos dirimit. Ut enim adoptans in locum filii adoptatum, ita patrinus baptizatum in filium ſuum ſpiritualem adſciſcit.

enim ſolius baptiſmi meminere Iuſtinianus (119), Concilium Trullanum (120), Nicolaus I. (121), aliique. Videtur autem ſpiritualis cognatio ex baptiſmo proficiſcens dirimere nuptias coepiſſe circa saeculum quintum; huius namque impedimenti non canones vulgo Apoſtolorum, non Illiberitani, qui alioquin de conſanguinitate multa habent, nec genuinum ullum monumentum ante id tempus mentionem iniicit. In Africa etiam Auguſtini aevo non obtinebat, ut ex eodem (122) patet. Sed eius tamquam vulgaris meminit Iuſtinianus (123). Deinceps in Oriente ac Occidente eiuſmodi impedimentum dirimens obſervatum fuiſſe, conſtat ex Concilio Trullano (124), Nicolao I. (125), Caeleſtino III. (126), aliiſque. Hinc Chilpericus Galliae rex, eam ob cauſſam uxore ſua repudiata, Fredegundem duxit, teſte Aymonio (127). Contrahi quoque ſpiritualis cognatio confirmatione coepit, & matrimonium dirimere: quod ſupponit Concilium Compendienſe an. 757. (128), & diſerte tradit Bonifacius VIII. (129). Veteri iure tres erant ſpiritualis cognationis ſpecies: *paternitas*, quae contrahitur inter baptizantem & baptizatum, item inter baptizatum & patrinum: *compaternitas*, quae inter parentes baptizati & baptizantem, ac patrinos; ac *confraternitas*, quae inter baptizatum & liberos baptizantis, ac ſuſceptorum intercedit: quod habes ex canonibus apud Gratianum (130). In Con-

(119) *L. 26. C. de nupt.* (120) *Can.* 53. (121) *Reſp. ad conſult. Bulgaror.* (122) *Ep.* 23. (123) *Cit. l.* 26.

(124) *Cit. can.* 53. (125) *Cit. reſponſ.* (126) *Cap.* 1. *de cognat. ſpirit.* in ſecund. decretal. collect. apud Anton. Auguſt.

(127) *Lib. III. cap.* 6. (128) Apud Gratian. *can.* 2. *cauſ.* 30. *q.* 1. (129) *Cap.* 1. *& ult. de cognat. ſpirit. in* 6.

(130) *Cit. cauſ.* 30. *q.* 3. *&* 4.

Concilio Tridentino (131) in varias partes de hac prohibitione diſputatum, eamque patres nonnulli penitus abrogandam cenſuerunt: tandemque placuit, ſpiritualem cognationem, quae eſt ex baptiſmo, coërceri tantum inter patrinos & baptizatum, huiuſque patrem ac matrem; itemque inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem: cognationem etiam, quae ex confirmatione exſurgit, contrahi inter confirmantem & confirmatum, illiuſque patrem & matrem, ac tenentem, omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.

§. XXII. Adfinitas eſt *propinquitas ex carnali copula profluens, quam maritus contrahit cum conſanguineis uxoris ſuae, & viciſſim uxor cum conſanguineis mariti*. Dicta eſt adfinitas a fine; quia *duae cognationes, quae diverſae inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit*, ut inquit Modeſtinus (132). Dicitur *ex carnali copula profluens*. Iure civili oritur adfinitas tantum ex iuſto matrimonio, & quidem conſummato; nam *coniungendae adfinitatis cauſſa fit ex nuptiis*, ut idem ait Modeſtinus (133). At canonum iure ex quovis concubitu ſive licito, ſive illicito enaſcitur, uti conſtat ex Alexandro III. (134), & Innocentio III. (135). Concubitu eſt opus, eoque naturali, ut eſt apud Gratianum (136). Etenim ex ſponſalibus, & ex matrimonio rato non adfinitas, ſed publica honeſtas exoritur. Additur cum *conſanguineis &c.* Adfinitas enim contrahitur inter virum & con-

(131) *Seſſ. 24. de ref. matrim. cap. 2.* (132) *L. 4. §.3. D. de gradib. & adfinib.* (133) *Cit. L. 4.* (134) *Cap.2. ext. de eo, qui cognovit conſang. uxor. vel ſponſ.* (135) *Cap. 9. eod.* (136) *Can. 2. cauſ. 35. q. 3.*

conſanguineos mulieris, ac inter mulierem & conſanguineos viri, non item inter cognatos utriuſque, quum in ſolis coniugibus ſubſiſtat, in quibus fit carnis unitas, unde adfinitas ipſa exurgit: quo ſpectat effatum illud, *adfinitas non parit adfinitatem*. Hinc fratres & ſorores mariti adfines non ſunt fratribus & ſororibus uxoris, & viciſſim, ſed uni uxori.

§. XXIII. Iure civili adfinitatis nulli proprie ſunt gradus; quia adfinis adfinem non gignit, uti ſcribit Modeſtinus (137). At iure canonico ut conſanguinitas, ita adfinitas ſuas habet lineas, & gradus ex ratione cognationis quodammodo derivatos. In linea recta ſunt *ſocer*, hoc eſt mariti, aut uxoris pater, *ſocrus*, hoc eſt mater; quibus reſpondent *gener*, hoc eſt filiae maritus, & *nurus*, ideſt filii uxor: *vitricus* alter matris meae maritus, *noverca*, altera patris mei uxor; ad quos referuntur *privignus*, & *privigna*, hoc eſt uxoris ex alio marito, vel mariti ex alia muliere filius, aut filia: *proſocer*, ſeu *ſocer magnus*, *proſocrus*, ſeu *ſocrus magna*, nempe uxoris vel mariti avus & avia, ceterique. In linea laterali ſunt *fratria*, hoc eſt uxor fratris: *levir*, hoc eſt mariti frater: *glos*, ideſt mariti ſoror: *ſororius*, maritus ſororis: *profrater*, frater uxoris: *proſoror*, ſoror uxoris, ceterique. In adfinitate autem una hac regula quaſi gradus numerantur: *Quo gradu quis eſt cognatus marito, eodem eſt adfinis uxori, & viciſſim*. Sic in linea recta, quia uxor uno gradu diſtat a patre ſuo, duobus ab avo, eius maritus ſocero adfinis erit in primo gradu, proſocero in ſecundo, ac ita deinceps. In linea laterali, quoniam maritus a fratre ſuo uno gradu canonico iure diſtat, uno etiam

(137) Cit. L. 4. §. 5.

iam uxor adfinis erit leviro: idemque de glore, ſororio, & fratria dicendum eſt. Eodem canonum iure, quia uxor a patruo ſuo, vel avunculo duobus abeſt gradibus, eius maritus totidem gradibus ſoceri fratri vel ſorori adfinis erit, & ſic deinceps.

§. XXIV. Nunc qui adfinitatis gradus prohibeantur, diſpiciamus. In linea recta adfinitatis, non ſecus ac cognationis, nuptiae vetantur in infinitum. Ita nec privignus novercam (*l*), nec vitricus privignam, nec ſocer nurum (*m*), nec gener ſocrum ducere poteſt; quia parentum & liberorum loco ſunt: unde ſequitur, nec inter proſocerum & pronurum, nec inter vitrici patrem & comprivignam, & ſic deinceps nuptias conſiſtere. In linea tranſverſa aequali, nec frater cum uxore defuncti fratris (*n*), nec

(l) Commixtio privigni cum noverca inceſtum eſt; quia pater eius una cum illa caro eſt factus. Eam ne inter profanas quidem gentes audiri, teſtatur Paullus 1. *Cor. V. v.* 1. Eamdem ad inceſtum retulit Virgilius *lib. X. Aeneid. v.* 389. Athenis rem habuiſſe cum noverca capitale fuit.

(m) Socrus genero nubere vetatur, quia huius uxor una cum illa fuerat caro. *Levit. XVIII.* 2. 8. Nuptias Saſſiae ſocrus cum genero Melino, *nefariam libidinem, & ſcelus incredibile, quod praeter hanc unam, in omni vita ſit inauditum*, adpellat Cicero *pro Cluent. cap.* 5.

(n) Nequit frater uxorem defuncti fratris ducere. Eiuſmodi nuptiae vetantur *Levit. XVIII. v.* 16. Ioannes Herodem obiurgavit, quod viduam fratris ſui, non vivi, ſed mortui (ut Harduinus in *opuſc.* contendit) ducere auſus eſſet. Sed Deuteron. XXV. 5. iubetur frater ducere fratriam ad excitandum fratris ſine ſobole denati ſemen. Conf. Perizonium *diſſ. de conſtitutione divina ſuper ducenda defuncti fratris uxore, Deut. XXV.* 5. Gentiles Romani inter collaterales adfines omnem adfinitatis rationem morte ſolvi credebant, praeſertim, ſi nulli liberi ex priore matrimonio vivi ſupereſſent, uti liquet ex Cicerone *pro Quintio cap.*6. Hinc Craſſus demortui fratris uxorem duxit, teſte Plutarcho in *eius vit. pr.* Verum eiuſmodi connu-

nec maritus cum ſorore defunctae uxoris (*o*) coniungi poſſunt. In linea tranſverſa inaequali, defuncti patrui viduam duci expreſſe Deus (138) vetuit, non item avunculi, licet in pari gradu ſit: forte, quod maior paterni, quam materni ſanguinis ratio haberetur apud Hebraeos.

§. XXV. Ceterum, duo comprivigni coniungi inter ſe poſſunt: ut ecce, Titius filium ex defuncta uxore habens, Semproniam ducit, cui filia ex priore matrimonio erat. Valent nuptiae inter filium Titii & filiam Semproniae, qui comprivigni ſunt; nulla enim inter comprivignos adfinitas eſt, quum coniugum adgnati ſibi non ſint adfines: unde civili & canonico iure iſtiuſmodi nuptiae permittuntur, ut habes ex Iuſtiniano (139), & Innocentio III. (140) (*p*). Quin communi fra-

tre

(138) *Levit. XVIII. v.* 14. (139) §. 8. *inſt. de nupt.*
(140) *Cap.* 5. *ext. de conſang.*

nubium ſevere interdixerunt chriſtiani Caeſares Conſtantinus, Theodoſius, aliique, *L.* 2. *ſeqq. C. Th.*, *L.* 5. *& ult. C. de inceſt. nupt.* In eccleſia numquam licuit ducere fratriam, uti patet ex Concilio Ancyrano, Neocaeſarienſi, aliiſque monumentis inferius producendis.

(o) An uxoris defunctae ſoror ob paritatem gradus duci prohibeatur, diſputatum eſt. Iure Divino *Levit. XVIII. v.* 18. id permitti, adfirmat prae ceteris Grotius *ep.* 327. Iacobus etiam duas ſimul ſorores duxit. Vid. Frideric. Mayer *ſingul. diſſ.* Romae Metellus, Honorius & Conſtantinus duas ſorores ſucceſſive duxerunt: & contra *d. l.* 5. *C. de inceſt. nupt.* crebro a principe indultum eſſe conſtat. Sed nuptias cum fratria, vel uxoris ſuae defunctae ſorore improbant Concilium Ancyranum *can.* 25., Neocaeſarienſe *can.* 11, Auctor canon. apoſtolic. *can.* 19., & Baſilius *ep.* 160. *ad Diodorum*.

(p) Putarunt nonnulli nuptias comprivignorum vetari *Levit. XVIII. v.* 11. Verum *cit. v.* 11. non prohibentur nuptiae *ἀλληλοπρογόνων*, *comprivignorum*, ſed ſororis conſanguineae

de

tre aut ſorore ex novo parentum matrimonio poſtea ſuſceptis, comprivignorum connubium conſiſtere, reſpondit Papinianus (141). Quod vero cognati mariti adfines ſunt uni uxori, & viciſſim; pater & filius matrem ac filiam ducere, duae ſorores duobus fratribus nubere poſſunt.

§.XXVI. Romano iure unum eſt adfinitatis genus, nempe quo cognatus viri eſt adfinis uxori, & viciſſim. At veteri iure canonico tria fuere. Primum contrahebatur cum conſanguineis uxoris aut mariti; alterum cum ea, quam maritus, vel cum eo, quem mulier poſtea ducunt; tertium cum ea, quam ſecundus maritus poſtea duxit. Rem omnem luculenter explicat B.Thomas (142): *Si Maria fratri meo ſit matrimonio coniuncta, eſt mihi & ſorori meae adfinis in primo genere. Si autem fratre meo defuncto, eadem Maria nuberet Petro, Petrus foret mihi, & ſorori meae adfinis in ſecundo genere. Si vero, Maria defuncta, Petrus nuberet cum Anna, Anna efficeretur mihi adfinis in tertio genere.* Tria haec adfinitatis genera prioribus XII. ſaeculis matrimonium dirimebant, uti conſtat ex Gratiano (143), Petro Bleſenſi (144), aliiſque, & quidem uſque ad ſeptimum gradum. At ſaeculo XIII. Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. (145) ſecundum & tertium adfinitatis genus ſuſtulit, primumque dumtaxat retinuit, quod unum civile ius admiſerat; & por-

(141) *L. 34. §.2. D. de nupt.* (142) *In IV. Sentent.*
(143) *Can. 3. & ult. cauſ. 35. q. 3.* (144) *Ep. 115.*
(145) *Can. 50.*

de qua coniunctione nihil dictum erat *v. 9.*, ubi interdicuntur tantum nuptiae cum germana, & uterina ſorore. Vid. Bergeri *ſingul. diſſ.* de hoc argumento.

& porro ſtatuit, eiuſmodi adfinitatem, non ſecus ac conſanguinitatem, inter affines ex latere uſque ad quartum gradum incluſive nuptias deinceps dirimere. Hoc ius confirmavit Synodus Tridentina (146), a qua etiam adfinitatis impedimentum, quod ex illicito concubitu naſcitur, coërcitum eſt *ad eos tantum, qui in primo, & ſecundo coniunguntur.*

§. XXVII. Hactenus de affinitate, quae matrimonium praecedit. Eſt & affinitas *ſuperveniens* nuptiis, vel ſponſalibus iam contractis, quam contrahit maritus, aut ſponſus, ſi cognoſcat conſanguineam uxoris ſuae, aut ſponſae. Id autem procedit in eo, qui ſciens inceſtum admiſit, non ignorans, veluti ſi cum uxoris conſanguinea, quam putabat uxorem eſſe ſuam, concubuit; crimina enim ex animo & propoſito delinquentis aeſtimantur, & ignorantia excuſationem meretur. Iam affinitas ſuperveniens non diſſolvit matrimonium legitime contractum, quippe quod nulla ſuperveniente cauſſa dirimi poteſt; ſed tantum ſponſalia de futuro, quia ſponſus affinis evaſit ſponſae, ob copulam cum eius conſanguinea habitam, ut Alexander III. (147), & Innocentius III. (148) reſcripſerunt. Praeterea inceſtuoſus privatur iure petendi debitum coniugale, donec fuerit diſpenſatum, licet reddere teneatur, uti Caeleſtinus III. (149), & Innocentius III. (150) reſpondent. Iure Concilii Tridentini (151) illicita coniunctio impedimentum producit tantum in primo & ſecundo gradu. Hinc ſi maritus abutatur conſanguinea coniuncta uxori ſuae in tertio, quartove gradu, ſibique in eodem gradu affini,

(146) *Seſſ.* 24. *de ref. cap.* 4. (147) *Cap.* 2. *ext. de eo, qui cognovit &c.* (148) *Cap.* 6. *&* 10. *eod.* (149) *Cap.* 4. *eod.* (150) *Cit. cap.* 10. (151) *Cit. ſeſſ.* 24. *cap.* 4.

ni, a petitione debiti coniugalis non repellitur.

§.XXVIII. Affinitatis imago eſt publica honeſtas, ſeu *quaſi affinitas*, nempe *propinquitas ex ſponſalibus, & matrimonio rato proveniens, ob reverentiam certis perſonis debitam*. Qui enim ſponſalia, vel matrimonium ratum cum aliqua contraxit, diſſolutis ſponſalibus, aut matrimonio rato, conſanguineos ſponſae vel uxoris non cognitae ducere vetatur. Origo publicae honeſtatis, ſed tantum ex ſponſalibus enaſcentis, iuri Romano adſcribenda eſt. Hoc enim nec filius ſponſam patris, nec pater ſponſam filii ducere poterat. Diſerte Ulpianus (152): *Inter me*, ait, *& ſponſam patris meae nuptiae contrahi non poſſunt, quamquam noverca mea non proprie dicatur. Sed & per contrarium ſponſa mea patri meo nubere non poterit; quamvis nurus non proprie dicatur*. Nec ſponſo matrem ſponſae ducere licebat. Sic Paulus (153): *Eius*, inquit, *matrem, quam ſponſam habui, non poſſe me uxorem ducere, Auguſtus interpretatus eſt*. Nec licebat ducere uxoris filiam poſt divortium ex alio marito ſuſceptam. Ad rem Iuſtinianus (154): *Si uxor tua poſt divortium ex alio filiam procreaverit, haec non eſt quidem privigna tua, ſed Iulianus huiuſmodi nuptus abſtineri debere ait*. Quamvis enim ea nec privigna eſſet prioris mariti, utpote poſt divortium genita, nec affinis ullo alio modo; honeſtas tamen vetabat, ne eam uxorem duceret, quoniam cum matre eius una caro fuerat, ideoque quaſi privigna vocatur (155): *Semper in coniunctionibus non ſolum quid liceat, conſiderandum eſt, ſed. & quid honeſtum ſit*, inquit Modeſtinus

(152) *L.* 12. §. 1. & 2. *D. de rit. nupt.* (153) *L.* 14. §. 4. *D. eod.* (154) §. 9. *inſtit. de nupt.* (155) *Cit. l.* 12. §. 2.

nus (156). Civili ergo iure honeſtas inter recenſitas tantum perſonas, quae ſunt parentum & liberorum loco, nuptias omnino dirimebat (*q*).

§. XXIX. Honeſtatis impedimentum ex iure civili in eccleſiaſticum perrepſit. Vetus eccleſia honeſtatem civilibus regulis incluſam excepit; ea enim in impedimentis nuptiarum, quae cum iure civili communia habuit, leges principum plerumque ſequuta eſt. Poſtea in eccleſia impedimentum hoc paſſim auctum eſt. Poſt ſaeculum octavum ad ſeptimum ex latere gradum extenſum eſt, ut ex Pſeudo-Iulii decretali (157) colligitur. Deinde intra quartum gradum coërcitum eſt, poſtquam Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. (158) conſanguinitatem & af-

(156) *L.* 197. *D. de reg. iur.* (157) *Can.* 15. *cauſ.* 22. *q.* 2. (158) *Cap.* 8. *de conſang. & affinit.*

(q) Nuptiae inter recenſitas perſonas contractae non conſiſtebant. Male Theophilus ad §. 9. *inſt. de nupt.* Iac. Gothofredus in *l.* 197. *D. de reg. iur.* & Mazochius *diatrib. I. in Can. LIV. Concil. Illiber. n.* 15. *addita diſſ. Muſcettulae* ſcribunt, eiuſmodi nuptias tantum honeſtate, non neceſſitate vetitas fuiſſe; ita ut inhoneſtae eſſent, non invalidae. Nituntur potiſſimum Iuſtiniani verbis *d.* §. 9.: *Nec ſponſam filii nurum eſſe, nec patris ſponſam novercam eſſe; rectius tamen & iure facturos eos, qui huiuſmodi nuptiis ſe abſtinuerint.* Hic τo *rectius* ſuadentis, non imperantis vocem eſſe cenſent. At τo *rectius* idem eſt ac *recte;* ſaepe enim Latini & ICti comparativa pro poſitivis adhibent, ut ſexcentis exemplis oſtendunt Briſſonius *de V. S.* aliique. Sic Ulpianus in *l.* 1. *D. de inoffic. teſtam.* ait, propinquos ultra fratres *melius* facere, ſi querela inofficioſi abſtineant, cum nullam obtinendi ſpem habeant; ubi τo *melius* idem eſt ac *bene*. In *l.* 66. §. 7. *D. ſolut. matrim.* & *l.* 82. *D. de ſolut. melius aequius* eſt *bonum aequum*. Quum ergo apud Iuſtinianum *d.* §. 9. *rectius* idem ſit ac *recte*, profecto neceſſitatem impoſuit; nam Marcus & Commodus *l.* 14. *D. de offic. praeſid.* Scapulam Tertyllum *recte facturum* reſcripſeſe, quod officio eius omnino continebatur.

& affinitatem quarto gradu concluſit. Tum Bonifacius VIII. (159) cavit honeſtatis impedimentum oriri *ex ſponſalibus puris*, *& certis*, ideſt ſine conditione, & cum determinata perſona, licet *nullis* conſanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, aut alia quavis ratione, modo nulla non ſint *ex defectu conſenſus*. Tandem Concilium Tridentinum (160) honeſtatem ex *ſponſalibus quacumque ratione invalidis* ſuſtulit; ex validis vero intra *primum gradum* coërcuit. Quod vero Synodus tantum de *ſponſalibus* loquitur, impedimentum ex matrimonio rato proveniens etiamnum ad quartum gradum, ex iure Concilii Lateranenſis, extendi, declaravit Pius V. (161). Ceterum honeſtatis impedimentum perpetuo manet, nec ſponſalibus mutuo conſenſu ſolutis, vel morte ſponſi aut ſponſae tollitur. Nimirum impedimentum ſemel contractum ſolius eccleſiae auctoritate diſſolvitur,

§.XXX. Ob religionem nuptias dirimunt *ordo ſacer*, *votum ſollemne*, *cultus diſparitas*, *ligamen*, *clandeſtinitas*, & *crimen*. Quod ad primum, prioribus XI. ſaeculis matrimonia ab epiſcopis, presbyteris & diaconis poſt ordinationem attentata, ſacrilega & nefaria, non item nulla & irrita fuerunt. Etenim canones his temporibus conditi in maiores clericos, qui uxores duxerint, depoſitionem ſanciunt; ipſas vero nuptias nullas non pronuntiant, nec coniuges ſeparandos decernunt. Primus in Oriente Iuſtinianus (162) nuptias a maioribus clericis poſt ordinationem initas eſſe irritas ſtatuit, ac filios inde ſuſce-

(159) *Cap. unic. de ſponſalib. in 6.* (160) *Cit. ſeſſ. 24. cap. 3.* (161) Conſt. *ad Romanum an.* 1568. (162) *L.* 45. *C. de epiſcop. & cleric.*

ſceptos illegitimos, omniſque ſucceſſionis expertes. Hanc Iuſtiniani legem in Occidente non obtinuiſſe, probant canones poſtea editi, qui ſacros clericos ab uxoribus poſt ordinationem ductis non ſeparant, nec natos inde filios tamquam illegitimos traducunt. Primum in Occidente Synodus Lateranenſis I. ſub Calliſto II. ann. 1113. (163) matrimonia a *presbyteris, diaconis, ſubdiaconis & monachis disiungi ſtatuit, iuxta ſacrorum canonum definitionem*. Ait ergo Synodus, antea *per ſacros canones* irrita fuiſſe matrimonia a maioribus clericis poſt ordinationem contracta. Verum ſcripti canones de ea re deſunt. Id ergo accipiendum de conſuetudine eccleſiaſtica, quae ſaeculo X. & XI. paſſim invaluit, quaeque *canonis* nomine non raro ſignificatur. Hoc idem ius confirmarunt Concilium Remenſe ſub Eugenio III. an. 1248. (164), & Lateranenſe III. ſub Alexandro III. an. 1276. (165). Tandem Tridentinum (166) anathemate perculit adfirmantes, *clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares, caſtitatem ſollemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica, vel voto* (r).

§. XXXI. Votum caſtitatis ſollemne ſeu *monaſtica profeſſio* eſt, quod emittitur in profeſſione religionis per Apoſtolicam ſedem adprobatae. De veteribus mona-

(163) *Can.* 21. (164) *Can.* 7. (165) *Can.* 6. (166) *Seſſ.* 24. *can.* 9.

(r) Conſulto Tridentina Synodus disiunctive loquitur, *lege eccleſiaſtica, vel voto*, ut indefinitam relinqueret theologorum controverſiam, parum utilitatis habentem, num ſacrorum clericorum & regularium nuptiae nullae ſint ex inſtitutione eccleſiaſtica, an ex natura ſua, hoc eſt, vi voti, de qua dicam infra; ſatiſque habuit definire, maiores clericos ad caſtitatem obſtringi, nullumque eſſe eorum matrimonium.

nachis, ſacriſque virginibus ex hodiernis moribus haud iudicandum. Olim non fuit ſollemnis religionis profeſſio, ac ſollemnia vota. Fuere tamen vota perpetuae caſtitatis, quae a virginibus, viduis, & monachis Chriſto nuncupabantur. Iam inde a ſaeculo ſecundo in utraque eccleſia ſacras virgines magno numero fuiſſe, conſtat ex Origene (167), Tertulliano (168), Cypriano (169), aliiſque. Hae perpetuae continentiae profeſſionem publice in eccleſia edebant, & ab epiſcopo conſecrabantur, ſacrumque velamen accipiebant, ſicque conſecratae in paternis domibus vivebant. Inſtituta deinde vita monaſtica paullatim eccleſiaſticarum virginum in privatis aedibus viventium numerus minui coepit, eoque ſenſim ventum eſt, ut tantum in coenobiis virginum profeſſiones ad perpetuam caſtitatem obligarent. Viduae quoque viduitatis ſervandae profeſſionem coram epiſcopo edebant, uti patet ex Concilio Carthaginienſi IV.(170), & Arauſicano (171); inter quas eminebant diaconiſſae, quae ſollemni ritu ordinabantur. Monachi olim promittebant tantum monaſticam vitam obſervare, quae continentiam implicite complectebatur; unde monachos *tacite videri coelibatum admittere*, ſcribit Baſilius (172). Quum autem caſtitatis voto nuptiae adverſentur, eccleſiaſticae virgines, viduae caſtitatem profeſſae, & monachi nuptiis ſemper interdicti ſunt. Quod ſi hi omnes contra profeſſionem ſuam connubia attentarent, haec ſacrilega quidem & illicita, non item irrita prioribus decem ſaeculis fuere (s).

(167) *Lib. V. contr. Celſum.* (168) *De veland. virgin. cap. 9.* (169) *Ep. 22. ad Pompon.* (170) *Can. ult.* (171) *Can. 27.* (172) *Ep. ad Amphiloch. can. 19.*

(s) Lupus *diſſ.1. prooemial. in III. volum. cap.10., & ſchol. ad*

Sane canones per haec tempora contrahentes eiuſmodi nuptias poenitentiae, ac nonnumquam excommunicationi ſubiiciunt; ſed ea irrita non pronuntiant, quin potius valere ſupponunt. Sacrarum virginum nuptias improbant, & poenitentia coërcent, ſed non reſcindunt Synodus Ancyrana (173), Baſilius (174), aliique Graeci. Idem veterum Latinorum ius fuit. Innocentius I. (175) admitti ad poenitentiam vetat eam, quae poſt caſtitatis votum nuptias contraxerat, niſi poſt obitum viri, ne ſcilicet per publicam poenitentiam, qua ſtante, uxoribus abſtinendum erat, matrimonii iura inverterentur. Auguſtinus

(173) *Can.* 19. (174) *Cit. ep. ad Amphiloch. can.* 70.
(175) *Ep. ad Vitricium Rothomagenſ.*

ad can. 16 *Chalced.* contendit, olim monachorum, & monialium connubia non modo ſacrilega, verum etiam irrita fuiſſe. Urget inter alia monumenta Baſilium *ep. ad Amphiloch.* ubi *των κανονικων canonicorum fornicationes pro matrimonio non reputari, ſed eorum coniunctionem divelli iubet.* Nomine *canonicorum* monachos & moniales intelligunt Zonaras, & Balſamon. At Baſilius non de matrimonio canonicorum, quicumque ii ſint, ſive clerici, ſive monachi, ſed de cohabitatione fornicaria, quae eſt inter ſolutos, agit. Eiuſmodi enim canonici, qui ob fornicationem gradu ſuo exciderant, mulieres criminis ſocias tamquam uxores retinebant eo praetextu, quod legibus ſi quis conſuetudinem habet cum libera, quae non quaeſtus gratia copiam ſui corporis facit, matrimonium, non concubinatus praeſumeretur. Ab his mulieribus canonicos divelli iubet Baſilius, non vero de iis agit, qui ab initio nuptias inibant. Addit Lupus Concilium Chalcedonenſe *can.* 16., quo excommunicantur ſacrae virgines & monachi, qui nuptias contraxerunt, daturque epiſcopo loci poteſtas *της επ' αυτοις φιλανθρωπιας, exercendae in illos humanitatis.* At Chalcedonenſis canon ſacris virginibus & monachis non indicit ſeparationem a coniugibus, ſed tantum poenitentiam, de qua loci epiſcopus prudenter aliquid remittere poteſt.

nus (176) iis non adhaeſit, qui aevo ſuo aiebant, *lapſarum a ſancto propoſito feminarum, ſi nupſerint, non eſſe coniugia*. Eiuſmodi connubia cum ſacris virginibus proſcripſerunt chriſtiani auguſti Iovinianus, Honorius, Theodoſius, Iuſtinianus, aliique (177). Nominatim viduarum connubia poſt emiſſum caſtitatis votum celebrata, illicita quidem, ſed vera & valida fuiſſe, prodit Gelaſius I. (178). Monachorum etiam matrimonia olim valuiſſe, ne ambigas. Concilium Chalcedonenſe (179) ſacris virginibus, & monachis, qui nuptias inierunt, non ſeparationem indicit, ſed tantum publicam poenitentiam, deque ea aliquid ex prudentiae regulis remittere loci epiſcopo permittit. Leo M. (180) conſultus de monachis, qui uxores acceperunt, non reſpondit, eos ab uxoribus ſeparandos, ſed tantum publicae poenitentiae ſubiiciendos eſſe. Gregorius I. (181) iuſſit, monachos, qui uxores accipiunt, in monaſterium revocari, a quo exierant, ibique poenitentiae deputari. Idem pontifex (182) Venantium monachum, qui habitu abiecto uxorem duxit, & primum Italiae Cancellarius, tum Siciliae Patricius factus eſt, increpuit, utque monachiſmum repeteret, monuit; quùmque nihil profeciſſet, tale facinus pertulit. Poſt ſaeculum decimum caſtitatis votum dirimens matrimonii impedimentum evaſit. Primum in Concilio Romano ſub Innocentio II. an. 1139. (183) connubium a monacho, & moniali poſt votum religionis emiſſum ir-

 ri-

(176) *De bono viduit. cap.* 10. (177) Vid. Lupum *ſchol. ad can.* 16. *Chalced.* (178) *Ep. ad epiſcopos per Lucaniam, Brutios & Siciliam conſtitutos cap.* 21. (179) *Can.* 16., in quem vide Beveregii *not.* (180) *Ep.* 82. *ad Ruſtic. Narbonenſ.* (181) *Lib. VI. ep.* 9. *ad Vitalian. Sipontin. epiſcop.* (182) *Lib. I. ep.* 33. (183) *Can.* 7.

ritum declaratum eſt, quod contra *eccleſiaſticam regulam* eſſet. Eodem ſaeculo XII. prodiit diſtinctio voti in *ſimplex* & *ſollemne*, atque illi vis matrimonii tantum impediendi, huic etiam dirimendi attributa eſt. Diſtinctionem hanc excogitavit Gratianus, ut conciliaret textum Auguſtini, qui matrimonium a voventibus initum valere ait, cum canone laudati concilii Romani, quo monachorum & monialium nuptiae reſcinduntur. Statim haec voti diſtinctio & vis recepta eſt; & ſecundum eam ſaeculo XII. & XIII. pontifices reſcripſerunt (184). Quumque nondum definitum eſſet, in quo conſiſteret ſollemnitas voti ad matrimonium dirimendum, frequenteſque ob eam cauſſam quaeſtiones oborirentur, definivit Bonifacius VIII. (185), *illud ſolum votum debere dici ſollemne, quantum ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſollemnizatum eſt per ſuſceptionem ſacri ordinis, aut per profeſſionem factam alicui de religionibus per ſedem Apoſtolicam approbatis; reliqua vota matrimonia poſt contracta non reſcindere*. Hoc idem Tridentini Concilii (186) ius eſt (t).

§.XXXII.

(184) *Cap. 4. 5. & 6. ext. qui clerici, vel voventes &c.*
(185) *Cap. unic. de voto, & voti redemt. in 6.*
(186) *Seſſ. 24. de ref. matrim. can. 9.*

(t) Diſputant theologi, quibus multum abs re ſua otii eſt, num ſacrorum miniſtrorum & regularium nuptiae nullae ſint ex lege eccleſiaſtica, an ex natura ſua, ſeu vi voti. B. Thomas *quaeſt. 53. Supplem. art. 2.* aliique irritas pronuntiant ex vi voti; quia ſollemni voto quiſque abdicat a ſe corporis ſui poteſtatem, Deoque tradit. Alii vero adſeverant, non naturali, aut divino, ſed eccleſiaſtico tantum iure eiuſmodi nuptias non conſiſtere. Primum enim votum diu nuptias a clericis & monachis contractas non diremit, uti iam oſtenſum eſt. Deinde voti ſollemnitas *ex ſola conſtitutione eccleſiae* inventa eſt, quod adgnoſcit Bonifacius VIII. *cit. loc.* Tandem Ro-

§.XXXII. Cultus diſparitas eſt inter baptizatum & non baptizatum. Iure naturae nuptiae inter cuiuſvis religionis homines conſiſtunt; quippe quae ſolo contrahentium conſenſu perficiuntur, nec religionis diverſitas primario matrimonii fini, nempe prolis procreationi & educationi, adverſatur. Divino quoque iure valent; nullibi enim in veteri Foedere reſcinduntur nuptiae, a credentibus cum gentilibus tam ante, quam poſt legem ſcriptam contractae. Ita Ioſeph, Iſmaël, & Moyſes cum mulieribus Aëgyptiis, Eſau cum Chananaeis, Heſter cum rege Perſarum, aliique plures cum alienigenis diverſae religionis connubia inierunt; quamvis ea extra neceſſitatem contrahere, pientiſſimis viris diſplicuerit (187). Evangelica etiam lege coniugium chriſtianae cum ethnico, vel cum ethnica chriſtiani haud diſſolvendum, ſed repudium mittenti ethnico dumtaxat permittendum, ut divertat, ſcribit Paullus (188). Tantum vetuſtiſſimo eccleſiae iure vetantur fidelium cum infidelibus connubia; tum ob periculum perverſionis, quod coniugi fideli imminet, & proli pravae educationis, praeſertim ſi vir ſit infidelis; tum quia dedecet matrimonium ad ſacramenti dignitatem evectum celebrari cum infidelibus, qui ſacramentorum expertes ſunt. Omni quidem tempore eiuſmodi matrimonia illicita ſunt habita. Ea inſectantur Tertullianus (189), Cyprianus (190), Hieronymus (191), aliique patres.

(187) Vid. Brouwer. *de iure connubior. lib. II. cap. 2.*

(188) *I. Cor. VII.* 16. (189) *De coron. milit. cap.* 13., *lib. II. ad uxor. cap.* 13., & alibi. (190) *Teſtim. ad Quirin. lib. XIII. cap.* 62. (191) *Ep. II. ad Ageruch.*, & *contr. Iovinian. lib. I. cap.* 5. Vid. Bingham. *Origin. lib. XXII. cap.* 2. *n.* 1.

Romani pontifices in ſollemni voto nonnumquam diſpenſarunt, uti probat Mendoza *lib. II. de confirmand. Concil. Illiberit. ad can.* 13.

Quarto ineunte ſaeculo fidelium cum infidelibus coniugia poenis quibuſdam prohibuerunt Synodus Illiberitana an. 305. (192), & Arelatenſis I. an. 314. (193). Eodem exeunte ſaeculo tantum connubia chriſtianae cum iudaeo, aut iudeae cum chriſtiano reſciderunt, poeniſque adulterii ſubiecerunt Valentinianus, Theodoſius & Arcadius (194). Verum prioribus undecim ſaeculis fidelium cum infidelibus nuptias non irritavit eccleſia; nullus enim hac tempeſtate canon occurrit, qui eas reſcindat, patreſque eas illicitas & flagitioſas eſſe oſtendunt, non autem nullas. Quin valuiſſe, exempla commonſtrant nuptiarum Laetae cum Toxotio pagano, Monicae Auguſtini matris cum Patricio ethnico, Clotildis cum Clodoveo Francorum rege a chriſtianis etiam ſacris alieno, & aliarum, quae paganis viris nupſerunt. Eiuſmodi connubia ad infidelium coniugum ſanctificationem, & chriſtianae religionis incrementum plurimum contulere. Multa ſuppetunt exempla coniugum a coniuge converſorum, de quibus Theodoritus (195). Monica Patricium, Clotildis Clodoveum, aliaeque chriſtianae uxores maritos ſuos ad chriſtianiſmum amplectendum feliciter perpulerunt. Nonnumquam chriſtiani principes filias ea lege deſponderunt, ut futurus gener Chriſto nomen daret, vel ſubditos reiecto idolorum cultu ad Chriſtum adduceret (*u*). Tandem ob incommoda ſuperius recenſita, quae ex cultu diſpari oriuntur, conſue-

(192) *Can.* 15. 16: & 17. (193) *Can. II.* (194) *L.* 2. *C. Th. de nupt.* (195) *Lib. XI. curat. Graec. affect. p.* 164.

(u) Conf. Gottlieb Frid. Gudium *diſſ. de felici chriſtianae religionis propagatione per connubia*, Caſſanaeum *catalog. glor. mund. part. II. conſiderat.* 10., & Tiraquellum *de legib. connubialib. part.* 11. *gloſſ.*

ſuetudine invaluit, tempore neſcio quo, forte circa ſaeculum XI., ut fidelium cum infidelibus nuptiae irritae haberentur. Id ſaeculo XII. univerſae eccleſiae ius fuiſſe, liquet ex Petro Lombardo (196), qui non tamquam novi aliquid, ſed iam receptum docet, nuptias fidelium cum infidelibus non conſiſtere: cui omnes theologi & canoniſtae deinceps adhaeſerunt.

§. XXXIII. Quantum ad matrimonia catholicorum cum haereticis, ea conſtanter eccleſia exſecrata eſt. Id praeclare adſtruit interdicta omni aevo cum haereticis conſuetudo ſive in profanis, ſive in ſacris. Haereticos prorſus devitari iubent apoſtoli Ioannes (197), & Paullus (198). Conſortium hoc innumeri paſſim canones inhibuerunt, ſed potiſſimum inſtiterunt, ne catholici cum haereticis communicarent in rebus ſacris, neve ipſorum conventicula frequentarent, ut Apoſtolici canones (199), Concilium Laodicenum (200), Carthaginenſe IV. (201), aliaque. In divinis autem catholici cum haereticis communicarent, ſi connubio ſe cum iiſdem iungerent. Idem enim eſt, matrimonium, quod eſt ſacramentum, cum haereticis inire, ac unum idemque ſacramentum cum iis vel conficere, ſi contrahentes ſint miniſtri, vel percipere, ſi miniſter ſit ſacerdos: quod utrumque nefas eſt. Hinc quibus legibus fidelium cum infidelibus, iiſdem fere catholicorum cum haereticis nuptias eccleſia proſcripſit. Prohibuerunt enim eiuſmodi connubia Synodus Laodicena (202), Chalcedonenſis (203), aliaeque. Sed catholicorum cum haereticis connubia, ut ut noxia

 & il-

(196) *Lib. IV. ſentent. diſt.* 39. (197) *Cap.* 10. *v.* 10.
(198) *Ep. ad Tit.* 3. 10., *&* 2. *ad Cor. VI.* 14.
(199) *Can* 45. *&* 46. (200) *Can.* 9. *&* 33. (201) *Can.* 74. Conf. Lupum *ſchol ad can. concil. tom. IV. p.* 229. *ſeq.*
(202) *Can.* 31. (203) *Can.* 14.

& illicita, valida tamen ſemper habita ſunt. Saturus Arianam feminam duxit; Ringundis Racaredo Ariano, Brunichildis item Ariana Chilperico catholico regi iuncta eſt. Haec catholicorum cum haereticis matrimonia valere ſupponit Bonifacius VIII. (204). Nec raro in eiuſmodi nuptiis Gregorius XIII., Urbanus VIII., Clemens VIII., aliique pontifices diſpenſarunt.

§. XXXIV. Ligamen eſt matrimonium ſive ratum dumtaxat, ſive conſummatum cum coniuge adhuc vivo. Nemo duas ſimul uxores, duoſve viros habere poteſt, aut priore uxore dimiſſa alteram ducere. Evangelica enim lege polyandriam & polygamiam *ſimultaneam* proſcribi, perpetuumque eſſe matrimonii vinculum, iam ſupra probatum dedimus. Ad rem Tertullianus (205): *Manente matrimonio*, inquit, *nubere adulterium eſt*. Semper in eccleſia ligamen nuptias diremiſſe, conſtat etiam ex Innocentio I. (206). Ipſe infidelis plures habens uxores, ſi chriſtianam religionem amplectitur, priore tantum retenta, ceteras dimittere cogitur, uti reſpondit Innocentius III. (207).

§. XXXV. Pauca heic de redintegratione matrimonii. Conſtantinus Imp. (208) permiſit uxori, cuius maritus in militiam profectus eſt, *poſt interventum annorum quatuor, ſi nullum ſoſpitatis eius potuit habere indicium, & ducem ſuper hoc voto ſuo convenit*, ad ſecundas nuptias tranſire. At reiecto Conſtantini quadriennio biennium in eam rem Iuſtiniano (209) praeſcripſit. Tandem idem Iuſtinianus (210) ca-

(204) *Cap. 14. de haeretic. in 6.* (205) *Lib. adv. Marcion.* (206) *Ep. 39. ad Probum edit. Couſtant.* (207) *Cap. gaudemus ext. de divort.* (208) *L. 7. C. de repud.* (209) *Nov. 22. cap. 6.* (210) *Nov. 117. cap. 11.*

cavit, non licere uxori (idem de marito dices) ob quantumvis longam mariti abſentiam alteri prius nubere, quam de morte penitus certior facta fuerit, reverſoque priori marito ius eſſe uxorem ſuam recipiendi. Idem ius evangelicae legi conſonum confirmarunt Clemens III. (211), Lucius III. (212), aliique pontifices. Sed & illud eleganter ſtatuit Alexander III. (213), ſententiam latam adverſus matrimonium nunquam in rem iudicatam tranſire: ideoque ſemper revocandam, quoties de errore facti conſtiterit.

§. XXXVI. Clandeſtinitas matrimonium dirimit, nempe, ſi quis *aliter quam praeſente parocho, vel alio ſacerdote de ipſius parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contraxerit.* Dirimens hoc impedimentum poſt multa patrum diſſidia conſtituit Tridentina Synodus (214). Ante Tridentinum clandeſtina matrimonia illicita & prohibita fuiſſe, non item nulla & irrita, liquet ex Tertulliano (215), Concilio Laodiceno (216), Nicolao I. (217), Pſeudo-Hormiſda (218). Quid plura? Ipſa Tridentina Synodus matrimonia haec antea valuiſſe profitetur; haud enim *dubitandum*, ait, *clandeſtina matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe matrimonia, quamdiu ea eccleſia irrita non fecit* (x). Etiamnum conſiſtunt clan-

de-

(211) *Cap. 19. ext. de ſponſalib. & matrim.* (212) *Cap. 2. ext. de ſecund. nupt.* (213) *Cap. 7. ext. de ſent. & re iudic.*
(214) *Seſſ. 24. de ref. matrim. cap. 3.* Conf. Pallavicin. *lib. XXII. Hiſt. Concil. Trident. cap. 4.* (215) *De pudicit. cap. 4.*
(216) *Can. 1.* (217) *Reſp. ad conſult. Bulgaror.*
(218) Apud Gratian. *can. 2. cauſ. 30. q. 5.*

(x) Gentianus Hervetus in *orat. ad Tridentin. Concil.* Ferdin. Mendoza *lib. III. de confirm. Concil. Illiberit. cap. 32.*

alii.

deſtina matrimonia ſine Tridentini forma contracta in iis locis, in quibus Tridentinum promulgatum non fuit; ipſum enim Tridentinum declaravit ſuam de clandeſtinis nuptiis ſanctionem in unaquaque parochia vim habere *poſt triginta dies a die primae publicationis in eadem parochia factae*. De matrimoniis vero, quae coram civili magiſtratu, abſente parocho contrahuntur in Hollandia, Zelandia, Friſia, aliiſque foederati Belgii provinciis, in quibus Tridentinum concilium promulgatum fuit an. 1563. opera Margaritae Parmenſis, quae tum pro Philippo II. Belgium regebat, omnem ſuſtulit controverſiam Benedictus XIV. (219), qui irritas declarat nuptias in foederati Belgii regionibus coram magiſtratu, vel haeretico miniſtro, poſthabita Tridentini forma, contractas inter ambos catholicos; at inter catholicum & haereticam, vel contra, validas quidem, ſed illicitas (y).

§. XXXVII.

(219) Conſt. *redditae* 3. *Supplem. Bullarii ſui tom. III.*

aliique rentur, vetuſtis eccleſiae ſaeculis clandeſtina coniugia irrita & nulla fuiſſe; deinde antiquas leges deſueviſſe, eaque adeo per plura ſaecula rata & iuſta fuiſſe; donec rurſus a Tridentina Synodo irrita ſunt pronuntiata. Sed id gratis, nulloque idoneo teſtimonio, adfirmatur.

(y) Apud nos Rogerius I. conſt. ſub *tit. de matrim. contrah.* ſancivit, ineuntes matrimonia clandeſtina *nec ex teſtamento, nec ab inteſtato habituros heredes legitimos* liberos inde ſuſceptos. At ex Pragmatica *unic. de matrim. legit. contrah.*, quam Comes de Daun Regni prorex, inſtante Card. Pignatello archiepiſcopo Neap, edidit die 17. Octob. an. 1718., contrahentes clandeſtinum matrimonium ſine ſollemnitatibus per canones praeſcriptis, mulctantur bis mille aureis, ſi vir & mulier nobiles ſint; mille autem, ſi ignobiles, fiſco inferendis, praeter corporales poenas arbitrio irrogandas. Iiſdem ſubduntur poenis cuncti cuiuſvis ſtatus & conditionis, qui opem ſuam quoquo modo illegitimis his nuptiis contulerint, vel adfuerint voluntarii teſtes.

§.XXXVII. Tandem ad nuptiarum fidem tuendam comparatum eſt *criminis* impedimentum. Crimen matrimonium dirimens aut *adulterium* eſt, aut *coniugicidium*. Quod ad primum, iure Romano ſolum adulterium nuptias dirimebat: proinde eae inter adulterum & adulteram poſt mortem prioris uxoris contractae non valebant (220). Ex imperii & eccleſiae ſententia ſcribit Auguſtinus (z): *Marito mortuo, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non poteſt, cum quo prius adulterium fuit.* Concilium Triburienſe an. 895. (221) nuptias inter adulterum & adulteram vetat. At ſaeculo XII. cautum, ſolo adulterio nuptias non dirimi, niſi aut inſidiae in mortem coniugis, aut promiſſio futuri matrimonii acceſſerit. Novo huic iuri cauſſam dedit Gratianus, qui male intellexit duos laudati Concilii Triburienſis canones; quorum uno (222) agebatur de quodam viro, qui cum alterius uxore adulterium admiſerat, curaveratque ſe illam poſt mariti mortem ducturum; altero (223) de adultero, qui ſpe contrahendi connubium cum adultera, alterius coniugem interfecit. Horum criminum reis perpetuam poenitentiam *ſine ulla ſpe coniugii* ſynodus indixit, repetita generali regula: *Non licet ergo, nec chriſtianae religioni oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pol-*

(220) *L.* 11. §. 11. & *l.* 40. *D. ad L. Iul. de adulter. Nov.* 134. *c.* 12. (221) *Can.* 51. apud Gratian. *can.* 3. *cauſ.* 31. *q.* 1. (222) *Cit. can.* 51. (223) *Can.* 40.

(z) Auguſtini locus extat *lib. I. de nupt. & concupiſc. cap.* 10. Eum exſcribit Gratianus *can.* 2. *C.* 31. *q.* 1. Abnutiva particula *NON* deeſt apud Gratianum, item in pluribus Vaticanis Codicibus, & in editione Maurina Opp. Auguſtini *T. X. p.* 286. At legendum *non poteſt* poſt Romanos Correctores monet Cuiacius ad *cap.* 1. *de eo, qui duxit in matrim.*

pollutus eſt adulterio. Hinc Gratianus (224), omiſſa generali regula, veteres canones, quibus ſolo adulterio nuptiae dirimuntur, impedimentum adulterii ad duos tantum caſus reſtrinxit, ſi nempe adulter aliquid in mortem viri machinatus fuerit, vel ſi vivente viro adulterae promiſerit ſe ſumturam eam in coniugem, ſi viro eius ſuperviveret.

§ XXXVIII. Cum autem ſaeculo XII. & ſequenti ex uno Gratiani ſacrario canones haurirentur; Romani Pontifices ex Gratiani doctrina reſponderunt, matrimonium ſolo adulterio haud diſſolvi, ſed tantum duobus iis caſibus. Primus Gratiani reſtrictiones admiſit Alexander III. (225); *Licet autem in canonibus habeatur, ut nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio*, *ET ILLAM MAXIME*, *cui fidem dederat uxore ſua vivente, vel quae machinata eſt in mortem uxoris &c.* Vigebat adhuc aetate Alexandri III. vetus diſciplina, qua ſolo adulterio matrimonium dirimebatur. Non enim Pontifex Gratiani conditiones tamquam neceſſarias admiſiſſe videtur, ut adſtruit verbum *maxime*, quo indicatur matrimonii nullitas inter adulterum & adulteram (de quo in ſuperioribus locutus erat) etiam non concurrente machinatione, aut promiſſione futurarum nuptiarum. Sed tandem tempore Innocentii III. (226) immutata eſt: Hic enim reſpondit, valere matrimonium adulteri cum adultera poſt mortem legitimae uxoris, *niſi alter eorum in mortem uxoris defunctae fuerit machinatus, vel ea vivente fidem ſibi dederit de matrimonio contrahendo*. Primum itaque Innocentii decreto ad irritandum matrimonium inter adul-

(224) *Cit. can. 3. cauſ. 31. q. 1.* (225) *Cap. 1. ext. de eo qui duxit in matrimon.* (226) *Cap. 6. eod.*

adulteros, praeter adulterium, requiri coepit aut machinatio in mortem coniugis ad nuptias contrahendas, aut promiſſio nuptiarum poſt prioris matrimonii ſolutionem.

§. XXXIX. Ex nova itaque diſciplina adulterium cum homicidio vel promiſſione futuri matrimonii, dirimens eſt impedimentum. Ut autem adulterium cum homicidio illud diſſolvat, requiritur (I) Ut occiſio fiat ad nuptias cum adultero vel adultera ineundas, quamvis altera pars non conſpiret in coniugis mortem, aut etiam ignoret necem ea intentione illatam fuiſſe. (II) Ut adulterium praecedat occiſionem; ſi quis enim uxori ſuae virus praebeat animo ducendi alterius uxorem, quam poſt illius obitum ad adulterium allicit, non oritur impedimentum; ſecus ſi ante propriae uxoris mortem cum illa moechetur. (III) Ut adulterium ſit perfectum & conſummatum, quantum requiritur ad veri matrimonii conſummationem. (IV) Ut matrimonium praecedens occiſionem validum ſit; ſecus verum adulterium non habetur. (V) Ut partes proprium coniugalem ſtatum ſciant; non enim inducitur impedimentum, ſi alter cum coniugato, vel coniugata copuletur, putans ſolutum. (VI) Ut mors revera ſequatur, & quidem ex actione adulteri. Multa quoque requiruntur, ut adulterium cum pollicitatione futurarum nuptiarum has dirimat. (I) Ut promiſſio ſit ab altero adultero acceptata. (II) Ut ea ante adulterium revocata non ſit; tunc enim perinde eſſet, ac ſi facta non fuiſſet. Nec intereſt, promiſſio praecedat, vel ſequatur matrimonium, uti patet ex Gregorio IX. (227). Ceterum *ſi quis, uxore viven-*

(227) *Cap. 8. eod.*

vente, promiſit aliam ſe ducturum, ſi nec ante, nec poſt, legitima eius ſuperſtite, cognovit eamdem, matrimonium, quod cum ea contraxit poſt uxoris obitum haud eſſe dirimendum, idem reſcripſit Gregorius IX. (228).

§. XL. Solum *coniugicidium* ſine adulterio nuptias dirimit. Si enim vir aut uxor conſpiratione cum tertio facta coniugem interfecerit, matrimonium cum tertio illo inire nequit, quamvis ad infidelis converſionem patrata eſſet haec occiſio, uti reſcripſit Caeleſtinus III. (229). Ut autem coniugicidium nuptias dirimat, opus eſt (I) Ut ambo coniuges conſpirent in mortem alterius: unde ſi unus, altero inſcio, coniugem enecet, non inducitur impedimentum. (II) Ut conſpiratio fiat matrimonii unice contrahendi cauſſa. (III) Ut haec futuri matrimonii voluntas utrique parti innoteſcat. (IV) Tandem ut mors revera ſequatur ex actione conſpirativa; non enim ſufficit ſola coniugis percuſſio, aut vulneratio, quum canones de machinatione ſcripti ſemper intelligendi ſint ſecuto effectu. Immo ſi mors ſecuta ſit non ex actione rei, puta percuſſione, aut vulneratione, ſed imperitia medentis, impedimentum non exſurgit.

CAP. XIII.

De polygamia & ſecundis nuptiis.

§. I. TRia potiſſimum Chriſtus de matrimonio cavit. Evexit nempe illud ad ſacramenti dignitatem; eiuſdem unitatem praeſcripſit; & perpetuum eſſe vinculum iuſſit. Quod ad unitatem, cum matrimonium ſit maris & feminae coniunctio, iam intel-

(228) *Cit. cap.* 8. (229) *Cap.* 1. *ext. de converſ. infidel.*

telligis, & uxorum communionem, & polyandriam, & polygamiam *ſimultaneam* proſcribi. Promiſcua uxorum conſuetudo viguit apud Lacedaemonios, teſte Theodoreto (1), Heliopolitanos, teſte Socrate (2), Britannos, teſte Caeſare (3), aliaſque gentes. Plato (4) uxorum communitatem in republica ſua admiſit: quo eum nomine carpunt Chryſoſtomus (5), Hieronymus (6), aliique patres, qui obſcoenam hanc *μιξιν* damnant. Πολυανδρια, ſeu plurium ſimul virorum cum una uxore matrimonium, iuri naturali, quod nemo negat, adverſatur. Ea cum alia gignit mala, tum finem fruſtratur matrimonii, quum *una femina a pluribus viris* (*haec eſt principiorum vis*) *foetari non poſſit*, uti loquitur Auguſtinus (7). Dici matrimonium poſſe, ubi una mulier multos habet viros, negat Lactantius (8). Πολυγαμια in *ſimultaneam* & *ſucceſſivam* partitur. Simultanea, quae proprie *πολυγαμια* dicitur, quum unus vir plures eodem tempore uxores habet. Eiuſmodi polygamiam *rem turpem & deteſtabilem, quae belluarum convenit & laſciviae & impuritati*, vocat Photius [9]. Et quamvis ea primario matrimonii fini, qui eſt prolis procreatio & educatio, non adverſetur; ſecundario tamen fini, perfectae ſcilſcet ſocietati, & paci domeſticae repugnat. Nihilominus gentes pleraeque polygamiam exercuerunt. Plures ſimul uxores habuerunt Abraham, Iacob, David, aliique patriarchae, ut hu-

(1) *Lib. IX. de curandis Graecor. affectionib.* (2) *Lib. I. hiſt. eccleſ. cap.* 18. (3) *Lib. V. de bello Gallico*. Vid. Bernegger. *quaeſt.* 92. *ad Tacit.* (4) *Lib. I. de republic.*

(5) *Hom.*5. *in ep. ad Tit.* (6) *Ep. ad Oceanum*. Platonem tamen defendit Beſſarion *lib.IV. adv. calumniat. Platon. cap.*3.

(7) *De bono coniugali cap.* 17. *n.*20. (8) *Lib. IV. cap.* 3. (9) *Ep.* 1. *pag.* 39.

humanum genus propagaretur [a]. Iudaei etiam polygami fuere. Herodis magni novem uxores memorat Ioſephus [10]. Adhuc aevo ſuo quatuor & quinque uxores Hebraeis ducere licuiſſe, teſtatur Iuſtinus Martyr [11] [b]. Contra gentes non paucae monogamiam, tamquam honeſtam, decoram, & individuae conſuetudini, pacique domeſticae magis accommodatam, praeſcripſerunt. In Aegypto unam quiſque ducebat uxorem, teſte Herodoto [12]. Vulcanum, quod Aegyptiis legem de monogamia tuliſſet, inter Deos relatum, refert Euſebius [13]. Cecrops Athenienſibus unicam ducere uxorem permiſit, teſte Athenaeo [14]. Germanos fere ſolos barbarorum monogamos fuiſſe, teſtatur Tacitus [15]. Romae olim qui binas ſimul uxores habebant, infamia notabantur [16]. Deinde chriſtiani Caeſares gravioribus poenis polygamos coërcuerunt. Conſtantinus [17] polygamiam capitali indicta poena prohibuit [c]. Quantum ad chriſtianos, polygamiam, tam-

(10) *Lib. XVII. Antiq. cap.* 1. (11) *Dialogo cum Tryphone*. (12) *Lib. II. cap.* 92. (13) *In Chronico*. (14) *Lib. XIII. pr.* Vid. Petitum *ad leges Atticas p.* 434. (15) *De morib. Germanor. p.* 342. (16) *L.* 2. *C. de inceſt. nupt.* & *l.* 18. *C. ad leg. Iul. de adult.* (17) *L. uxor. C. de repud.*

(a) De polygamia patriarcharum plura dant Matthaeus Petitdidier *diſſ.* 19. *in Script. S. p.* 165. *ſeq.* & Heidegger. *in hiſtor. patriarchar.*

(b) De polygamia Iudaeorum conſule Seldenum *libr.* 1. *uxor. Hebraic. cap.* 9., Montacutium *Apparat. p.* 193. *ſeq.*, & interpretes *ad Matth.* v. 32. & 19. 9.

(c) Valentinianum Seniorem Severae Iuſtinam ſuperinduxiſſe, lataque lege duas ſimul uxores permiſiſſe, ſcribit Socrates *lib. IV. hiſt. eccleſ. cap.* 34. Splendide Socratem mentiri adſeverant Baronius *ad A. C.* 370., Valeſius *ad Socrat. cit. loc.*, & *ad Ammian.* 30. *ult. p.* 61., Zeidlerus *tract. de polygamia p.* 117.

tamquam primaevae inſtitutioni divinae contrariam, Chriſtus (18) improbavit; quod conſtanter eccleſia obſervavit. Accedit quod nulla inter chriſtianos cuique nubit, niſi ea lege, ut ſola & unica ſit quamdiu vixerit.

§. II. Polygamia ſucceſſiva eſt, cum quis, morte prioris coniugis ſoluto matrimonio, ad ſecundas, tertias, & ulteriores nuptias tranſit. Διγαμιαν tamquam fornicationem improbarunt Montaniſtae, quorum cauſſam tuetur Tertullianus (19); & Novatiani, adverſus quos late diſputat Theodoretus (20). At ſecundas & ulteriores nuptias eccleſia apoſtolicis doctrinis innixa permiſit. Diſerte Paullus (21) inquit: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius vivit: quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt, cui vult nubat, tantum in Domino.* Ex his verbis ſecundas, parique iure tertias, ac ulteriores nuptias haud inhiberi, colligunt Chryſoſtomus (22), Epiphanius (23), Cyrillus Hieroſolymitanus (24), item Ambroſius (25), Hieronymus (26), Auguſtinus (27), ceterique Grae-

p. 117. *ſeq.*, aliique. Certe huius legis nuſpiam fit mentio, ne quidem apud Ammianum Marcellinum, qui res a Valentiniano geſtas memoriae prodidit. Contra fidem Socratis hac in re tuentur Vedelius *de prudentia veter. eccleſ. p.*229. *ſeq.*, & Chriſtfridus Waechtlerus *ep. ad Io. Burchard. Menkenium*, quae *Actis Eruditor. tom* 5. *Supplem. p.* 168. *ſeq.* inſerta eſt. Id etiamſi detur, eiuſmodi lex ad avertendam facti proprii turpitudinem condita, nec valuit apud poſteros, nec magis quam quilibet alius exceſſus vel legi Chriſti, vel unanimi eccleſiae ſententiae ac conſuetudini praeiudicare poteſt.

(18) *Matth. XIX.* 4. *ſeq.* (19) *Libro de monogamia.*
(20) *Lib.V. haeretic. fabul. cap.*26. (21) 1. *ad Corinth.VI.* 39.
(22) *Hom.* 14. *in* 1. *ad Timoth.* (23) *Haereſ.*48. *p.* 179.
(24) *Catecheſ. illuminat.* 4. *p.* 22. (25) *De viduis cap.* 4. & 11. (26) *Ep.*27. *ad Marcellam*, *ep.* 91. *ad Ageruchiam*, & *alibi*. (27) *De bono viduit. cap.* 12. *n.* 15.

ci, Latinique patres. Idem confirmavit Synodus Nicaeenſis I. (28), dum Catharos ad catholicam eccleſiam redeuntes *και διγαμοις κοινωνειν cum digamis communicare* iuſſit. Interim patres *μονογαμιαν* praeferunt digamiae, & quemadmodum illam commendant, ita ſecundas, multoque magis tertias, & ulteriores nuptias non laudant, ob incontinentiam ſcilicet nubentium, non ob honeſtatem nuptiarum (*d*). Ad rem Gregorius Nazianzenus (29): *Primum*, inquit, *matrimonium, νομος lex eſt; ſecundum, συγχωρησις permiſſio; tertium, παρανομια iniquitas; quartum, χοιρωδης vita porcina.* Hieronymus (30) docet, *non damnari in eccleſia digamiam, immo nec trigamiam, & ita licere quinto, ſexto, & ultra, quomodo & ſecundo marito nubere: ſed quomodo non damnantur iſtae nuptiae, ita nec praedicantur. Solatia miſeriae ſunt, non laudes continentiae.* Ob eamdem incontinentiae ſuſpicionem ſecundae nuptiae *caſtigata fornicatio* dicuntur Baſilio (31), ac *indicium intemperantiae* Pſeudo-Clementi (32). Hinc digami nec ſollemniter benedicebantur, nec coronabantur, & porro irregulares habentur: qua de re dicam ſuo loco. Quin quartum connubium ne Imperatori quidem a Graecis permiſſum, liquet ex turbis ob improbatas a Nicolao patriarcha CPolitano quartas Leonis Sapientis nuptias

(28) *Can.* 8. (29) *Orat.* 31. *quae eſt in cap.* 16. *Matth.*
(30) *Apologia pro libris adv. Iovinian.* Vide plura apud Rittershuſium *ſacr. lect. lib.III. cap.*25. (31) *Ep. ad Amphiloch. can.* 4. (32) *Lib.III. Conſt. Apoſt. cap.* 2.

(d) Inter ipſos ethnicos non defuere, qui *διγαμιαν*, & *τριγαμιαν* ſucceſſivam pro crimine habuerint. Conf. Berneggerum *quaeſt.* 110. *ad Tacit.*, Io. Beverovicium in *quaeſtionib. epiſtolic. p.* 14., & Petr. Muller *diſſ. de odio ſecundarum nuptiarum*. Legis Atticae, qua mulier tertio nubens infamis habebatur, meminit Syrianus *not. ad Hermogen. p.* 101.

ptias obortis. Audiatur Pſeudo-Clemens (33): *Quod ſupra tertium coniugium eſt* ,ἡ προφανης πορνεια *manifeſta fornicatio*, *& minime dubia laſcivia eſt*. Quae tamen doctrina a catholica abludit.

CAP. XIV.

De divortiis.

§. I. NUnc de divortiis ex iure evangelico, quod eccleſia ſervat, potiſſimum ediſſeram (*a*) (*b*). Di-

(33) *Cit. loc.*

(a) Num iure naturae matrimonium ſit indiſſolubile, diſputatur? Adfirmant inter alios Wolfius *de iur. natur. part.* 7. *cap.* 5. & Browerus *de iur. connub. lib. II. cap.* 28. *n.*7. *ſeqq.* Negant contra Lockius *de regimin. civil. cap.*6. §. 2. *& ſeqq.* Barbeyracius *ad Puſendorf. de iur. nat. & gent. lib.VI. cap.*1. §. 20. *not.* 3. aliique. Sane nec nuptialis contractus natura, nec fines eius perpetuitatem neceſſario requirunt. Matrimonium eſt ſocietas mutuo conſenſu ad prolem procreandam & educandam inita: proinde contractus hic ſolvi mutuo coniugum diſſenſu poteſt, modo tertio praeiudicium non inferatur. Matrimonii namque finis, nempe prolis procreatio & educatio, vetat, ſocietatem hanc indiſcriminatim diſſolvi. Hinc ne mutuo quidem conſenſu divertere coniuges poſſunt, ſi filios nondum ſuſceperint, ne ſui exitium inde ſibi metuat genus hominum; ſi liberos procreaverint, ſed nondum educaverint, ne in legem educandae prolis impingant. Quod ſi coniuges filios iam genuerunt & educarunt, aut eorum ſaltem educationi conſuluerunt, poſſunt mutuo conſenſu a matrimonio reſilire. Locus quoque ſolutioni eſſe poteſt, ſi primaria matrimonii iura violentur, puta, ſi coniux debitum coniugale conſtanter deneget, ſi alterum coniugem malitioſe deſerat, aut ſi adulterium admittat. His enim caſibus integrum laeſo coniugi eſt, matrimonium diſſolvere, modo ſuſceptae prolis educationi proſpiciatur, quum naturali rationi ſit conſonum, intempeſtive abrenunciari ſocietati poſſe, ſi conditio, qua conflata erat ſocietas, non praeſtetur.

(b) Iudaeis repudium fuiſſe permiſſum, liquet ex Deutero-

 no-

Divortium aut *proprium* eſt, aut *improprium*; quorum

nomii *cap.* 24. Repudiare autem uxorem non licebat, niſi dando ei libellum, quem Graeci *βιβλίον αποστασιυ* *ſchedam abſciſſionis* adpellant. Eius formulam exhibent Seldenus *lib. III. uxor. Hebr. cap.* 24., & Petitus *var. lect. cap.* 22. Initio tantum viris dimittere uxores licebat ob graviores cauſſas (quamvis ob leviſſimas id ſaepe factum indignetur Malachias *cap.* 2. *v.* 16.); tum etiam uxores coeperunt a maritis divertere, iiſque libellum repudii mittere. Prima fuit Salome, ſoror Herodis Regis, Antipatri filia, quae diſcedere a marito ſuo auſa eſt, Ioſeph. *p.* 532. *edit. Lipſienſ.* Deinde eius exemplum plures ſequutae ſunt, ut Herodias, de qua idem Ioſeph. *p.* 626., Thecla, de qua Baſilius Seleucienſis in eius vita. Conf. Seldenum *in uxor. Hevraic. p.* 401. 410. & 415. *ſeq.*, Buxtorfium *de ſponſalibus & divortiis Hebraeorum*, Grotium *ad Matth V. v.*31., & interpretes ad *Deuter. cap.*24. Num vero apud Hebraeos per libellum repudii ſolveretur matrimonii vinculum, novumque inire matrimonium fas eſſet, diſputatur. Adfirmat inter alios Bellarminus *de matrim. cap.* 17. Contra illicitum ſemper fuiſſe repudium, ſed permiſſum tamen a Moyſe maioris mali declinandi gratia, tuentur Eſtius in 4. *Sent. diſt.* 33. §. 9., aliique. Sane Chriſtus *Matth.* 19. Iudaeis interrogantibus, an liceret *uxorem dimittere quacumque ex cauſſa*, reſpondit id obſtare inſtitutioni matrimonii, eiuſque vinculo: iis autem legem repudii a Moyſe latam obiicientibus repoſuit: *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic*. Non apud Hebraeos modo, ſed & apud Macedones, Athenienſes, aliaſque gentes repudium obtinuit. Conf. Meurſium *lib. I. Themid. Attic. cap.* 19. Apud Romanos divortium per annos fere ſexcentos ab V. C. inauditum fuiſſe, ſcribit Tertullianus *Apologetic. cap* 6. Primus Sp. Carvilius Ruga an. V. C. 523. uxorem dimiſit, ſterilem cauſſatus. Gellius *lib. IV. Noct. Attic. cap.* 17. & 51. Poſtea divortium adeo vulgare fuit, ut levi de cauſſa viri ab uxoribus, atque hae viciſſim a viris diſcederent. Seneca *lib. III. de benefic. cap.*16. teſtatur, *illuſtres quaſdam, & nobiles feminas non conſulum numero, ſed maritorum annos ſuos computare, & exire matrimonii cauſſa, nubere repudii*. Vid. Zachar. Huber. *diſſ. de ritu & licentia divortiorum apud Romanos, tom. II. eius diſſertationum p.* 127. *ſeqq.*, & Brovverum *lib. II. de iure connubior. cap.* 1. Sub

chri-

rum illud matrimonii vinculum ſolvit; hoc dumtaxat a toro & cohabitatione coniuges ſeiungit. In eccleſia ex Chriſti inſtitutione matrimonii conſummati vinculum perpetuum eſt, nec alterius coniugis adulterio, aliave quavis de cauſſa diſſolvi poteſt. Id & ſacris litteris, & traditione docemur. Diſerte Marcus (1): *Quicumque*, inquit, *dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam*. Et Lucas (2): *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram*

V 3

(1) *Cap.* 10. *v.* 2. (2) *Cap.* 16. *v.* 18.

chriſtianis quoque Imperatoribus uxorum repudium ſtetit. Conſtantinus, Honorius, Theodoſius iunior, Valentinianus III., Anaſtaſius, & Iuſtinianus legibus ſuis, quae extant in Codice Theodoſiano *lib. III. tit.* 16. & Iuſtinianeo *lib. V. tit.* 17. & *lib.IX. tit.9.*, ſanxerunt, matrimonium miſſo repudio diſſolvi, aliudque iniri poſſe, certaſque definierunt cauſſas, ob quas & vir uxorem, & uxor maritum repudiare poſſet. Vid. Seldenum *lib. III. uxor. Hebraic cap.* 24. 30. *ſeqq.*, & Ioſeph. Mottam *diatriba de divortiatorum iure*. At divortiorum cauſſas, excepto adulterio, ab Imperatoribus excogitatas, legibuſque civilibus receptas, tranſitumque ad alia vota poſt divortium, numquam admiſit eccleſia, Chriſti doctrinae adhaerens. Appoſite Hieronymus *ep.* 84. *ad Oceanum: Aliae ſunt*, inquit, *leges Caeſaris, aliae Chriſti: aliud Papinianus, aliud Paullus noſter praecipit*. In eadem epiſtola Fabiolam peccaſſe ait, quod, repudiato marito adultero, *non innupta permanſerit*; tum eam excuſat, quod adoleſcentula eſſet, & civili iure permitteretur repudium, *nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi univerſa cauſſatio, viventibus viris, feminis amputatur*; tandem publicam poenitentiam a Fabiola poſt ſecundi viri obitum peractam enarrat. Conſonat Auguſtinus *Serm.* 392. *n.*2.: *Non vobis*, ait, *licet habere uxores, quarum priores mariti vivunt; nec vobis, feminae, habere viros licet, quorum priores uxores vivunt. Adulterina ſunt iſta coniugia non iure fori, ſed iure caeli*. Conf. Coteler. *ad PP. Apoſt. tom.* 1. *p.*87. *ſeqq.*, Io. Schilterum *in obſervationib. ad Auguſtinum de adulterinis coniugiis*, Stephan. le Moyne *in variis ſacris tom.* 1. *p.* 291., & Io. Meyerum *in uxor. chriſtian. diſſ.* 3.

ram ducit, *moechatur*; *& qui dimiſſam a viro ducit*, *moechatur*. Conſonat Paullus (3), qui mulierem legi alligatam ait, *quamdiu vir eius vivit*, adeoque non niſi mortuo viro ab eiuſmodi nexu ſolvi. At enim integrum viro eſſe uxorem adulteram dimittere, & aliam ducere, adfirmare videtur Chriſtus apud Matthaeum [4]: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam*, *niſi ob fornicationem* (ειμη ἐπι πορνεια), *& aliam duxerit*, *moechatur*; *& qui dimiſſam duxerit*, *moechatur*. Video: ſed exceptio illa, *niſi ob fornicationem*, ad praecedens verbum *dimiſerit*, non ad ſubſequens *duxerit*, referenda eſt; ita ut ſenſus ſit, haud eſſe dimittendam uxorem non adulteram; eum vero, qui, dimiſſa ob adulterium uxore, aliam duxerit, moechari. Tota itaque oratio elliptica eſt, quod loquendi genus Hebraeis admodum familiare fuit, hoc pacto ſupplenda & intelligenda: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam* (quod non licet niſi ob fornicationem), *& aliam duxerit*, *moechatur*. Simile eſt, ſi dicam, quicumque mulierem cognoverit, niſi in coniugio, & libidini ſuae obſecundatus fuerit, peccat. Eſt hoc Auguſtini (5) interpretamentum, quod & alii veteres, & theologorum doctiſſimi fere ſequuntur. Iſtud ex eo confirmatur, quod Marcus, & Lucas, Chriſti reſponſum Phariſaeis datum referentes, haud meminere exceptionis, *niſi ob fornicationem*; ſed ἁπλως & ſine ulla reſtrictione adſeruerunt, adulterium ab eo patrari, qui priore uxore dimiſſa aliam duxerit. Sed & traditione compertum eſt, matrimonii nexum ob quamcumque cauſſam indiſſolubilem eſſe. Ex Graecis prae ceteris Hermas

(3) *I. ad Cor.VII.* 39. & *ad Rom.VII.* 3. (4) *Cap.* 19. *v.* 9. (5) *Lib. I. de coniug. adult. cap.* 11. *n.* 12. *ſeq.*

mas Paſtor (6) ſcribit: *Si* (vir) *dimiſerit mulierem, & aliam duxerit, & ipſe moechatur*. Baſilius (7): *Non audis*, inquit, *quoniam qui dimiſſam duxerit, moechatur? Etſi enim, ait, pro culpa dimiſſa eſt, vivit tamen vir eius*. Et Chryſoſtomus (8): *Expulſa quoque uxor eſſe eius, qui eam expulit, perſeverat.* Ex Latinis eamdem doctrinam tradidere Hieronymus (9), Innocentius I. (10), Auguſtinus (11), aliique veteres. Hoc idem in Comitiis Florentinis (12), ac Tridentinis (13) definitum eſt (c).

§. II. Iam vero matrimonium ratum, non conſummatum per ſollemnem religionis profeſſionem alterius coniugum dirimitur, uti definivit Tridentina Synodus (14). Idem iam antea Salernitano archiepiſcopo reſcripſerat Alexander III. (15). Sed & matrimonium *ratum*, non *conſummatum* ex diſpenſatione diſſolvit Summus Pontifex: qua in re conveniunt Canoniſtae ac Theologi prope omnes (d). Si enim ma-

(6) *Lib. II. mandato* 4. (7) *Lib. de virginit. p.* 755.
(8) *Hom.* 17. *in Matth.* Vid. Arcud. *lib. VII. Concord. cap.* 13.
(9) *Ep.* 84. *ad Oceanum*. (10) *Ep. ad Exuper. cap.* 6.
(11) *De bono coniug. cap.* 7., *De nupt. & concupiſc. lib. I. cap.* 10., *aliiſque in locis*. (12) *In Inſtruct. Armenor.*
(13) *Seſſ.* 24. *de ſacram. matrim. can.* 7. (14) *Cit. ſeſſ.* 24. *can.* 6. (15) *Cap. II. ext. de converſ. coniugator.*, in quod vide peculiarem Caroli Blaſci diatribam.

(c) Matrimonii vinculum adulterii cauſſa diſſolvi, quorumdam veterum patrum teſtimoniis adſtruere conantur Caietanus, Catharinus, Eraſmus, ac in primis Io. Launoius. Sed hos fruſtra ab illis ſuppetias ſibi quaerere, demonſtrant Nourrius *Apparat. ad Bibliothec. Patr. diſſ. IV. art.* 24. Iuenin. *de ſacram. diſſ. X. quaeſt.* 4. *art.* 3. §. 2. Bertius *de theologic. diſcipl. lib. XXXVII. cap.* 12. aliique.

(d) Dominicus Sotus *de iuſtit. & iur. lib. VII. quaeſt.* 2. *art.* 5. vinculum matrimonii rati, non conſummati diſſolvi poſ-

matrimonii tantum rati vinculum ſolubile non eſſet, nec etiam per profeſſionem religioſam ſolvi poſſet. Revera complures Romani Pontifices ad noſtra uſque tempora illud relaxarunt, inter quos Gregorius VII., Martinus V., Eugenius IV., Pius V., Gregorius XIII., Paullus III. aliique numerantur. Urbanus VIII. litteris in forma Brevis mandavit Archiepiſcopo Neapolitano, ut diſpenſaret in matrimonio rato inter Michaëlem Blanchum & Ioannam filiam Principis Conchae (e). Tandem Benedictus XIV. (16) modum relaxandi matrimonium ratum, non conſummatum praeſcripſit. Diſpenſatione autem conceſſa, uterque coniux ad alia vota tranſire poteſt.

§. III. Multis vero de cauſſis matrimonium etiam conſummatum ſolvitur quoad torum & cohabitationem, integro connubii foedere manente. Solam *fornicationis* cauſſam Chriſtus expreſſit, ob quam licere coniugibus divertere quoad torum dumtaxat, docet eccleſia. Quod ſi coniugum uterque fidem fregerit, parem iniuriam mutua compenſatione delebunt, ut Innocentius III. (17) reſpondit. Etenim *nihil iniquius eſt, quam fornicationis cauſſa dimittere uxorem, ſi & ipſe vir convincitur fornicari*, inquit Auguſtinus (18). Virum adulterii poſtulare uxorem, *cui moribus ſuis non praebuit caſtitatis exemplum*, perlata lege vetuit An-

(16) Conſt. *Dei miſeratione*. (17) *Cap. 7. ext. de adulteriis.*
(18) *De bono coniug. cap. 7.*

ſe negat. Ab eo diſſenſit Card. Caietanus *tom. I. opuſc. tract.* 28. At Soto obſtant communis Canoniſtarum & Theologorum conſenſus, & auctoritas ſummorum Pontificum, qui in matrimonio rato a pluribus abhinc ſaeculis paſſim diſpenſarunt.

(e) Vide Chriſtoph. Coſci *de ſeparatione tori coniugalis lib. I. cap.* 16. & Dominic. Urſaya *diſcept. eccleſ. tom. I. part. I. diſcept. 3. & tom. 3. part. I. diſcept. 21.*

Antoninus Imp., cuius idem meminit Auguſtinus (19). Alias divertendi cauſſas eccleſiaſticum ius ſuperaddidit, uti ſunt idololatria, apoſtaſia, haereſis, viri ſaevitia, coactio uxoris ad ſcelera, necis machinatio, idque genus aliae (20).

C A P. XV.

De eccleſiis.

§. I. A Sacramentis ad eccleſias decedamus. Eccleſia, *ἀπο τȣ ἐκκαλειν ab evocando* dicta, proprie ſignificat populi conventum ad ſacra, vel civilia pertractanda. Athenis ea vox uſurpata eſt pro populi concione. Ammonius: *Athenienſes*, ait, *ἐκκλησιαν appellabant conventum civium*. Apud chriſtianos eccleſia olim coetum fidelium denotavit. Ignatius martyr (1): Ἐκκλησια ἐκλεκτη, συνϑροισμα ἁγιον, συναγωγη ὁσιων, *eccleſia electa, coetus ſanctus, ſynagoga ſanctorum*. Cyprianus (2) eccleſiam definit *plebem ſacerdoti adunatam, & gregem paſtori ſuo inhaerentem*. Iſidorus Peluſiota (3): *Coetus ſanctorum*, inquit, *ex recta fide, atque optima vivendi ratione collectus, eccleſia eſt*. Hac una ſignificatione eccleſia primo ſaltem ſaeculo accepta eſt. Deinde metonymice uſurpata eſt pro ipſo loco, in quem chriſtiani ad Dei cultum conveniunt; quo ſenſu primus videtur ſaeculo ſecundo deſinente uſus Clemens Alexandrinus (4): Ὀυ νυν τον τοπον, ἀλλα το ἀϑροισμα των ἐκλεκτων, ἐκκλησιαν καλω, *Non locum, ſed congregationem electorum, nunc eccleſiam voco*. Iſidorus Pe-

(19) *Lib. II. de coniug. adult. cap.* 8. (20) Vide titulum Decretalium *de divortiis*. (1) *Ep. ad Trallenſ.* (2) *Ep.* 66. (3) *Lib. II. Ep.* 246. (4) *Strom.* 7.

Peluſiota (5) ἐκκλησιαν & ἐκκλησιαςηριον ita diſtinguit, ut per ἐκκλησιαν intelligat *coetum fidelium*, per ἐκκλησιαςηριον *aedificium*, in quo congregatio fit. Eccleſia, poſteriori hoc ſenſu accepta, eſt locus ſeu aedificium adeo fixum, & divino tantum cultui deſtinatum, ut non humani aut privati, ſed divini iuris & uſus ſit.

§. II. Sic acceptam eccleſiam diverſis nominibus veteres ob varia adiuncta cohoneſtarunt. A Deo ipſo omnium Domino, cui dicabatur, dixerunt κυριακον, *Dominicum:* quod nomen ſaepe occurrit in conciliis Ancyrano (6), Neocaeſarienſi (7), Laodiceno (8), Trullano (9), aliiſque. In edicto Maximini pro chriſtianis (10), his τα κυριακα *Dominica ſua extruere conceditur*. Conſtantinum M. κυριακα *ad gentilium converſionem ſingulis locis Chriſto extruxiſſe* refert Euſebius (11). Latini etiam vocant *Dominicum*, vel *Dominicam domum*, ut Cyprianus (12), aliique. Sic eccleſiam Antiochiae a Conſtantino inchoatam, a Conſtantio perfectam & dedicatam, *Dominicum aureum* adpellat Hieronymus (13). A fidelium vero conventu dicta eſt *concilium*, *conciliabulum*, *conventiculum*, συνοδος, quae vocabula, etſi quemvis hominum coetum proprie ſignificent, ad ipſum tamen locum eiuſmodi congreſſibus habendis perpetuo deſtinatum translata ſunt. Ita Conſtantinus M. (14) cuique permittit bona ſua *ſanctiſſimo catholico*, *venerabilique concilio* (hoc eſt eccleſiae) relinquere. Hieronymus (15) *martyrum conciliabula* vocat

(5) *Cit. loc.* (6) *Can.* 15. (7) *Can.* 5. (8) *Can.* 28.
(9) *Can.* 74. (10) Apud Euſeb. *lib. IX. cap.* 10.
(11) *De laudib. Conſtantin. cap.* 17. (12) *Lib. de opere & eleemoſyn.* Vid. Fellum *in obſ. ad h. l.* (13) *In Chron.*
(14) *L.* 4. *C. Th. de epiſcop.* (15) *Ep.* 3.

cat eccleſias ſuper martyrum ſepulcra poſitas. S.Gaudentius (16) quamdam eccleſiam *concilium ſanctorum* adpellat. *Conventicula* memorantur a Lactantio (17), & Arnobio (18). Nondum enim *conventiculorum* nomen haereticorum conventibus tributum fuerat. A fine eccleſia dicta eſt *εὐκτήριον oratorium*, *οἶκος εὐκτήριος*, *domus orationis*, *προσευκτήριον*, *προσευχή*, *oratorium*; quod locus ſit tantum orationi dicatus. Olim oratorium quemvis ſacrum locum, ſeu eccleſiam ſignificavit, ut ex Euſebio, (19), Socrate (20); aliiſque conſtat. Saeculo ſexto oratorii nomen coarctatum eſt ad parva ſacella, in quibus ob loci anguſtias nec fidelium conventus celebrari poterat, nec proprie nomen eccleſiae iis adcommodari, aut quae parochiali iure carebant. Ita *oratoria* dicta ſunt ſacella monaſteriis adiuncta, quae non omnibus patebant, ſed tantum ad monachorum preces & adſiduos cantus adcommodata erant. Eiuſmodi monachorum aedes *oratoria* vocant S. Benedictus (21), & Gregorius M. (22). Sic etiam *oratoria* dicta ſunt ſacella quaedam domeſtica, aut privatae aedes ſacrae in agris & villis extructae, quae parochiarum ius non habebant, & a magnatibus ex fundis ſuis dotabantur, & ab epiſcopis conſecrabantur. Hae ſacrae aedes icirco oratoria, non eccleſiae, dictae ſunt, quia parochiali iure carebant, adeoque in iis nec baptiſmus conferebatur, nec ullus presbyter *incardinabatur*, quae parochiarum indicia ſunt; quamvis presbyteri & clerici ſacra miniſteria ibi obirent. Conci-

(16) *Serm.* 18. *in dedicatione baſilicae martyrum*.
(17) *Lib. V. cap.* 2. (18) *Lib.IV. contra gent.* (19) *Lib. X. cap.*3. (20) *Lib.V. H. E. cap.*7. (21) *In regula cap.*52.
(22) *Lib. I. ep.* 56. *ad Petr. Subdiac.*, & *lib. IX. ep.* 44. *ad Ruſſician.*

cilium Agathenſe an. 506. (23) permittit divitibus habere *oratorium* in agro, idemque a parochiis ſeiungit. Diſerte oratoria a parochiis diſcernunt Synodus Epaonenſis an. 517. (24), & Arvenenſis an. 535. (25). Saepe Gregorius M. *oratoria* vocat ſacras aedes, in quibus parochialia officia exerceri non poterant, & miſſis publicis carebant. Etenim Fortunato epiſcopo Neapolitano (26) iniungit, ut *oratorium* a Ianuaria religioſa femina in *Maſſa Furiana iuris ſui* erectum conſecret, *ita ut in eodem nec futuris temporibus baptiſterium conſtruatur*, *nec presbyterum cardinalem conſtituat*. Eadem lege permittit Caſtorio Ariminenſi antiſtiti (27) oratorium conſecrare a Timothea illuſtri femina intra civitatem Ariminenſem *in loco ſui iuris* extructum. In eiuſmodi ſacellis miſſae permittebantur propter fatigationem familiae, exceptis maximis feſtivitatibus, quas presbyteri, qui in iis ſacra peragunt, & laici in civitatibus cum epiſcopis tenere iubentur, ut habent Capitularia Caroli M. (28). Apud Graecos etiam εὐχτήρια *oratoria* per oppoſitionem cum eccleſiis dicta ſunt ſacella, in quibus non niſi ex peculiari epiſcopi venia licebat miſſas agere, ac baptizare, quod eccleſiarum parochialium proprium eſt. Hinc Concilium Trullanum (29), Iuſtinianus (30), & Leo Sapiens (31) in eo potiſſimum eccleſias ab oratoriis ſeiungunt, quod in illis ſacrificia offerre, & baptizare liceret, in his non item.

§. III. Sed & aliis nominibus eccleſiae a veteribus chriſtianis donatae. Latinis dictae ſunt *tituli*. De-

(23) *Can.* 21. (24) *Can.* 25. (25) *Can.* 15. (26) *Lib. VII. ep.* 85. (27) *Lib. II. ep.* 12. (28) *Lib. V. Capitul. cap.* 383. (29) *Can.* 58. (30) *Nov.* 131. (31) *Nov.* 15.

Denominationem hanc *a titulis fiſcalibus* arceſſit Baronius (32); ut enim impoſito titulo, hoc eſt, velis purpureis, Imperatoris imagine vel nomine inſcriptis, res privatorum, aut reorum fiſco addicebantur, teſte Aghatia (33), ita chriſtiani crucis imagine, vel Chriſti nomine eccleſiae inſcripto locum religionis cultui addictum ſignificabant. Alii vero, quod eccleſiae veſtibulis Sancti, cui dicata erat, nomen inſcriberetur. Nonnulli, quod inde addicti clerici nomen ſuum ducerent. Sed magis eſt, ut titulos eccleſias dictas arbitremur a *titulis*, ſeu ſepulcris martyrum, vel confeſſorum, in aedibus ſacris reconditis; primae namque eccleſiae non niſi ad martyrum illorum ſepulcra ſeu titulos extructae ſunt, quibus etiam eorum nomina inſcribebantur. Initio nullum inter titulum & eccleſiam diſcrimen fuit. Labente vero tempore tituli dictae ſunt tantum eccleſiae baptiſmales, ſeu paroeciales, uti probat Muratorius (34). Saeculo quarto eccleſiae adpellatae ſunt *templa*; quo nomine, utpote idolis tributo, primis tribus ſaeculis abſtinuerunt chriſtiani. Quin templa opponebantur eccleſiis. Sic Aurelianus imp. (35) *templa gentilium* opponit *eccleſiis chriſtianorum*. In Chronico Alexandrino (36) *το ἱερον templum* & *ἐκκλησια eccleſia* invicem opponuntur. Reddita vero pace, idolis paſſim deiectis, templiſque in eccleſias conſecratis, hac *templa* vocatae ſunt ab Euſebio (37), Ambroſio (38), aliiſque. Quin quarto adhuc ſaeculo templi nomine gentilium fana veniebant, & tem-

(32) *Ad A. C.* 112. *n.*5., & *ad Martyrologium* 26. *Iulii.*
(33) *Lib. V.* (34) *Diſſ.* 71. *medii aevi.* (35) Apud Vopiſcum *in vit. Aurelian.* (36) *Sub Olympiad.* 289. (37) *Lib. X. H. E. cap.*2. *&* 4. (38) *Ep.*33. *ad Marcellin.*

templorum cultus pro cultu gentilitio uſurpabatur; ut obſervat Gothofredus (39). Poſt Conſtantinum M. eccleſiae dictae quoque *baſilicae:* quo nomine antea veniebant ſolae aedes regiae in publicum uſum poſitae; deinde multis baſilicis in chriſtianorum eccleſias converſis, his tale nomen haeſit. Tandem, ſi cui prophetae, apoſtolo, aut martyri ſacrabatur eccleſia, ea προφητειον *propheteum*, ἀποςολειον *apoſtoleum*, aut μαρτυριον *martyrium* dicebatur (40).

§. IV. Quo primum tempore eccleſiae, hoc eſt loca ſtabilia, religionis cultui tantum addicta, conſtrui coeperint, non ſatis liquet (*a*). Vero propius eſt,

(39) *Ad L. 1. C. Th. de fide cathol.* (40) Conſ. Suicer. *theſ. eccleſ. his vocib.*

(a) De origine eccleſiarum diſſentiunt eruditi. Nullas tribus primis ſaeculis eccleſias chriſtianis fuiſſe, contendunt Vedelius *exercit. in epiſt. Ignatii ad Epheſ. cap. 4.*, Suicerus *theſ. eccleſ. v.* ναος *tom. II. p. 387.*, Boëhmerus ad *Plinium Secundum & Tertullianum diſſ. II.* quae eſt *de antelucanis chriſtianorum coetibus*, Zieglerus *diatrib. de dote eccleſiae, eiuſq. iurib. cap. 2.*, aliique plures. Urgent in ſuam ſententiam ſaeculi tertii ſcriptores Origenem *lib. VIII. contr. Celſ. n. 17.* & Minucium Felicem *in Octavio p. 10.*, itemque quarti Arnobium *lib. VI. adv. gent. p. 189.* & Lactantium *lib. II. de falſ. relig. cap. 11.* ac *libro de ira Dei*, apud quos Celſus Epicureus, Caecilius, aliique gentiles chriſtianos impietatis accuſant, quod *nullas aras, nulla templa, nulla nota ſimulacra haberent*, idque noſtri non negant, At hinc non conficitur, chriſtianos ſaeculo tertio & quarto templis ariſque caruiſſe; ſed tantum eos talia templa & aras non habuiſſe, qualia ethnici habebant, nempe idolorum & idololatriae plena. Sane gentilibus divinitatem idolis includentibus, & chriſtianis templorum & ſimulacrorum defectum obiicientibus, repoſuerunt ſacrorum noſtrorum apologetae, labi ethnicos, qui Deum unius templi, aut ſimulacri anguſtiis coërcerent; noſtros autem a ſuperſtitione Deorum abeſſe, qui homines templa Dei eſſe crederent, eoſque orantes Deo vero ſacrificare, quocumque tan-

eſt, chriſtianos integro fere primo ſaeculo eccleſiis ca-tandem loco orarent, quum ubique Deus adſit. Quum illi ſic diſputarent, occultabant, quae ad eccleſias, altaria, & ſacra noſtra pertinebant, ne ab ethnicis de more irriderentur. Contra ab apoſtolicis temporibus chriſtianos eccleſias habuiſſe, ſtatuunt Ciampinus *vet. monument. cap.* 18., Schelſtratenus *ad Conc. Antiochen. p.* 181. *ſeqq.*, Fullerus *lib.II. Miſcellan. cap.* 9., Ioſeph Medus peculiari libro, quem ex Anglico Germanice redditum cum *praefatione de origine & veneratione templi Iudaici & chriſtiani* edidit Henricus Ludov. Bentheim Hanoverae 1706. 4., Binghamus *lib. VIII. origin. eccleſ. cap.* 1. §. 13. *ſeqq.*, aliique permulti. Hi oſtenſuri primo ſaeculo diſtincta divini cultus loca extitiſſe, laudant Paulli verba 1. ad Cor. XI. 22.: *Num domos non habetis ad edendum & bibendum, aut την ἐκκλησιαν τυ Θευ eccleſiam Dei contemnitis?* To enim *eccleſiam* pro ipſo coetus loco accipiunt Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus, aliique interpretes. Addunt Euſebium *lib. II. hiſt. eccleſ. cap.* 17., qui therapeutas in Aegypto inde a temporibus Marci σεμνεια ſeu loca divino cultui conſtituta, habuiſſe refert. Verum, etſi patrum multi την ἐκκλησιαν apud Paullum conventus locum interpretati ſint, vetera novis metientes; nihil tamen obſtat, quominus non de loco, ſed de coetu fidelium explicetur: quod cum alia, tum contextus ipſe ſuadet. Et quamvis detur, eccleſiam illic locum ſacris deſtinatum ſignificare, tamen inde non conficitur, illum certum fixumque, ac divini iuris fuiſſe. Quod ad Euſebium, therapeutas non chriſtianos, ſed Iudaeos fuiſſe, ſat norunt cordatiores hac in re eruditi. Eoſdem ulla habuiſſe templa nego; commune eorum ſemneum ſynagogae potius, quam templi chriſtiani ſimile erat. Quin illud potius ſynagoga cenſendum eſt. Ab eo aberat vinum (huius enim haud meminit Philo *lib. de vit. contempl.*) quod in coetibus chriſtianorum praeſto erat. Nullos therapeutae presbyteros, ac diaconos ordine ſacros, quales ſunt chriſtianorum, habuerunt. Meminit quidem Philo των διακονουμενων, quo nomine eos, qui menſis miniſtrabant, deſignat, quos iuvenes fuiſſe ſubdit; quum contra apoſtolici viri eos ſeligerent diaconos, qui praedicare evangelium poſſent, quae res non iuvenes, ſed viros graves poſcebat. Therapeutarum presbyteri non dignitate, ſed aetate fiebant; qui enim a prima aetate hoc inſtitutum amplexi erant, ii *presbyteri* dicebantur, et priores ſedes occupabant. Phi-

caruiſſe; eaſdem autem ſecundo, tertioque ſaeculo habuiſſe conſtat. Iam inde a chriſtianiſmi cunabulis commendata in unum congregatio eſt, quod communibus precibus fraterna caritas augetur, & multorum conſentientium oratio Deo acceptior eſt: quod argumentum perſequuntur Ignatius martyr (41), & Tertullianus (42). Hinc maiores noſtri, vel ſaeviente perſecutionum rabie, *συνάξεις conventus* egerunt propter auditum verbi Dei, uſum ſacramentorum, & preces communes. Nimirum apoſtoli, qui gente Hebraei erant, & chriſtiani, qui plerique ex Iudaeis erant, cum in templo Hieroſolymitano, tum in ſynagogis Iudaeorum orabant (43) (*b*); & porro ad

(41) *Ep. ad Magneſian.* (42) *In Apologetic. cap.* 39.
(43) *Act. II.* 46. & 13. 14. *ſeqq.*

Philo aetatis, ac diuturni vitae therapeuticae cultus ſaepe meminit, ordinationis numquam. Adhaec therapeutas Bacchantum more in ſuis ſemneis ſaltaſſe, idem narrat Philo. In eccleſiis autem ſaltare hoc modo chriſtianos conſueviſſe, quis concoquat? Quae cum ita ſint, magis eſt, ut apoſtolicis temporibus eccleſias defuiſſe, eaſque ſaeculo ſecundo & tertio iam conſtitutas, ſtatuamus.

(b) Initio quum nomen chriſtianum non adeo pervulgatum eſſet, chriſtianiſmus tamquam Iudaiſmi ſecta habitus eſt, proinde chriſtianos ex gente ſua in ſynagogas & coenacula admiſerunt Iudaei. Sane primi chriſtiani ab ethnicis *Iudaei* adpellati, cumque Iudaeis confuſi ſunt; idque factum, quod chriſtiana religio inſtituta fuerit a Chriſto in Iudaea orto, & ab apoſtolis gente Iudaeis propagata; ſacra quoque biblia, multaque dogmata chriſtianis & iudaeis communia eſſent, ac plerique chriſtiani originem ex Iudaeis ducerent. A Claudio Imp. *Iudaeos, impulſore Chreſto, aſſidue tumultuantes*, Roma pulſos, refert Suetonius in *Claud. cap.* 25. Nomine autem *Chreſti* indicat *Chriſtum*, cuius cauſſa diſſidebant Iudaei, aliis eum meſſiam ſtatuentibus, aliis contra negantibus. Et Lucas *Act. XVIII. v.* 2. *Iudaeos* omnes a Claudio Urbe eiectos ait; adeoque etiam eos, qui chriſtianam religionem profitebantur. Aci-

ad propriae religionis exercitium conveniebant in oratoria domeſtica, quae apud Hebraeos erant hyperoa ſeu coenacula in ſuperiore parte aedium ut plurimum exornata in privatum pietatis exercitium; qui vero ex gentilibus Chriſto nomen dederant, in privatis aedibus conveniebant (44). Nemo autem pro eccleſiis chriſtianorum iactabit aut ſynagogas, aut privata haec loca, in quibus ii religionis cauſſa coibant. Porro chriſtianis ἐπὶ τῶν ἀποστόλων ἐκκλησιαστήρια οὐκ ἦν, *Apoſtolorum aetate nulla templa erant*, inquit Iſidorus Peluſiota (45). Nec eccleſias tum temporis fuiſſe, adſtrui ex ſcriptis apoſtolicis poteſt, ut ſupra in ſubiecta adnotatione vidimus (*c*). Secundo

(44) *Act.* 13. & *alibi*. (45) *Lib. II. ep.* 246.

Acilium Glabrionem ſupplicio affectum, quod atheiſmi fuiſſet accuſatus, & ex ethniciſmo ad *Iudaeorum* religionem tranſiſſet, teſtatur Dio in *Domitiano*. Heic *Iudaeorum* nomine *chriſtianos* ſignificari, obſervant Baronius ad *A. C. XCIV. n.*1. & Huetius in *demonſtr. evang. prop.*3. *n.*22. Idem Dio *ibid.* a Domitiano Fabium Clementem morte affectum, & Flaviam Domitillam in inſulam Pandatariam relegatam addit, quia εἰς τὰ τῶν ἰουδαίων ἤθη *in mores Iudaeorum* tranſierant: quo nomine chriſtianos intelligi, conſtat ex Euſebio *lib. III. hiſt. eccleſ. cap.* 18. & Hieronymo in *epitaphio Paullae*. Ab eodem Dione in *Nerva* proditum eſt, vetuiſſe Nervam, ne quis alium οὔτ' ἀσεβείας οὔτ' ἰουδαϊκοῦ βίου καταιτιᾶσθαι, *nec contemtus Deorum*, *nec Iudaicae vitae* (hoc eſt chriſtianiſmi) *accuſaret*. Spartianus in *vit. Antonini Caracallae* de hoc imperatore inquit: *Septennis puer, quum Colluſorem ſuum puerum, ob Iudaicam* (hoc eſt chriſtianam) *religionem gravius verberatum audiſſet, neque patrem pueri, vel auctores verberum diu reſpexit.*

(c) Ad fabulas ergo ableganda, quae de magnificis chriſtianis eccleſiis, aetate Apoſtolorum conditis, leguntur apud Abdiam Babylonium, alioſque eiuſmodi ſcriptores ſuppoſititios, de quibus vide Bivarium *ad pſeudo-Dextri Chronic. A.* 34. *p.*58., & Florentinum *ad Martyrologium Hieronymian. p.*697. *ſeq.* & 726. *ſeq.*

do autem ſaeculo chriſtianos ſuas habuiſſe eccleſias, colligitur potiſſimum ex Clemente Alexandrino (46), qui ſe *non locum*, *ſed congregationem fidelium*, *eccleſiam adpellare* ſcribit. Tunc ergo eccleſiam non conventum modo, ſed congregationis locum deſignavit. Si nomen aderat, certe & res ipſa extabat. Idem confirmat Tertullianus (47), dum libidinum furias in corpora, inque ſexus contra naturam *non modo limine*, *verum omni eccleſiae tecto* eiectas adfirmat. Rurſus (48) diſtinguit inter baptiſterium & eccleſiam, quae loca his temporibus a ſe invicem ſeparata erant. Tertio ſaeculo chriſtianis eccleſias fuiſſe, compertiſſimum eſt. Locum publicum a chriſtianis, Alexandro Severo concedente, occupatum, & divino cultui dumtaxat addictum fuiſſe, teſtatur Lampridius (49). Dionyſius Alexandrinus (50) de eccleſiis, tamquam religionis exercitio adſignatis, edifferit. Aurelianus Imp. (51) ſenatores reprehendit, quod *tamdiu de aperiendis ſybillinis dubitaſſent libris*, *perinde quaſi in chriſtianorum eccleſia*, *non in templo Deorum omnium*, *tractarent*. Et Gallienus (52) reſcripſit, chriſtianis eccleſias ſub nomine τοπων θρησκευτιμων reſtitui. Quid plura? Euſebius (53) loquens de pacatis temporibus, quibus chriſtiani a perſecutione Valeriana, A.C. 257. excita, ad Diocletianeam uſque an. 302. motam, gaviſi ſunt, memoriae prodit, illorum multitudinem hoc vertente tempore adeo ereviſſe, ut quum priſca aedificia eos capere non potuerint, novae ac ſpatioſae eccleſiae in ſingulis urbibus fuerint excitatae. Iam

to-

(46) *Strom.* 7. (47) *De pudicit. cap.* 7. (48) *De coron. milit. cap.*3. (49) *In vit. Alexandr. cap.*44. (50) *Ep. canonic.* 2. apud Bevereg. *Synodic. tom. II. p.* 4. (51) Apud Vopiſcum *in vit. Aureliani*. (52) Apud Euſeb. *lib.VII. H. E. cap.* 13. (53) *Lib. VIII. H. E. cap.* 1.

tota res huc redit: chriſtiani temporibus apoſtolicis eccleſias non habuere, ſed in ſynagogas, coenacula, & privatas aedes convenerunt. Deinde ad pacem uſque ſub Conſtantino M. partam, certa loca religionis exercitio adſignata paſſim habuerunt. Iis tamdiu uſi ſunt, quoad nulla adverſus eos flagraret perſecutio. Quum vero tyrannorum ſaevitia, & vulgi rabie in ea loca convenire impedirentur, in cryptas, coemeteria, & latebras tales ſe contulerunt, ut explorari vix poſſent, ibique noctu ſuos conventus celebrarunt (*d*).

§. V. Quae diris perſecutionum procellis extiterunt eccleſiae, eae ſimplices & modicae fuerunt, prae fidelium ſcilicet paucitate ac paupertate, temporumque formidoloroſum ratione. Parta vero eccleſiae pace, auctoque credentium numero, eccleſiae & magnificae, & magno numero ubique poſitae ſunt. Id

 fa-

(d) Conventus chriſtianorum imperialibus edictis prohibiti, & illicitis collegiis accenſiti ſunt. Plinius *lib. X. ep 97.* Traiano narrat, ſe inquirendo reperiſſe chriſtianos ſolitos fuiſſe, *ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere . . . quod ipſum facere deſiiſſe poſt edictum meum, quo ſecundum mandata tua hetaerias* (ἑταιρίαι conventus chriſtianorum dicti) *eſſe vetueram*. Hinc chriſtiani, ne a perſecutoribus opprimerentur, clanculum & noctu in abdita loca conveniebant, uti conſtat ex Tertulliano *lib. de fuga in perſecut. cap.* 14., Plinio *cit. ep.* 97., & Traiani reſcripto apud eumdem Tertullianum *Apolog. cap.* 2. Hinc chriſtianos *latebroſam, & lucifugam nationem, in publicum mutam, in angulis garrulam*, eorumque coetus *ſacraria teterrimae coitionis*, adpellat Caecilius gentilis apud Minucium in *Octav. n.* 9. De his antelucanis chriſtianorum coetibus vide Kortholtum, Voſſium, Rittershuſium, Boehmerum, alioſque interpretes in Plinii epiſtolas ad Traianum. Adde Beveregium ad *can.* 9. *Laodicen.*, Iac. Hartmannum in *comment. de rebus geſtis chriſtianorum ſub Apoſtolis*, & Sam. Petitum *diatriba de edictis Caeſarum in gratiam chriſtianorum propoſitis*.

factum chriſtianorum Imperatorum munificentia & providentia, ac privatorum fidelium liberalitate. Chriſtiani principes ſuo ſumtu magnificas & plurimas eccleſias extruxerunt. Conſtantinus M. ſplendidiſſimas in omnibus fere Orientis partibus eccleſias erexit (*e*): quod & ſequentes Auguſti paſſim effecerunt. Quarto ſaeculo tot ſtatim excitatae a chriſtianis eccleſiae, ut in ſola urbe Roma quadraginta baſilicas aevo ſuo recenſuerit Optatus Milevitanus (54). In nimium ſplendorem & ſuperbam magnificentiam eccleſiarum ſuae aetatis invehitur Iſidorus Peluſiota (55). Idem (56) epiſcopum obiurgat, quod opibus per ſimoniam & exactiones conquiſitis magnificum templum extruxerat. Nec parum ad eccleſiarum frequentiam & ſplendorem contulerunt diverſorum imperatorum edicta de paganorum templis in eccleſias convertendis. Sub Conſtantino Deorum templa primum clauſa ſunt (57); deinde A. C. 333. legibus ipſius Conſtantini una cum reliquiis idolorum ubique everti coeperunt, ut in primis conſtat ex Eunapii, Libanii, aliorumque gentilium querelis (*f*). Faſti Idatia-

(54) *Lib. II. contr. Donat. p.* 24. (55) *Lib. II. ep.* 246. (56) *Lib. I. ep.* 37. (57) Conſ. Theodoret. *lib. V. H. E. cap.* 21. & Libanium *orat. pro templis*, edita a Iac. Gothofredo Genev. 1734. 4.

(e) Conſ. Euſebium *lib. III. de vit. Conſtantin. cap.*50. 52. *& lib. IV. cap.* 58., Socratem *lib. I. hiſt. eccleſ. cap.* 16. 17. 18. *& lib. II. cap.* 16., Io. Ciampinum in *ſynopſi hiſtorica de ſacris aedificiis a Conſtantino M. conſtructis*, Tillemontium *tom. VII. memor. p.* 10. *ſeqq.* ubi de eccleſiis a Conſtantino & Helena conditis agit, atque Georgium Whelerum *in relatione de templis primitivorum chriſtianorum*, qua tamen exponit tantum templa ſaeculo quarto & deinceps extructa, & quorum rudera adhuc ſuperſunt.

(f) Vid. Io. Guil. Hoffmannum *in ruina ſuperſtitionis paganae*

tiani ad A.C. 339.: *Manilio & Theodoro Coſſ. templa gentilium demolita ſunt Ioviano & Gaudentio Comitibus*. Spectat huc vetus inſcriptio Corcyrenſis templi, qua Iovinianus Imp. traditur ethnicorum aras & templa evertiſſe, ἑλλήνων τεμενη και βωμως ἐξαλαπαξας (58). Sub Theodoſio M. Deorum templa in eccleſias chriſtianorum converti coeperunt. Theodoſius enim *templum Heliopolitanum, quod Balanii dicebatur, ingens & celeberrimum in chriſtianorum eccleſiam convertit*, ut ex Chronico Alexandrino an. 379. Idem exinde factum eſt. Gregorius M. (59) de non diruendis, ſed conſecrandis & expiandis aqua benedicta, & martyrum reliquiis gentilium templis decretum condidit. Nonnumquam, disiectis idolorum templis, ex eorum materia eccleſiae conſtruebantur, teſte Sozomeno (60). Baſilicas quoque Romanas in chriſtianorum eccleſias converſas, teſtatur Auſonius (61): quod de quibuſdam Iudaeorum ſynagogis tradit Auctor Chronici Alexandrini (62).

§. VI. Veterum eccleſiarum forma, & ſitus varius fuit. Earum forma plerumque oblonga erat navis inſtar, uti patet ex Pſeudo-Clemente (63). Non-

 num-

nae variis obſervationibus ex hiſtoria eccleſiae ſaeculi quarti & quinti illuſtrata, Witteb. MDCCXXXVIII. 4., Iac. Gothofredum *ad L. 25. C. Th. de paganis, ſacrificiis & templis*, & Iuſtellum *ad canonem African.* 58. & 84.

(58) Apud Sponium *in Itinerario p.* 95. (59) *Lib. IX. ep.* 71. (60) *Lib. VII. H. E. cap.* 4. (61) In *gratiarum actione pro conſulatu p.* 190. (62) *Inter hiſtoricos Byzantinos an.* 10. *Zenon.* (63) *Lib. II. Conſt. apoſt. cap.* 57. Conf. Cotelerium not. in hunc loc., Sirmondum ad *Sidon. lib. II. ep.* 10., Steph. Chamillard. *diſſertationib. in numiſmata & gemmas antiquas in obſervationibus per iter Italicum factis obſ.* 2., & Hieronym. Aleandrum iuniorem in *explicatione gemmae annularis, cui navis eccleſiae ſymbolum inſculptum fuit*.

numquam aliam praeferebant figuram. Ita Conſtantinus eccleſiam in Golgotha rotundam, Antiochiae octo laterum aequalium, CPoli crucis inſtar, extruxit, teſte Euſebio (*64*). Apud Graecos recentes templorum formae potiſſimum quinque. Alia ſunt τρυλλωτα ſeu *κυμβαλικα* ac rotunda, alia *κυλινδρωτα* & *καμαροτα* in modum fornicis oblongi, alia *ςαυρωτα* ad crucis figuram, alia *δρομικα* ſeu quadrata, alia demum ex his mixta. De his fuſe Allatius (*65*), & Smithus (*66*). Situs ſeu proſpectus eccleſiarum fuit Orientem verſus, teſte eodem Pſeudo-Clemente (*67*); nam chriſtiani ad Orientem orare ſolebant, ut precantes ad paradiſum in Oriente plantatum, omiſſam patriam, converſos vultus haberent (*g*). Nempe ut plurimum eccleſiarum frons ad Occidentem, ſanctuarium ad Orientem ſpectabat, alicubi tamen ſanctuarium ad Occidentem, alicubi nec ad Orientem, neque Occidentem, ut ex Socrate (*68*) patet.

§. VII. Eccleſiae apud veteres chriſtianos partes tres fuerunt, *ναρθηξ*, *ναος*, & *βημα*. Erant praeterea *exedrae*, ſeu *paſtophoria* (*h*), hoc eſt, exterio-

ra

(64) *Lib. III. de vit. Conſtantin. cap. 38. & 50.* (65) *Ep. de templis recentium Graecorum ad Io. Morinum.* (66) *De ſtatu hodierno eccleſiae Graecae p. 51. ſeq.* (67) *Cit. loc.*
(68) *Lib. V. H. E. cap. 22.*

(g) Morem precandi ad Orientem ab ipſis Apoſtolis repetunt Iuſtinus *quaeſt. 118. ad orthodoxos*, Baſilius *de Spiritu Sancto cap. 27.*, aliique patres. Conf. Iac. Thomaſium *diſſ. de ritu precandi verſus Orientem*, Andream Goedingium *de ritu veterum precandi anatolico*, Menardum *ad Gregorii M. Sacrament. p. 69. ſeq.*, & Cotelerium ad *Conſt. Apoſt.* II. 57.

(h) Paſtophoria fuiſſe generale nomen, quo exedrae omnes ſignificabantur, ex lib. II. Conſt. Apoſt. cap. 57. tuetur Binghamus *lib. VIII. orig. eccleſ. cap. 7. n. 11.* Sunt tamen qui

pa-

ra eccleſiae aedificia, ei tamen contigua, qualia fuere *propylaeum*, *baptiſterium*, *diaconicum*, item *bibliothecae*, & *ſcholae*. Singulas autem partes diſtinctius explicaturi, exordium a propylaeo ducemus. Προπυλαιον, quod & προθυρον, & προαυλιον, & αὐλη, & αἴψις dictum eſt, continebat *veſtibulum*, & *atrium*, ſeu *aream*. Veſtibulum erat primus eccleſiae ingreſſus, inter quod & narthecis fores interponebatur *atrium*, quod medium erat ſub dio, quodque cingebant porticus columnis ſuffultae (*i*). In medio atrio erant hydrothechae, quae aquam eccleſiam intrantibus ad lavationem affatim ſuppeditarent (*k*). In propy-

paſtophorium fuiſſe *diaconicum* putant; nonnulli vero habitaculum praepoſiti templi; alii tandem locum ad euchariſtiae repoſitionem.

(i) Conf. Thierſium *opuſc. de porticibus eccleſiarum*.

(k) In templorum propylaeis poſiti erant luſtrales fontes, qui paſſim *φρεατα putei*, *φιαλαι phialae*, item *conchae*, *vaſa*, *canthari*, *ciſternae*, *fontes*, *labra*, *nymphaea*, aliiſque nominibus donati ſunt, ut eccleſiam ingreſſuri manus & vultum proluerent. Chriſtiani inde a temporibus Apoſtolorum manus ante precationem abluerunt, ut ex Paullo *I. ad Timoth.* & Tertulliano *de orat. cap. XI.* colligitur. Conf. Cl. Paciandum *de ſacris chriſtianorum balneis cap.* 13. Eadem χερνιψ, *manuum lotio*, ante precationem deinceps a Graecis & Latinis retenta eſt. Euſebius *lib.* 10. *H. E. cap.* 4. Paullinum Tyriorum epiſcopum vel eo nomine commendat, quod in templi ab illo extructi impluvio nymphaea *των ἱερων καθαρσιων*, *ſacrarum expiationum*, conſtituit, ne homines eccleſiam intrarent illoti. In baſilica S. Theclae Iconienſis λουτρον, ſeu κολυμβητα, hoc eſt, *fontem*, extitiſſe, refert Baſilius Seleucienſis *de vit. Thec. lib. II.* In templo Acacii Martyris fuiſſe puteum *ἐν τῃ αὐλῃ της ἐκκλησιας*, refert Socrates *H. E.* 11. 38. Paullus Silentiarius *in deſcriptione aedis S. Sophiae* memorat φιαλην in propylaeo a Iuſtiniano poſitam, cuius aqua plebs ingreſſura emundabatur. Paullinus in *Natal. S. Felicis IX. poëmat.* 24. templum a ſe extructum habuiſſe *ciſternas* refert. Laicis quoque manuum lotio imperata eſt ante euchariſtiae perceptionem,

 quum

pylaeo ſtabant *οἱ προσκλαιοντες flentes* poenitentiae candidati, qui viliori habitu amicti fideles omnes eccleſiam intrantes luctu & lacrymis obſecrabant, ut pro ſua reconciliatione apud Deum & eccleſiam intercederent.

§. VIII. Propylaeum excipiebant *αἱ μεγαλαι πυλαι magnae portae*, in primam eccleſiae partem ducentes, quae *ναρθηξ*, & *προναος* adpellatur. Erat narthex aedificium oblongum, a qua figura ipſum nomen duxit (*l*). Hic in narrhece erat *βαπτιςηριον baptiſterium*, hoc eſt, amplum aedificium, in quo aquae ad ſollemnem baptiſmum ſervabantur. In infimo narthecis loco proxime ad portas erant *catechumeni*; paullo inferius *leproſi*, & *energumeni*; prope portas, quibus in navim intratur, conſiſtebant *ἀκροωμενοι audientes* poenitentes, & *competentes* baptiſmi candidati, mares quidem ad dexteram, feminae ad ſiniſtram.

§. IX. Nartheci ſuccedebat *ναος navis*, quae ipſum eccleſiae corpus & gremium erat. Navis a narthece ſeparabatur repagulis ligneis, in quibus erant portae, per quas in navim intrabatur, quae *πυλαι ὡραιαι portae ſpecioſae*, & *βασιλικαι regiae* recen-

quum ea in manus tradi ſoleret, uti conſtat ex S. Caeſario *ſerm.* 229., & Chryſoſtomo in *homilia de ſimultate*, *tom. I. Homiliar. ad popul. Antiochen.* Templum intrantes lavaſſe manus narrat etiam S. Nilus *lib. I. ep.* 24. De Valentiniano, qui a ſacerdote aqua luſtrali conſperſus tinctam chlamidis partem abſcidit, pugnumque impegit ſacerdoti, videſis Sozomenum *lib. VI. hiſt. eccleſ. cap.* 6. & Theodoretum III. 16. Plura de urnis aquariis in ſacris aedibus antiquitus poſitis dant Bulengerus *de donariis Pontific. lib. II. cap.* 13. & 14., Thiers *de porticibus eccleſiarum*, Novarinus *lib. VI. ſacror. elector.*, & Paciaudus *in Puteo ſacro agri Bononienſis commentario explicato.*

(l) Vid. Suicer. *theſ. eccleſ.* h. v.

gentioribus Graecis dictae ſunt. In medio navis erat *ἄμβων ambo*, ſeu *pulpitum*, hoc eſt locus editus, in quo lectores legebant, cantoreſque pſallebant (*m*). In hac eccleſiae parte ſtatim ad ianuas erant *ἐξομολογουμενοι ſubſtrati*, qui in terram proſtrati precibus eccleſiae, lectioni & praedicationi aderant, ſed quum euchariſtia adminiſtranda eſſet, a diaconis ſurgere, & eccleſia excedere iubebantur. Tum ſequebantur *συνιςάμενοι conſiſtentes*, qui una cum fidelibus communicantibus conſiſtebant, & orabant, nec cum ſubſtratis exibant, quamvis euchariſtiae participatione abſtinerent, donec praefixo tempore adveniente in divinam communionem reciperentur. Deinceps ſuccedebant *fideles*, qui ad ſacram ſynaxim admittebantur; ita ut viri a mulieribus ſecernerentur vel ligneis parietibus, vel *ὑπερῴοις ſolariis*, ſeu porticibus deſuper conſtructis, quae & *κατηχουμενα* dicta ſunt, quod mulieres ex eo loco verbum Dei, & eccleſiaſtica officia audirent (*n*). Quin inter ipſas mulieres, virgines a nuptis, & inter laicos monachi a ceteris diſtinguebantur. Tandem in loco ſuperiore verſus *βῆμα* erant cantores, & lectores ſummo loco. Prope fores ſanctas ſeu cancellos, per quos aditus in ſacrarium patebat, collocatum erat *σωλειον* vel

(m) Ambo a Graeco *ἀναβαίνειν*, non ab ambiendo dictus eſt. Vid. Valeſium ad *Sozomen. H. E. IX.* 2. Imaginem veteris ambonis exhibent Cangius *in CPoli chriſtian. lib. III. p. 69.*, & Montfauconius *Diar. Italic. p.* 134. Vid. Chriſt. Veidlingium *diſp. de ambonibus veteris eccleſiae*. Erat & pulpitum portatile, quod forte *tripodium* appellatur in veteri Rituali apud Martenium *lib. I. de antiq. eccleſ. ritib. p.* 372. Ex gradibus autem altaris, non ex ambone, veteres epiſcopos concionari ſolitos, obſervant Valeſius *ad Socrat. VI.* 5. & Sirmondus *ad Sidon. Apollin. p.* 252.

(n) Vid. Cangium *in Paull. Silentiar. p.* 550.

vel *σωλεα*, hoc eſt, ſedes Imperatoris (*o*).

§. X. Nαον excipiebat *βημα*, quaſi locus excelſior, quod & *ἱερατειον ſacrarium*, & *ſanctuarium*, & aliis nominibus dicebatur. A navi ſeparabatur tabulatis quibuſdam ligneis, ſeu cancellis, ingreſſum, non viſum prohibentibus, in quibus erant portulae e nao ad bema ducentes, quae *ἁγιαι πυλαι ſanctae portae* vocantur. Cancellorum ſpatia & fores velis obtegebantur: unde *βελοθυρα velotyra* apud poſteriores Graecos (*69*). Sanctior eccleſiae pars erat bema, ad quod tempore liturgiae ſolis epiſcopis, presbyteris, & diaconis aditus patebat; inferiores autem clerici in aliis eccleſiae partibus munera ſua exercebant. Sacratiſſimum hunc locum ingredi mulieribus, laicis, & ipſi Imperatori, niſi quum Deo dona offerret, non licebat. In medio bematis erat *θυσιαστηριον altare*, uti nunc eſt (*p*). A tergo altaris *θρονος* in medio collocatus erat, hoc eſt, ſedes ſublimior, velamine cooperta, in qua epiſcopus ſedebat, & ex utraque parte ſedes presbyterorum depreſſiores; unde etiam *πρεσβυτεριον presbyterium* dicebatur, in quo ſenatu eccleſiaſtica negotia communi conſilio expediebantur (*q*). Ad ſacram laevam erat *προθεσις prothe-*

(69) Vid. Cangium in *Gloſſar. Graeco-barbar. h. v.*

(o) De ſede Imperatoris in eccleſia conſule Benedictinos *not. ad Ambroſ. tom. II. p. 375. ſeq.*, Martenium *de antiqu. eccleſ. ritib. p. 335. ſeq.*, Beveregium *in can. XI. Concil. Nicaen.*, & Allatium *diſſ. de ſolea veter. eccleſ.*

(p) *De altaribus agetur cap. ſeq.*

(q) Habuerunt epiſcopi in eccleſiis cathedras ſeu thronos, ſed ſedibus presbyterorum ſublimiores. Hinc inter *θρονον και συμψελλια thronum & ſubſellia* diſtinguit Athanaſius *ep. ad Solitar.*; quod ille epiſcopi, haec presbyterorum eſſent. Initio thronus epiſcoporum non tam ſublimis erat, ut poſtea eſ-

ſe

theſis, hoc eſt humilior menſa, in qua panis & vinum ad ſanctam euchariſtiam in anteceſſum ponebatur. Ad dexteram vero erat διακονικον *diaconicum*, in quo ſacra vaſa, veſtes, & reliqua ſupellex adſervabatur. Eius prima fit mentio in concilio Laodiceno (70). Graecis quoque dictum σκευοφυλακιον *ſcevophilacium*, & μητατοριον *metatorium*; Latinis vero *ſecretarium*, *receptorium*, *ſalutatorium*, quod epiſcopi ſolerent ante ſacrificii celebrationem in eo ſedere, & ſalutationes fidelium excipere (71). In quibuſdam eccleſiis diaconicum tam amplum fuit, ut concilia in eo haberi potuerint (72). Iconographiam eccleſiae, ad priſcum ritum delineatae, deſcriptis ſingularum partium nominibus, exhibent Beveregius (73), & Binghamus (74), quos vide.

§.XI. Diſtinguuntur autem eccleſiae in *cathedrales*, *parochiales*, *collegiatas*, *conventuales*, & *capellas*. Omnium antiquiſſimae ſunt *cathedrales*, ſic ab epiſcopi cathedra dictae, in quibus illius eſt ſedes, ſuntque veluti communis totius dioeceſis parochia. Hae veteribus paſſim vocatae ſunt *matrices*, *maiores*, & *κα-* Θο-

(70) *Can.* 30. (71) Conf. Bona *lib. I. rer. liturgic. cap.*24. & Valeſium *ad Theodori Lectoris lib. II. p.* 164. (72) Vid. Ant. Pagium ad *A. C.* 643. *n.* 3. & Cangium in Gloſſar. *v. ſecretarium*. Adde Iac. Gothofredum & Valeſium *ad Philoſtorg. lib.VII. cap.* 3. (73) *In can. XI. Concil. Nicaen. I.*
(74) *Lib. VIII. Origin. eccleſ. cap.* 3.

ſe conſuevit. Hinc vitio datum Paullo Samoſatenſi, quod *ſublimem thronum, non ut Chriſti diſcipulus ſibi ipſe conſtruxit*. Euſeb. *lib. VII. H. E. cap.* 30. De cathedris epiſcoporum & presbyterorum vide Claud. Fonteium *de antiquo iure presbyteror. in regimine eccleſiaſtico*, Petr. Morettum *lib. de ritu dandi presbyterium Papae, Cardinalibus, & clericis nonnullarum eccleſiarum Urbis*, Menardum *ad Sacrament. Gregorii M. p.*85. 94., & Schmidium *diſquiſit. de cathedris doctorum veterum*.

ϑολικαι *generales*, quod omnium quodammodo eſſent, nec uni plebi addictae. Sua quoque vetuſtate commendantur eccleſiae *parochiales* ſeu *baptiſmales*, quibus praeeſt curio qui epiſcopo civitatis ſubeſt, plebiſque commiſſae curam gerit. Hae inde a ſaeculo ſeptimo etiam καϑολικαι adpellatae ſunt, quod viris & mulieribus paterent (r). Emerſerunt poſtea *col-*

(r) Nomen *catholicae* vel *cathedralem* ſeu epiſcopalem, vel *parochialem* ſeu baptiſmalem eccleſiam ſignificat. Graeci a primis temporibus ad ſeptimum ſaeculum eo vocabulo cathedrales tantum eccleſias deſignarunt. Sic maiorem eccleſiam Alexandrinam καϑολικην adpellat Epiphanius in *haereſ. Arian.* Sic etiam Damaſcena maior a Theophane; Sophiana Ancyrae ab Eleuſio, magna CPolitana eccleſia a Nicephoro nuncupantur *catholicae*. Aliorum exemplorum abunde eſt apud Cangium in utroque Gloſſar. *v. eccleſia cotholica*, & Καϑολικη ἐκκλησια. Eadem ſignificatione in Calabria, Apulia, & Sicilia ea vox uſurpata eſt. De Calabria teſtem do Auctorem vitae S. Nili Roſſanenſis, qui Nilum Baſilio Calabriae Stratego ſanctuarium ornare pretioſis velamentis cupienti dixiſſe refert: *ἀπελϑον βαλε αὐτα ἐν τη Καϑολικη τȣ κασρȣ*, *vade, & da cathedrali* (eccleſiae) *oppidi* (Roſſanenſis), uti iure reddit Io. Matthaeus Caryophilus archiepiſcopus Iconienſis. Idem Biographus terraemotum enarrans, quo tota concidit Roſſani civitas, una demta cathedrali eccleſia S. Irenae, ait: *εἰ μη μονην την Καϑολικην Ἐκκλησιαν, και το ονομα της Ἁγιας Εἰρηνης*, *excepta epiſcopali eccleſia*, ut idem vertit Caryophilus, *cui nomen S. Irenes*. De Apulia vero patet ex privilegio a Gregorio Trachaniota Baſto Catapano Italiae an. 919. tradito Chryſoſtomo eccleſiarum Barenſis & Tranenſis tunc unitarum archiepiſcopo, quod edidit cl. Aſſemanus *de reb. Neap. & Sicul. tom. III. p. 563. ſeqq.*, ubi quibuſdam oneribus eximuntur *in caſtro Barii presbyteri catholicae eccleſiae numero triginta ſex: in caſtro Trani presbyteri talis catholicae eccleſiae numero ſexaginta*. De Sicilia tandem idem liquet ex diplomate Rogerii Comitis, apud Pirrum *in Notit. Meſſan. p. 383.*, ubi ſe epiſcopatum conſtituiſſe ait in civitate Meſſanae, *ſicut antiqua traditio declarabat, eſſe ſcilicet eamdem eccleſiam catholicam civitatis:* unde habes aevo adhuc Rogerii in his regionibus catholicae vo- *ca-*

collegiatae, in quibus eſt canonicorum collegium , non

fixa

cabulum cathedrales eccleſias deſignaſſe. Saeculo ſeptimo nomen *catholicae* eccleſias quoque baptiſmales (nunc *parochiales* adpellamus) ſignificare coepit, in quibus ſcilicet plebium cura, & baptiſteria inſtituta erant (non enim in omnibus, ſed in quibuſdam tantum eccleſiis celebrabatur baptiſma). Nova hac notione ea vox primum adhibita eſt a Synodo Trullana ſeptimo exeunte ſaeculo coacta *can.* 59., quo baptiſmus conferri in *oratorio domeſtico* vetatur , ſimulque praecipitur , ut baptizandi ταις καθολικαις προσερχεσθωσαν ἐκκλησιαις, *ad catholicas accedant eccleſias*. Vides, hoc canone proſcribi tantum abuſionem baptizandi in privatis oratoriis, & *catholicas*, in quibus baptizari licebat , opponi non eccleſiis aliis quibuſcumque , ſed tantum *privatis oratoriis*. Trullani huius canonis celebritas, praeſertim apud Graecos, fecit, ut omnes baptiſmales ſeu parochiales eccleſiae deinceps *catholicae* dicerentur, uti tradit Mazochius loco inſerius laudando. Hoc ſenſu vocem hanc uſurpant Leo Grammaticus , Nilus Monachus, Simeon Logotheta, aliique apud Cangium in locis ſupra citatis . Speciatim in hac urbe Neapolitana, in qua diu Graeciſmus viguit , nomen *catholicae* eccleſias baptiſmales ſeu parochiales indicat. Primus noſtratium hoc ſenſu eam vocem uſurpavit Ioannes Diaconus (qui nono deſinente ſaeculo Chronicon ſuum ſcripſit, deſinitque in anno 872.) in Sotere epiſcopo Neapolit. XVIII. ; tum alii paſſim : qua de re conſule Mazochium *in vet. Kalendar. marmor. eccleſ. Neap. ad* 29. *Martii p.* 129. *tom.* 1., Aſſemanum *de reb. Neap. & Sicul. cap.* 6. *n.* 5. *p.* 164. *ſeqq. tom. IV.*, & Sabbatinum *in Kalend. marmor. Neap.* 29. *Mart. p.* 61. *tom. III.* Qui autem factum, ut primum epiſcopales, tum baptiſmales eccleſiae dicerentur catholicae, unus omnium feliciter retexit Cangius *cit. loc.* Oſtendit is, olim apud Graecos ab eccleſiis monachorum feminas, a monialium viros fuiſſe excluſos. Quumque praeter monachorum vel monialium oratoria aliae in urbibus eccleſiae non eſſent , quam cathedrales, in quibus unum erat altare , unicumque in die ſacrificium offerebatur, presbyteris una cum epiſcopo concelebrantibus, ad eaſque tantum viris aeque ac mulieribus aditus pateret ; inde factum , ut illae ſolae primum *catholicae* , hoc eſt, generales adpellarentur. Tractu temporis inſtitutis paraecialibus eccleſiis, *catholicae* nomen his etiam communicatum eſt ob eamdem rationem , quod ſcilicet viris &

mu-

fixa epiſcopi cathedra. *Conventuales* ſunt eccleſiae monachorum, quae olim fuerunt privata oratoria, in quibus ſacrificium propter ſolos monachos offerebatur; tum ſaeculo XIII. publicae eccleſiae evaſerunt.

§. XII. Tandem *capellae* (s), ſeu oratoria ſunt par-

mulieribus paterent: nec tamen veteri illo nomine cathedrales exciderunt, quibus proprio & potiori iure conveniebat, quod omnium quodammodo eſſent, nec uni plebi addicerentur, ut parochiales. Haec a Cangio tradita huius notionis origo non arridet Mazochio *cit. loc.* At vir ſummus nec Cangii argumenta impetit, nec meliora ſubſtituit.

(s) Capellae nomen in Gallia ortum eſt. Vid. Menag. *origg. Gall.* v. CHAPELLE. Eo primus uſus eſt Marculfus, qui medio ſaeculo ſeptimo claruit, *lib. I. formular. cap.* 38., ubi capellam uſurpat pro capſella ſeu theca reliquiarum S. Martini Turonenſis epiſcopi; ait enim Regni Francici proceres iuraſſe *manu poſita in palatio* (Regio) *ſuper capellam domini Martini, ubi reliqua ſacramenta percurrebantur*. Undenam vero capella ſit dicta, non ſatis liquet. A capa, ſeu brevi tunica S. Martini, quam in palatio adſervabant Galliarum Reges, ſecumque in caſtra deferebant, dictam arbitrantur Baronius in *Martyrol. ad diem* 11. *Junii*, Cangius *in Gloſſ. V.* „ capella „ Mabillonius *de re diplom. p.* 470. & 483., aliique. A capa vero, hoc eſt capſella, ſeu theca, in qua eiuſdem Sancti reliquiae ſervabantur, capellae nomen factum putant Bignonius ad *Marculfi formulas lib. I. cap.* 38. Peiratius *lib. I. de orat. Reg. Gall. cap.* 1. & 2. aliique. Equidem iis adſtipulor, qui capellam a capa ſeu brevi tunica S. Martini derivant. Hanc enim originationem tradunt veteres, nominatim Monachus Sangallenſis *lib. I. de vit. Carol. M. cap.* 4. & Walafridus Strabo *de reb. eccleſ. cap.* 31. Sane capa illa S. Martini nomen dedit & arculae illam continenti, & aedi ipſi, in qua adſervata, quae *capella* dicta eſt, & presbyteris, quibus eius cura commiſſa eſt, qui *capellani* vocati ſunt. Ubi capellae nomen ad ſacellum deſignandum translatum eſt, dumtaxat oratorium palatinum Regum Francorum ſignificavit. Deinde ſenſim ad omnia privata oratoria extenſum eſt, iamque ſaeculo VIII. uſus invaluerat, ut aediculae omnes non baptiſmales *capellae* nomine donarentur, ceu liquet ex Carolo M. *lib.*

parva ſacella, in pagis & urbibus conſtituta, quae iure parochiali carent. Haec aut *publica* ſunt, aut *privata*. Publica erant plerumque in agris & villis, quae a parochialibus eccleſiis longius aberant, & a magnatibus ex fundis ſuis dotabantur, & ab epiſcopis conſecrabantur. Haec oratoria a parochialibus eccleſiis veluti pendebant, & neceſſitatis cauſſa primitus inſtituta fuerunt, ob villae, in qua aedificabantur, diſtantiam ab eccleſia parochiali, ad quam villa pertinebat, ut ſcilicet quae in villa eſſet familia ſacris non careret, nec ſemper opus eſſet ad eccleſiam parochialem longis itineribus contendere. In iis miſſae celebrabantur propter fatigationem familiae, exceptis maximis feſtivitatibus, quibus ipſa parochialis eccleſia frequentari debuit, ut hoc ei *xu-*

pos

lib. I. Capitular. cap. 182., & Concilio Pariſienſi an. 839. *cap.* 6. Poſt Carolina tempora, increbeſcente capellae denominatione, frequentior *capellarum*, quam *oratoriorum* mentio apud ſcriptores occurrit. Quin ſaeculo XIII. in Anglia domeſticis ſacellis *oratorii*; publicis vero *capellae* nomen inditum eſt, ut ex Concilio Exonienſi an. 1277. *cap.* 9. patet. Sed & eccleſias parochiales aliquando *capellas* dictas fuiſſe, conſtat ex mentione *capellae decimalis & baptiſmalis* in Praecepto Ottonis Imperat. an. 877. apud Marten. *tom.* 1. *Anecd. col.* 03. Commemorantur etiam *parochiani capellae S. Sylveſtri* in epiſtola Honorii III. edita a Moretto in Appendice III. libri *de presbyterio n.* 15. Saeculo XIII. frequentius parochiales eccleſiae *capellae*, & parochi *capellani curati* dicti ſunt, ut oſtendunt monumenta apud Cangium *Gloſſ. V.* „ capellanus „ quibus adde Bullam Alexandri III. ad epiſcopum Ferrarienſem an. 1169. apud Murator. *S. R. I. tom. VI. p.* 409., in qua *capellanus, qui curam animarum recipiat*, memoratur. Ideo autem ad parochias capellae nomen productum eſt, quod capellae in villis potiſſimum erectae ad ſuccurrendum eccleſiis matricibus, aucto populo, in parochiales eccleſias abierunt, ſervato priſtino capellae nomine. Vid. Thomaſſin. *de beneſ. part.* 1. *lib. II. cap.* 95. *n.* 9.

ρος ſervaretur, uti liquet ex Conciliis Agathenſi (75), Epaonenſi (76), Aurelianenſi IV. (77), Cabillonenſi (78), & Capitularibus Caroli M. (79). De iiſdem oratoriis ſaepe loquitur Gregorius M. (80), qui ea *ſine miſſis publicis*, *baptiſterio*, *& presbytero cardinali*, ſeu proprio, ab epiſcopis conſecranda, & idoneis reditibus locupletanda praecipit. Ideo autem oratoria illa haberi pro paroecialibus eccleſiis non poterant, quia hae multis conſtare familiis debent, quales non inveniuntur in una villa, praeſertim remotiore, in qua non raro una tantum domus erat, *μονοικια* Photio dicta.

§. XIII. Privata ſeu domeſtica oratoria vel ſolius orationis cauſſa ſine ſacrificio habentur, vel etiam ſacrificii in iis offerendi gratia. Oratoria ad orandum in aedibus ſuis quiſque pro arbitrio conſtituere poteſt, de quibus hic non agimus; ad ſacrificium vero celebrandum non niſi auctoritate epiſcopi eriguntur, ut Iuſtinianus (81). Carolus M. (82), & Concilium Arelatènſe IV. (83) decreverunt. Eiuſmodi oratoria ſacris peragendis addicta in *epiſcopalia*, *monaſtica*, *laicalia*, & *palatina* diſtinguuntur. Epiſcopi iam inde a ſaeculo quinto privatam in epiſcopiis ſuis oratoria habuerunt. Severum epiſcopum optaſſe Sanctorum reliquias, quibus *domeſtica eccleſia* ipſius ornaretur, teſtatur S. Paullinus (84). Caſſium Narnienſem epiſcopum *in oratorio epiſcopii ſui miſſas feciſſe*, refert Gregorius M. (85). In Libro

(75) *Can.* 21. (76) *Can.* 25. (77) *Can.* 33. (78) *Can.* 14. (79) *Lib. V. cap.* 383. (80) *Lib. VIII. ep.* 3. *ad Fortunat. epiſcop. Neap.*, *& lib. II. ep.* 9. *ad Caſtor. Ariminenſ.*
(81) *Nov.* 58. (82) *Lib. V. Capitul. cap.* 230. (83) *Can. III.*
(84) *Ep.* 31. *n.* 1. (85) *Hom.* 37. *in Evang.*

bro diurno (86) exhibetur formula, qua Romani Pontifices licentiam dabant epiſcopis conſecrandi *intra epiſcopium* oratoria. Graeci quoque antiſtites domeſtica ſacella habuerunt. S. Ioannem Alexandrinum miſſas in *oratorio ſuo*, ſeu in *epiſcopio feciſſe*, teſtatur Leontius (87).

§. XIV. Monachi Orientales, qui in aviis Nitriae, Aegypti & Scythiae ſolitudinibus vivebant, inde a ſaeculo quarto domeſtica oratoria habuerunt, in quibus ſacra percipiebant: in quem finem proprium presbyterum ſaecularem habebant; aut unus e monachis presbyter ordinabatur, qui plerumque ipſius monaſterii abbas erat. In Occidente autem primus propria oratoria monachis permiſiſſe videtur S. Benedictus (88). Serius Occidentales monachi presbyterum e ſuis habuerunt; nam illis petentibus, presbyter ab epiſcopo mittebatur, rem divinam in monaſtico ſacello facturus: quod adhuc ſaeculo ſexto factum, conſtat ex Gregorii M. epiſtolis (89). Haec oratoria intra monaſterii ſepta in ſolum uſum & commodum monachorum comparata erant; nemini laicorum ad ea patebat acceſſus: in iiſdem nec publicae miſſae, quibus populus adeſſet, celebrari, nec ſacramenta populis adminiſtrari, nec praedicari verbum Dei licebat. At ſaeculo XIII. Romanorum Pontificum beneficio capellae monachorum in publicas eccleſias abierunt, in quibus ſacramenta populis conferrentur, & verbum Dei publice praedicaretur.

§. XV. Non ſolum epiſcopi & monachi, ſed etiam laici domeſtica ſacella habuerunt. In Oriente in-

(86) *Tit.* 10. *cap.* 5. (87) *In eius vit. cap.* 12. & 41.
(88) *In Regul. cap.* 62. (89) Vid. quae diximus *lib. I. cap.* 24.

inde a ſaeculo ſexto omnes paene nobiles & divites illa habuerunt, Iuſtinianus (90) vetuit in domeſticis oratoriis ſacra myſteria celebrari. Idem Imperator (91) noluit presbyteros & clericos ordinari ad domeſtica oratoria; ſed ex clericis ad eccleſias publicas ordinatis delegari iuſſit aliquos, qui in iis oratoriis ſacra miniſtrarent. Concilium Trullanum (92) permiſit in domeſticis oratoriis ſacra facere, & baptizare, conſenſu tamen epiſcopi. Deinde Leo ſapiens (93) cuique ſacerdoti conceſſit in his oratoriis ſacra facere. Inde Graeci conſenſum epiſcopi ſui in hac re non requiſiverunt, tacitum ipſius adſenſum ſufficere rati, modo celebrarent in mappis ab epiſcopo conſecratis, teſte Balſamone (94). Adeo in Oriente crevit ſacellorum numerus, ut cum parochiales eccleſiae negligerentur, Alexis Patriarcha (95) ſanciverit, ne magnates ad oratoria ſua turbas admitterent, neve baptiſmata & ſacra myſteria in iis peragerentur, niſi feſtis diebus. In Occidente quoque frequentia inde a ſaeculo ſexto fuerunt oratoria ſaltem villaria laicorum, ut ſine fatigatione familiae miſſas tenerent. Gregorius M. (96) ſaepe memorat oratoria, quae in ſuis domibus magnates extruxerant. Idem (97) iniungit Syracuſano epiſcopo, ut miſſam celebret in domeſtico ſacello Venantii Patricii. Concilium Agathenſe an. DVI. (98) permittit *oratorium in agro habere*. Eo res venit ſaeculo nono, ut in Gallia ſinguli fere nobiles ſuum apud ſe presbyterum, vel capellanum haberent, teſte,

Ago-

(90) *Nov.* 57. (91) *Nov.* 131. (92) *Can.* 31. (93) *Nov.* 4. & 15. (94) *Ad Can. Trullan.* 33. (95) *In iure Oriental.* (96) *Lib. II. ep.* 9. *Lib. I. ep.* 59., *lib. IX. ep.* 44., & *alibi.* (97) *Lib. VI. Ep.* 43. (98) *Can.* 21.

Agobardo (*99*), & raro ad eccleſiam accederent.

§.XVI. Inter laicales capellas praeſtant *palatinae*, quae *regiae*, & *dominicae* dicebantur, vel quod in palatiis regiis, vel ſaltem quod a Regibus in dominicis & propriis praediis eſſent extructae, & annuis reditibus locupletatae. Palatinorum ſacellorum origo a Conſtantino M. repetenda eſt. Hunc baſilicas & aedes ſacras intra palatii ſui ſepta condidiſſe, teſtatur Euſebius (100). Conſtantini veſtigiis hac in re inſtiterunt ipſius filii, teſte eodem Euſebio (101). Eamdem conſuetudinem ſervarunt alii poſt Conſtantini prolem Imperatores electi. Palladius (102) refert, occaſione tumultuum adverſus Chryſoſtomum excitorum *presbyterum palatii* oppreſſum iacuiſſe. Theodoſium Iuniorem palatinum habuiſſe oratorium, colligitur ex Socrate (103). Iuſtinianus, nondum Imperator renuntiatus, in aedibus ſuis oratorium Petro Apoſtolo dicatum habuit, ut ipſe teſtatur (104). CPolitanos Auguſtos, qui deinceps imperarunt, in palatio ſuo magnifica habuiſſe oratoria, ſatis conſtat (*t*). In Occidente autem palatinas capellas habuerunt Galli, Longobardi, Hiſpani, Luſitani, Angli, aliique Reges (*u*). Apud nos capellas in aula habuerunt Longobardi principes, & Nortmanni Duces. Robertus Guiſcardus Panormo potitus, in arce

 ipſa

(*99*) *Tract. de privilegiis & iure ſacerdotum.* (100) *Lib. III. de vit. Conſtant. cap.* 49. *& lib. IV. cap.* 17. *&* 56.
(101) *Cit. lib. IV. cap.* 57. (102) *In vit. Chryſoſt.*
(103) *Lib. I. H. E. cap.* 22. (104) *Ep. ad Hormiſdam P.*

(t) Vid. Cangium *in CPoli chriſtiana lib. IV.*
(u) Conf. Peiratium *de oratorio Regis Galliae*, Turturetum *de capella Reg. Hiſpan.*, Gatticum *de oratoriis domeſticis cap.* 10., Muratorium *Antiq. Ital. diſſ.*56. *p.*777. *tom.IV.*, alioſque,

ipſa palatina, quam incolebat, ſacellum extruxit, teſte Fazello (105). Poſtea Rogerius primus Siciliae Rex magnificam in Panormitano palatio ſuo eccleſiam Petro Apoſtolo ſacram erexit, eodem teſte Fazello (106). Huius palatinae capellae dignitas deinceps ſterit. Carolus I. Andegavenſis, Regni ſede Neapoli defixa, capellam in regiis aedibus inſtituit, cui plurimi capellani & clerici deſerviebant, quibus Magiſter capellae praeerat. Sed deſino plura. Hoc enim argumentum fuſe pertractat cl. Miletenſis epiſcopus Ioſeph Carafa (107), quem vide.

§. XVII. Ceterum eccleſiis, ob ſingularem Numinis praeſentiam, ſummam deberi reverentiam, ipſa ſuadet natura. In ipſis ethnicorum templis nec expuere, nec emungi fas erat, teſte Arriano (108). De Hebraeis explorata res eſt (*x*). Quanta vero fuerit maiorum noſtrorum erga aedes ſacras religio, nemini incompertum eſt (*y*). Generatim eorum mores in eccleſia tales fuerunt, ut eam, tanquam ſanctuarium Dei, locumque *immediatae* ipſius praeſentiae, ſummo honore proſequerentur. Spectabant enim illam,

(105) *Rer. Sicul. decad.* 1. *lib.* 8. *cap. un.* (106) *Rer. Sicul. decad.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. (107) *Lib. de capella Regis utriuſque Siciliae.* (108) *Epictet. Diſſ. lib. IV. cap.* 1.

(x) De reverentia veterum Iudaeorum in templa vide interpretes ad *Exod. XXX.* 19. & *XL.* 33. Adde quae de templo non niſi ab excalceatis frequentato diſſerunt Io. Chriſt. Wichmanshauſen *diſſ. de calceo in Hebraeorum ſacris deponendo*, & Steph. Morinus *diſſ. IV. pag.* 160. *ſeq.*

(y) De veterum chriſtianorum erga eccleſias religione fuſe diſſerunt Io. Fabricius *lib. de reverentia erga ſacra*, Kortholtus *diſſ. de ſacris publicis debita cum reverentia praeſentiſque Numinis metu colendis*, & Iac. Lobbetius *de religioſo templorum cultu*.

lam, tanquam palatium magni Regis, ubi adeſſent Angeli miniſtrantes, caelumque pateret, in quo Chriſtus ſederet in ſolio ſuo, & omnia impleta eſſent incorporeis poteſtatibus, uti loquitur Chryſoſtomus (109). In eccleſiam ii non ante ingrediebantur, quam manus & vultum abluerent; cui fini inſerviebant fontes aquarum in atrio poſiti, uti ſupra dictum eſt. Imperatores & viri principes diadema, arma, & cuſtodes ante fores relinquebant, dedecere rati cum apparatu regio ante conſpectum maximi Regum prodire, ut ex Chryſoſtomo (110), Sozomeno (111), aliiſque conſtat. Quin alicubi calceos detrahebant chriſtiani eccleſiam ingreſſuri, teſte Caſſiano (112). Iam eccleſiam ingreſſi, verſus ſanctam menſam ſe incurvabant: portas, limina, columnas eccleſiae, vel altaris complecti, ſalutare, ac oſculari ſolebant, in amoris & venerationis ſignificationem, ut teſtantur Chryſoſtomus (113), Ambroſius (114), Paulinus (115), ceterique. Nihil porro in eccleſia fieri patiebantur veteres, quod ad pietatem non referretur. Tantum in iis habebantur conventus ad epiſcopos & clericos eligendos, atque concilia celebranda, item ſcholae catecheticae, conſultationes de religione, ac olim etiam agapae, & vigiliae. Illuſtre obſequii erga eccleſias exemplum reliquit Ambroſius (116), dum Valentiniano iuniori petenti, ut Arianis unam de eccleſiis Mediolanenſibus traderet, reſpondit, *ea, quae divina ſunt, imperatoriae poteſtati non eſſe ſubiecta*, ſeque paratum, ſi ita fieri neceſſe eſſet, non

(109) *Hom.* 15. *in ep. ad Hebr.* (110) *Orat. poſt reditum ab exilio.* (111) *Lib. V. H. E. cap.* 16. (112) *Lib. I. inſt. monaſt. cap.* 10. (113) *Hom.* 29. *in* 2. *ad Cor.* (114) *Ep.* 33. (115) *Natal. VI. Felicis.* (116) *Lib. II. epiſt.* 14.

altaria tenere vitam obſecrando, ſed pro altaribus gratiis immolari.

C A P. XVI.

De altaribus, & ornamentis eccleſiarum.

§. I. HAbent chriſtianorum eccleſiae altaria. Hoc loco altare eſt *ſacra menſa ſacrificio celebrando unice deputata* (*a*). Veteribus θυσιαςηριον, ἱερα τραπεζα, aliiſque nominibus paſſim adpellatur. Eſt aut *immobile*, quod loco adfixum eſt, aut *mobile*, quod de loco in alium transferri poteſt. Iam ipſa ſuadet natura, ſacrificium in menſa munda & profanis uſibus exemta offerendum: quo factum, ut & ethnici aris non caruerint (*b*). Chriſtus quidem in communi menſa euchariſtiam obtulit. Sed Apoſtoli & ſucceſſores in menſa a communi uſu aliena, niſi aliud neceſſitas poſtulaſſet, ſacrificarunt, rati non

(a) Altare a vetuſtis patribus non ſolum pro ſacra menſa ſacrificio offerendo addicta, ſed nonnumquam pro Chriſto, aut eccleſia ſumitur. Paullus *ad Hebr. XIII.: Habemus θυσιαςηριον altare, ex quo comedere poteſtatem non habent, qui tabernaculo inſerviunt.* Heic altare pro Chriſto poſitum docent Cyrillus Alexandrinus *lib. IX. de adorat.* aliique patres. Eccleſiam, quae una eſt, altaris nomine deſignat Ignatius M. *ep. ad Trallens: Qui intra altare eſt ὁ ἐντος τυ θυσιαςηριυ ὢν, purus eſt; quare & obtemperat epiſcopo, & presbyteris.* Pro eccleſiae fide ac unitate altare etiam uſurpat Hieronymus in *Oſeae II. v. 13.: Habent* (haeretici) *tot altaria, quot ſchiſmata.* Eodem ſenſu ſchiſmatici *erigere altare contra altare* paſſim dicuntur Cypriano, Optato, aliiſque.

(b) Ethnici diis ſuperis *altaria*, Diis terreſtribus *aras*, Diis inferis *focos* ponebant, uti tradit Varro apud Servium in *eclog.* 5. *Virgilii*. De aris gentilium vide Godfrid. Voigtii *thyſiaſteriologiam, ſeu librum de altaribus veterum chriſtianorum cap. ult.*

non omnia, quae inſtitutionis tempore Servator egit, a ſe fieri deinceps oportere. Diris perſecutionum procellis altaria extitiſſe, vel ea evincunt; quae in coemeteriis primitivorum chriſtianorum adhuc ſuperſunt, ut apud Aringhum, Boldettum, alioſque videre eſt. Altarium quoque meminere Ignatius M. (1), Origenes (2), Tertullianus (3), Cyprianus (4), Firmilianus (5), aliique priorum ſaeculorum patres (c).

§. II. Tribus perſecutionum ſaeculis altaria cum lignea, tum lapidea indiſcriminatim fuerunt, pro locorum & rerum opportunitate. Poſt Conſtantinum utraque obtinuerunt. Ligneum altare commemorant Athanaſius (6), Optatus (7), Auguſtinus (8), aliique; lapideum vero Gregorius Nyſſenus (9), & Chryſoſtomus (10). Poſt ſaeculum quintum altaria la-

(1) *Ep. ad Epheſ., & ad Philadelph.* (2) *Hom. 2. in Num.* (3) *De orat. cap.* 10. (4) *Ep.* 40. 42. *& alibi.* (5) *Ep. ad Cyprian.* (6) *Ep. ad Solitar.* (7) *Lib. VI. contr. Parmen.* (8) *Lib. V. de bapt. cap* 20. (9) *Orat. in baptiſm. Chriſt.* (10) *Hom.* 20. *in* 2. *ad Cor.*

(c) Vedelius *exerc. 6. ad epiſt. Ignat. cap.* 2. Suicerus *theſ. eccl.* v. Θυσιαστήριον Dupinius *Biblioth. eccleſ. p.* 61. aliique contendunt, chriſtianos primis tribus ſaeculis altaria non habuiſſe. Moventur ex ethnicorum exprobrationibus in chriſtianos, *quod nullas aras, nulla templa*, haberent; idque concedebant, iureque fieri reponebant chriſtianae religionis vindices Origenes, Minucius, Arnobius, aliique. At hinc non conficitur, primitivos chriſtianos altaribus & eccleſiis caruiſſe; ſed tantum eos non habuiſſe aras ſecundum gentilium ſuperſtitionem, qui in arae anguſtiis divinitatem contineri putabant, & ſuper eam materiales profanaſque victimas immolabant. Reticebant vero patres cum ethnicis diſputantes nomen altaris, in quo euchariſtia offerebatur, ne altari indicato chriſtianorum ſacrificia proderent. Videſis Nourrium *diſſ. VII. de Ignatii epiſtolis cap.* 3. §. 1. & Petitdidier *Obſervat. in Bibliothec. eccleſ. Dupinii p.* 61.

lapidea praevaluerunt: unde concilium Epaonenſe an. 509. (11) non niſi *lapidea altaria ſacrari* iuſſit. Eamdem materiam in conſecrando altari praeſcribunt vetera Sacramentaria, & hodierna eccleſiae diſciplina. Quin myſticas eius ritus rationes attulerunt B. Thomas (12), & Simeon Theſſalonicenſis (13). In magnificis quibuſdam eccleſiis fuiſſe altaria auro argentove obducta, & ex mero auro argentove conflata, teſtantur Sozomenus (14), Paullus Silentiarius (15), aliique.

§. III. Suſtinebatur ſacra menſa nonnumquam ab ara ſuppoſita, quae uno, pluribuſve lapidibus conſtabat; ſaepius ab una, vel pluribus, plerumque a quatuor columnis, ut habes ex Germano CPolitano (16), Syneſio (17), aliiſque. In medio ſanctuario locatum erat altare, & ad Orientem ſpectabat, verſus quam plagam veteres chriſtiani ex apoſtolica traditione orare ſolebant (18). Sic vero ponebatur, ut celebrans facie ad populum converſa ſtaret (19). Erat ſuper altare *ciborium*, hoc eſt, aedicula quatuor columnis, inque faſtigiatam formam educta, e quibus pendebant vela, quae totum altare contegebant; unde *tegimen* & *umbraculum* altaris dicitur in Ordine Romano. Tempore oblationis contrahebantur vela, ut ſacrificium & altare conſpicerent univerſi (*d*). In multis eccleſiis e medio altari pendebat

(11) *Can.* 26. (12) *Part. III. q.* 83. (13) *Lib. III. de templo*. (14) *Lib. IX. H. E. cap.* 1. (15) *In deſcript. templi S. Sophiae*. (16) *In Myſtag.* (17) *In Cataſt.*

(18) Conf. Io. Frid. Treiberum *diſſ. de ſitu altarium verſus Orientem*. (19) Vid. Cabaſſut. *diſſ. de veter. eccleſiar. ſitu n.* 9.

(d) De ciboriis, eorumque forma & uſu vide Cangium *ad Paulli Silentiarii deſcript. S. Sophiae n.* 57.

bat columba aurea, vel argentea, ſeu vas in columbae ſpeciem effictum, in quo includebatur vaſculum, ubi euchariſtia pro infirmis ſervabatur. Eiuſmodi columbae meminit Concilium CPolitanum ſub Menna an.536. (*e*). Inde uſque a ſaeculo quinto crucem altaribus ſuperimpoſitam, liquet ex Concilio Turonenſi II. an. 567. coacto (20).

§.IV. Olim unicum in unaquaque eccleſia altare fuit, ut ſacerdotii unitas oſtenderetur (21). Altaris unitatem cum unitate epiſcopi comparat S. Ignatius (22): *Unum altare ἐν θυσιαστήριον, ſicut unus epiſcopus*. Unius altaris paſſim meminit Cyprianus (23). In magnifico templo a Conſtantino exſtructo *unicum altare μονογενὲς θυσιαστήριον* fuiſſe, teſtatur Euſebius (24). Unum fere ſacrificium in una eccleſia ab epiſcopo, presbyteris concelebrantibus, olim offerebatur, necdum miſſae quotidianae uſus invaluerat. At ſaeculo ſexto multiplicari altaria coeperunt. Hine Palladius epiſcopus Santonenſis in una eccleſia a ſe conſtituta *tredecim altaria* collocavit, teſte Gregorio M. (25). Forte altarium multitudo inde orta eſt, quod *ſuper uno altari in uno die duas miſſas dicere* prohibitum fuit, uti ſanxit Concilium Antiſſiodorenſe an. 578. (26). Ne altaria ſuperflua in eccleſiis erigantur, ſed tantum miſſis celebrandis neceſſaria,

ca-

(20) *Can.* 3. (21) Vid. Dodwellum *lib. de uno ſacerdotio & uno altari*. (22) *Ep. ad Philadelph. n.* 4. (23) *Ep.* 40. *& alibi*. (24) *Lib.X. hiſt. eccleſ. cap.*4. (25) *Lib.V. ep.*49. (26) *Can.* 10.

(e) De Euchariſtiae conditoriis conſule Roſweidum *not. ad Paullin. ep.XII.*, Cangium *ad Paullum Silentiar. n.*64., Novarinum *in Agno euchariſtico lib. V. cap.* 55., Durandum *lib. I. de ritib. eccleſ. cap.* 16., & Grancolas *de antiq. Sacramentar. p.* 203. *ſeq.*

cavit Carolus M. (27). Deinceps, aucto presbyterorum, & miſſarum privatarum numero, altarium quoque multitudo ubique in Occidente increvit. Graeci vero antiquiſſimam unius altaris conſuetudinem adhuc retinent (28).

§. V. Conſecranda ſunt altaria, ut ſacra offerri in iis poſſint. Iam ante ſaeculum quintum conſecrari altaria conſueverunt (*f*). Id plerumque factum in ipſa eccleſiae conſecratione, nonnunquam ſeorſim ab ea. Ita Palladius in eccleſia a ſe erecta *tredecim* altaria fixit, quorum *quatuor necdum dedicata* remanſerant, ut inquit Gregorius M. (29). Sacrabantur altaria benedictione, chriſmatis unctione, & martyrum reliquiis. De benedictione altaris loquuntur Gregorius Nyſſenus (30), & Optatus Milevitanus

(27) *In Append. ad lib. IV. Capitul. Caroli M. num.* 7.
(28) Conf. Goar. *not. ad Euchofog.* (29) *Cit. ep.* 49.
(30) *Orat. in baptiſm. Chriſt.*

(f) Io. Bapt. Thierſ. *diſſ. de praecipuis altarib. cap.* 2. ſcribit, ante ſaeculum quintum altaria non peculiari conſecratione, ſed contactu corporis Chriſti conſecrata fuiſſe; tum peculiarem eorum conſecrationem receptam. Urget is Chryſoſtomum *hom.* 20. *in* 2. *ad Corinth.*: *Hoc altare*, ait, *natura quidem lapis eſt; ſanctum autem efficitur poſtquam Chriſti corpus excipit*. Verum haud abſimilia ſcribit Gregorius Nyſſenus *orat. in baptiſm. Chriſt.* conditionem ſpectans lapideae menſae, & peculiarem tamen altaris conſecrationem aperit: *Altare hoc ſanctum, cui aſſiſtimus, lapis eſt natura communis, nihil differens ab aliis cruſtis lapideis*. Mox ſubdit: *Poſtquam vero Dei cultui conſecratum, atque dedicatum eſt; ac benedictionem accepit, menſa ſancta eſt; altare immaculatum*. Ad altarium quoque benedictionem ſpectant haec S. Optati *lib. IV. contr. Parmen.* verba: *Si ſit invocatio nominis Dei; ipſa invocatio ſanctificat* (altare), *& quod pollutum eſſe videbatur*. Rem plane conficit Ambroſius *de exhortat. caſtit n.* 94. iis verbis: *Te nunc, Domine, deprecor, ut ſupra hanc domum tuam, ſupra haec altaria, quae hodie dedicantur &c.*

nus (31). Altaria *ſacerdotali benedictione ſacrari*, cavit Concilium Agathenſe (32). Preces in conſecrandis altaribus exhibent vetera Sacramentaria, & Ordines. Chriſmate quoque deliniri altaria iubent Concilium Agathenſe (33), & Epaonenſe (34). Huius unctionis myſteria aperiunt Rabanus Maurus (35), & Simeon Theſſalonicenſis (36). Tandem Sanctorum reliquias altaribus condi ſolitas, teſtantur Hieronymus (37), Optatus (38), Ambroſius (39), ceterique (g). Morem hunc inde fluxiſſe coniicit Bona (40), quod chriſtiani, pacatis temporibus ſuper martyrum coemeteria, in quibus perſecutionum temporibus ſacros conventus egerant. Iam uni Deo altaria, & templa erigimus, eique ſoli ſacrificamus. Appoſite Auguſtinus (41): *Non eis* (Sanctis) *templa, non eis altaria, non ſacrificia exhibemus*. Rurſus (42): *Nulli martyrum*, inquit, *ſed ipſi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, conſtituimus altaria*. Veteri tamen loquendi more de nomine Sanctorum vocamus altaria, eorumque nomine conſecramus, quae revera uni Deo dedicamus. Sic idem Auguſtinus (43) *menſam Cypriani* dixit altare Deo erectum in loco, ubi ille paſſus fuerat. Porro ius con-

(31) *Lib. V. contr. Parmen.* (32) *Can.* 14. (33) *Cit. can.* (34) *Can.* 26. (35) *Lib II. inſt. cleric. cap.* 45. (36) *Lib. de templo.* (37) *Contr. Vigilant. n.* 9. (38) *Lib. III. contr. Parmen.* (39) *Ep.* 27. (40) *Lib. I. rer. liturg. cap.* 19.
(41) *Serm.* 113. *de diverſis.* (42) *Lib. XX. contr. Fauſt. cap.* 21. (43) *Serm.* 273. *de diverſ. nov. edit.*

(g) De ſacris reliquiis in altaribus condi ſolitis multa congerunt Menardus *ad Sacram. Gregor. M. p.* 203. Martene *de antiq. eccleſ. ritib. lib.* 1. *p.* 300. *ſeq.* Trombellius *de cultu Sanctor. diſſ. VIII.* & Laurent. Terpagtus *diſſ. de ſepulcro altaris.*

conſecrandi altaria epiſcoporum eſt, nec-vicario generali, epiſcopali etiam charactere praedito, ea dedicare licet ſine peculiari epiſcopi mandato (44). Ceterum lavari altaria ſolent, cum ab haereticis, vel ſchiſmaticis polluuntur, ſi ſuper ea celebraverint, uti cavit Innocentius III. in Concilio Lateranenſi (45). Nudantur etiam ac lavantur in Coena Domini, ex Gregorii M. Sacramentario (*h*).

§. VI. Nunc de altari mobili, quod *viaticum*, *geſtatorium*, *tabula itineraria*, *lapis portatilis*, aliiſque nominibus a veteribus dictum eſt. Eiuſmodi altaria iam ante ſaeculum octavum extitere (*i*); nam de

(44) Vid. Bened. XIV. *de Synod. dioeceſ. lib. II. cap. 8. n. 2.*
(45) *Can. IV.*

(h) De diſciplina lavandi & expiandi altaria fuſe differunt Franc. Orlendus *lib. de duplici lavacro in Coena Domini fidelibus exhibito*, Io. Chriſtoph. Batellus & Ioſeph Suareſius in *diſſertationibus de ablatione altarium*, iunctim editis Romae MDCII. 4.

(i) Cangius *Gloſſ. med. & infim. latinit. v. altare* putat, altarium viaticorum nullam fieri mentionem ante Bedam *lib. 5. hiſt. cap.* 11., qui refert eiuſmodi altari uſos fuiſſe duos Ewaldos, martyrio apud Saxones ſeptimo deſinente ſaeculo coronatos. Thiers *cit. diſſ. de praecip. altarib. cap.* 2. docet, altaria portatilia ad initium ſaeculi octavi, & uſque ad S. Vulframnum incognita fuiſſe. Movetur exemplis Luciani, Theodoreti, ac Theodori. S. Lucianum Antiochenum *cum iam iam moriturus eſſet, & tyrannica vis nec eccleſiae, nec altaris copiam faceret, ſupinum iacentem ſupra proprium pectus ſacrificium peregiſſe in carcere*, narrat Philoſtorgius *lib. II. H. E. cap.* 2. Theodoretus Cyri epiſcopus in cella Maris monachi iam iam morituri *diaconorum manibus utens pro altari* ſacrificium obtulit, ut ipſe teſtatur in *hiſt. monaſtic. cap.* 20. Teodorus Cantaurienſis epiſcopus in Poenitentiali permittit presbytero *miſſam in campo dicere, ſi diaconus, vel presbyter, vel ipſe calicem & oblationem manibus tenuerit*. Verum haec veteres arie viaticis omnino caruiſſe non probant, ſed potius eas in quibuſ-

de loco in locum delata idoneam celebrando ſacrificio menſam praebebant in privatis aedibus, cryptis, ſolitudinibus, & ubicumque extra eccleſias ſacrificabatur. Ea primum lignea, tum inde a ſaeculo nono communius lapidea fuerunt, ut ex Hincmaro Remenſi (46), Ivone Carnotenſi (47), & veteribus Ordinibus patet. Fuerunt autem modicae magnitudinis: unde Hincmarus (48) presbyteris ſuis extra eccleſiam celebraturis iniunxit, ut altare viaticum *ſecum* deferrent. Nec niſi ab epiſcopo conſecrabatur. *Dedicatam tabulam vice altaris* Ewaldos ſecum detuliſſe, teſtatur Beda (49). A presbyteris ſuis, ut tabulam lapideam primum ad ſe *conſecrandam* afferrent, depoſcebat Hincmarus. Ante Concilium

(46) *In Capitulis ad presbyteros cap.* 3. (47) *Ep.* 72. & 80. Vid. Marteniuum *de antiq. eccleſ. ritib. lib. II. cap.* 17. Catalanum *ad Pontifio. Rom. tit.* 5. *tom. II.* (48) *Citat. loc.* (49) *Lib. V. Hiſt. Anglor. cap. XI.*

buſdam locis nonnihil amplas fuiſſe, ut cum difficile in remotas partes ſecum deferre poſſent, aliter oportebat ibi conſulere, dum celebrandi neceſſitas urgebat. Ex facto autem Luciani potius colligitur vigens tunc conſuetudo transferendi altare, ut in eo ſacrificetur; primum enim ſanctus martyr *de menſa in carcerem inferenda* ſollicitus fuerat, ut ſecundum receptos mores ſacrificium offerret, ceu habent Acta apud Bollandum *ad diem 7. Januar.* Ad haec ante Vulframnum duo Ewaldi, qui ſaeculo ſeptimo deceſſerant, viaticum altare habuerunt, teſte Beda *cit. loc.*. Quid quod ſaevientibus perſecutionibus chriſtiani divina myſteria celebrabant in agris, ſolitudinibus, navibus, diverſoriis, carceribus, uno verbo *in ſingulis locis*, & *ubi poterant*, ut aiunt Dionyſius Alexandrinus ep. ad Hieracem apud Euſeb. *H. E. VII.* 17., & Victor Vitenſis *de perſecut. Wandalic. lib. I. cap.* 5.? Erigebantur igitur ſacrae menſae in ſingulis iis locis; quumque loca fixa non haberent, in quibus altaria fixa ſtatuerent, mobilibus viaticiſque arulis uti neceſſe erat.

lium Tridentinum altari viatico utebantur epiſcopi, presbyteri, & regulares. Epiſcopos in itineribus ſecum quandoque detuliſſe aram viaticam celebrandi gratia, liquet potiſſimum exemplo S.Vulframni epiſcopi Senonenſis, qui *altare conſecratum, dum iter ageret, ſecum* afferebat (50). Saeculo decimo tertio Bonifacius VIII. (51) epiſcopis omnibus conceſſit, *ut altare poſſint habere viaticum, & in eo celebrare, ac facere celebrari, ubicumque abſque interdicti tranſgreſſione illis permittitur celebrare, vel audire divina.* Presbyteris quoque uſus arae viaticae ab epiſcopis olim conceſſus fuit, quod fecit Hincmarus (52). Duo presbyteri Ewaldi, *quotidie ſacrificium offerebant, ſecumque habebant vaſcula & tabulam altaris vice dedicatam*, teſte Beda (53). Regularibus quibuſdam privilegium altaris viatici conceſſit Honorius III. (54). Sed Tridentina Synodus epiſcopis (55) iniunxit, *ne patiantur privatis in domibus, & omnino citra eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ſacrificium a ſaecularibus, aut regularibus peragi:* quo quidem decreto revocata fuiſſe privilegia arae portatilis regularibus, & presbyteris indulta, pronuntiavit Clemens XI. an.1703. Epiſcopis vero ademtum non fuiſſe viatici altaris privilegium, declararunt Innocentius XIII. & Benedictus XIII. (56).

§.VII. Graeci vice altarium viaticorum adhibent ἀν-

(50) Ionas Monachus S. Vandregeſili *in vit. S. Vulframni* apud Mabillon. *ſaec.III. Benedict. part.1.* (51) *Cap. quoniam 12. de privileg. VI.* (52) *Cit. loc.* Vid. Io. Andr. Schmidium *diſſ. de aris portatilibus.* (53) *Cit. loc.* (54) *Cap. 30. extr. de privileg.* (55) *Seſſ. 22. in decreto de obſervandis, & evitandis in celebratione miſſae.* (56) Conf. Bened. XIV. *de ſacrific. miſſ. ſect. 2. n. 48.* & Io. Bapt. Gatticum *opuſc. de uſu altaris portatilis cap. 12.*

ἀντιμινσια menſarum vicaria, nempe linteamina conſecrata, ſuper quibus expanſis, deficiente altari conſecrato, celebrant. *Antimenſia*, inquit Goarius (57), *ſunt, quaſi ſacrae menſae vice aſſumta Graecorum altaria portatitia, lintea nimirum ſacris reliquiis ditata, unguento quoque ſacro delibuta, & pontificis benedictione ad miſſam in eis celebrandam dedicata*. Crebra eſt antimenſium apud poſteriores Graecos mentio. Quando ea fuerint inſtituta, incertum eſt. Inducta circa ſaeculum decimum fuiſſe, coniici ex Balſamone (58) poteſt, qui monet, quod *propterea, ut veriſimile eſt, excogitata ſunt antimenſia, & fiunt ab antiſtite regionis, ut ponantur ſupra ſanctas menſas oratoriorum*, ἐφ' ᾧ τιθεσθαι ἀντα εἰς τας ἁγιας τραπεζας των ἐυκτηριων, *& oſtendatur ex epiſcopi permiſſione in oratorio fieri ſacrificium*, ἀλλα και εἰς το ἀναφερεσθαι το κατ' ἐπιτροπην ἐπισκοπικην γινεσθαι ἐν τω ἐυκτηριω την ἱερουργιαν. Dum Balſamon ait, prodiiſſe antimenſia, ut Orientales epiſcopi nonnulla iuriſdictionis veſtigia in privatis oratoriis ſervarent, ea prioribus ſaltem novem ſaeculis ignota fuiſſe aperit; nam non niſi ſub Leone Sapiente Orientis antiſtites imminutam ſenſerunt auctoritatem ſuam, quum antea ipſis ſubiicerentur, qui in domeſticis oratoriis celebrare vellent. Conſecrabantur antimenſia a pontifice in novi templi dedicatione. Univerſum conſecrationis ritum deſcribit Euchologium (59). Nec neceſſe fuiſſe, antimenſia omnibus inſterni menſis, ſed iis tantum, quae conſecratae non erant, vel de conſecratione non conſtabat, docet Manuel patriarcha (60).

§.VIII.

(57) *Not. ad Eucholog. Graec.* p. 517. (58) *In can.* 31. *Concilii Trullan.* (59) *Pag.* 224. *ſeq.* (60) *In Reſponſis*. Vid. Lupum *diſſ. de Actis S. Leonis IX. cap.* 13. & Meurſium *Gloſ. v. αντιμινσια*

§. VIII. Eccleſiae, dum perſequutionum furor in religionem debacchabatur, ſimplices ac inornatae fuerunt. Poſt redditam vero pacem variis ornamentis inſtructae ſunt, quae generatim ἀναθήματα vocantur, quaſi res a communi uſu diſcretae, divinoque cultui addictae. Inter haec ſunt picturae. Prioribus tribus ſaeculis & amplius, nullus aut exiguus fuit imaginum uſus in eccleſiis. Id ſatis evincunt & conditio primitivorum fidelium, qui ab ethnicis tamquam idololatrae traducti fuiſſent, & eorum odium in paganiſmum, qui potiſſimum in ſimulacrorum cultu verſabatur, & arcani diſciplina tunc vigens, & patrum de ea re ſilentium, & gentilium criminationes in chriſtianos, quod *templis*, *altaribus*, *ſtatuis*, *ſimulacris* carerent: idque noſtri non negabant, ſed Deum unius templi, aut ſimulacri anguſtiis contineri non poſſe reponebant, adeoque ethnicos errare, qui Deos ſuos in templis & ſimulacris, velut in anguſtiis tenerent, ut apud Origenem (61), Minucium (62), Lactantium (63) alioſque videre eſt. Porro ſi Deus unus, vel trinus pingeretur, verendum erat, ne quem immenſum, incorporeum, omnipotentem noſtri praedicabant, eum ethnici & cathecumeni humana ſpecie pictum cernentes, aliquid ab eius maieſtate alienum concepiſſent. Quid quod martyrum & Sanctorum imagines ludibrio perſecutorum obiectae fuiſſent? Verum alicubi ſacras imagines in eccleſiis nonnumquam depictas, adparet ex Concilio Illiberitano an. 305. (64): *Placuit picturas in eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur, & adoratur, in pa-*

(61) *Lib. VIII. contr. Celſum*. (62) *In Octavio cap.* 10.
(63) *Lib. II. divin. inſt. cap.* 2. (64) *Can.* 36. Vid. Mendozam *not. ad hunc can.* & Pagium *critic. Baron. an.* 55. *n.* 5.

parietibus depingatur. Quorſum enim prohibitio, niſi quia uſus prohibitioni contrarius invaluerat? Quod vero ethnici ex templorum picturis anſam calumniandi chriſtianos arriperent, eas Illiberitani Patres, temporibus ſapientér inſervientes, prohibuerunt. Forte non omnes, ſed tantum Dei imagines interdixerunt, ut innuere videntur verba, *ne quod colitur, & adoratur*; proprie namque Deus *adoratur*. Poſt medium ſaeculum quartum publice in eccleſiis imagines pictae ſunt. Id fieri potiſſimum coepit in Orientalibus eccleſiis circ. an. 380.; nam inter Graecos primum reperiuntur deſcriptiones picturarum in templis apud Gregorium Nyſſenum (*65*). Apud Occidentales vero eccleſiam primus fortaſſe pinxit Paulinus Nolanus epiſcopus (*66*), qui in parietibus templi hiſtorias veteris & novi Teſtamenti pingi curavit, ut plebs, quae ex agris ad celebrandam anniverſariam S. Felicis memoriam conveniebat, & religioſe excipiebatur convivio, iis intuendis frugalius & ſobrius in convivio ſe gereret. Mox idem in aliis eccleſiis receptum; nam pictae imaginis in templis meminit Prudentius (*67*). Deinceps vero eadem res in morem abiit. Porro inde a faeculo quinto donaria, ſeu ἀναθηματα ſic ſtricte dicta, in templis offerri & appendi conſueverunt, in accepti beneficii monumentum (*k*). Frondibus & floribus eccleſias tegi ac

(*65*) *Orat. in Theodor. martyr.* (*66*) *Ep.* 12. *ad Sever.* (*67*) *In paſſion. Caſſiani martyr.*

(k) Ethnici quoque, metu vel periculo defuncti, ἀναθηματα cum votivis tabellis Diis, a quibus ſe liberatos putabant, offerebant. Anathematum in templis gentilium paſſim mentio apud Herodotum, Pauſaniam, Athenaeum, ceteroſque. Tabellarum vero votivarum cum donariis ſuſpenſarum Tibullus, Ovi-

ornari mos fuit, ut Hieronymus (*68*), & Paulinus (*69*) teſtantur.

C A P. XVII.

De eccleſiarum aedificatione, conſecratione, itemque violatione, & reparatione.

§. I. Reddita chriſtiano nomini pace, tot ubique excitatae ſunt eccleſiae, ut modus earum aedificationi poſitus ſit. Novam eccleſiam ſine conſenſu epiſcopi civitatis extrui prohibuerunt Concilium Chalcedonenſe (1), & Iuſtinianus (2). Quum enim eccleſia publico religionis cultui deputetur, ſine voluntate epiſcopi, qui ſacrorum cuſtos ac praeſes eſt, conſtrui non debet. Epiſcopus autem cognita cauſſa videat, num pietatis, an quaeſtus gratia nova eccleſia aedificetur, & num utilis populo ſit, nec veteri noceat. Impetrato epiſcopi conſenſu, novae eccleſiae fabrica inchoari nequit, priuſquam epiſcopus *ςαυρον crucem* ſollemniter figat in loco templi, uti cavit Iuſtinianus (3). Idem ſtatuunt Capitularia Francorum (4). Eamdem diſciplinam apud poſteriores Graecos obſervatam, habes ex Graecorum Euchologio (5), Balſamone (*6*), & aliis, qui ſollemnem

(68) *Ep. 3. epitaph. Nepotian.* (69) *Not. 3. Felicis.*
(1) *Can. 4.* (2) *Nov. 57.* (3) *Nov. 131. cap. 7. & alibi.*
(4) *Lib. V. cap. 229.* (5) Περι ςαυροπηγιυ *pag.* 487.
(6) *In can. 7. Synodi VII.*

Ovidius, aliique meminerunt. Conf. Petr. Kunzium in *hiſtoria ἀναθηματων*, Iac. Philip. Thomaſinum *de votis, donariis, anathematis, & tabellis votivis*, Io. Franc. Madriſium *de ritu donaria in templis ſuſpendendi, in collectione Opuſculor. ſcientific. & philolog. tom. III. p. 373. ſeq.*, & Iuſtum Fontaninum *ad diſcum votivum veterum chriſtianorum Peruſiae repertum.*

nem hanc crucis fixionem σταυροπήγιον adpellant (*a*).

§. II. Porro episcopus consentire non debet, nisi prius legitima dos a constructore fuerit constituta, ut ecclesia ad divinum cultum idonea conservetur. Persecutionum temporibus peculiarem ecclesiae dotem non habuere: fidelium oblationibus sacri ministri alebantur, & necessaria ipsi ecclesiae praebebantur. Post aetatem Constantini M. statim consuetudine, aut praescripto episcoporum observatum fuit, ut dos ecclesiae a fundatore constitueretur; totum enim hoc negotium ad mores hominum refert Iustinianus (7). Quod autem initio liberalitatis fuisse videtur, ut qui ecclesiam aedificaret, ei etiam conservandae certa subsidia destinaret, id deinceps lege iniunctum, & necessitatis factum est, ne in nudis aedibus constitutae ecclesiae aut destruerentur, aut sacro ministerio penitus defraudarentur; quod accidisse refert Iustinianus (8). Quare novam ecclesiam idem Imperator (9) extrui vetuit, priusquam sufficiens ei dos adsignetur *ad luminaria, & ad sacrum ministerium, & ad incorrumpendae domus custodiam, & observantium alimenta*. Primus videtur Iustinianus de dotanda ecclesia legem tulisse, quod moribus antea fiebat. Postquam vero publica lege dos ecclesiae necessaria facta est, secundum eam plurimi conciliorum canones conditi sunt de ecclesia dotanda. Constitutio autem dotis praecedere debet ecclesiae aedificationem, uti statuunt Iustinianus (10), & Concilium

Z 2

(7) *Nov. 3. in praef.* (8) *Nov. 67. in praef.* (9) *Cit. Nov. cap. 2.* (10) *Cit. Nov. cap. 2.*

(a) Plura de σταυροπήγιω Goar *ad Euchology. p.*489. *seq.* Meursius *in Gloss.* h. v. & Possinus *in Gloss. ad tom. I. Pachymer. p.* 414.

lium Aurelianenſe IV. an.514. (11). Quod ſi fuerit ante aedificationem omiſſa, oportebit illam ante conſecrationem fieri; eccleſiam enim conſecrare, niſi dos ei fuerit conſtituta, vetant canones. Gregorius M. (12), Felici Meſſanenſi epiſcopo permittit baſilicam conſecrare, *percepta prius donatione legitima*, hoc eſt dote. Eadem lege Benenato Tyndaritano (13) oratorium dedicare concedit. Eiuſmodi autem dos eſſe debet perpetua, ſecura, & congrua, quae nempe ſufficiat honeſte alendis clericis ipſi eccleſiae deſervientibus, luminaribus cultui divino neceſſariis, & ſacro aedificio conſervando. In Gregorius M. (14) fieri ante eccleſiae conſecrationem praecepit *donationem legitimam, quae ſartis tectis, luminaribus, & alimentis ſervientium* ſufficiat.

§.III. Extructa eccleſia conſecrari debet, hoc eſt, divino cultui ſollemni ritu addici (*b*). Perſecutionum aeſtu eccleſias conſecrari conſueviſſe, vero eſt ſimillimum: Coaluerunt enim chriſtiani ex Hebraeis, & gentilibus, quibus ſollemne erat templa dedicare.

(11) *Can.* 33. (12) *Lib. II. ep.* 5. (13) *Lib. IX. ep.* 84.
(14) *Cit. Lib. II. ep.* 5.

(b) Valde inter ſe differunt eccleſiam *conſecrare*, ac *dedicare*. Conſecrare certis ritibus, conceptiſque formulis continetur: dedicare idem eſt ac uſui dicare ſeu addicere, Graece ἐγκαινίζειν *initiare*, ſequentibus Latinis *encaeniare*, ſeu aliquid primo exercere, vel induere: unde veſtem novam *encaeniat*, qui primo eam induit, vel portat. Appoſite Auguſtinus *tract.* 48. *in Ioan.* ait: *Quandocumque novum aliquod fuerit dedicatum, encaenia vocantur. Iam & uſus habet hoc verbum: ſi quis nova tunica induatur, encaeniare dicitur.* Et Ioannes de Ianua ex Papia inquit: *Encaeniare novum aliquid induere.* Conf. Cangium *Gloſſ.* v. „ encaenia, & Mazochium *ep. de dedicat. ſub aſcia cap.* 1. & *diatriba de dedicationibus* ſubiecta capiti 3. *commentarii de Campano Amphitheatro.*

re. Ita templum Salomonis magna ſollemnitate dedicatum fuit (c). Therapeutas, qui Iudaei erant, habuiſſe *conſecratam orationi domum*, in qua *caſtae vitae myſteria* celebrarunt, teſtatur Philo (15). Quid idem de primitivis chriſtianis adfirmare vetat? Pacatis Conſtantini temporibus eccleſiae ubique terrarum magno apparatu conſecratae ſunt. Euſebius (16) memorat *dedicationum feſtivitatem per ſingulas urbes, & oratoriorum recens ſtructorum conſecrationes*. Athanaſius (17) commendat conſecrationem eccleſiarum ab Alexandro, aliiſque epiſcopis celebratam. In eccleſia nondum conſecrata divina officia peragi non poſſe, bene vetus ius eſt. Sic Athanaſius (18) Arianis obiicientibus reponit, ſe aliquando ante encaenia ſacrificaſſe ob eccleſiarum anguſtias, & populorum frequentiam.

§. IV. Quo ritu eccleſiae perſecutionum temporibus dedicatae fuerint, non liquet. Forte id factum per gratiarum actionem, & preces pro ſancto ipſarum uſu. Parta vero pace, eccleſiarum encaenia magna celebritate expediri coeperunt. Evocabantur nam-

Z 3 que

(15) Apud Euſeb. *lib. II. H. E. cap.* 17. (16) *Lib. X. H. E. cap.* 3., *& lib. IV. de vit. Conſtantin. cap.* 43.
(17) *Apolog. I.* (18) *Cit. Apol. n.* 17.

(c) Ethnici & Hebraei templa, urbes, ſtatuas, aliaque dedicare ſollemni ritu conſueverunt. Vid. Mazochium cit. *diatriba de dedicationibus*, Cangium in *CPoli chriſtiana*, Io. Bapt. Bellum *de templi inauguralis partibus*, & Antonium van Dale *diſſ. de conſecrationibus templorum, perſonarum, ac rerum ſacrarum*, ſubiecta editioni ſecundae *libri de oraculis*. De dedicatione templi Salomonis conſule interpretes ad *Exod. XXIV. 6. ſeq. Levit. VIII.* 10. *ſeq. Hebr. IX.* 18. *ſeq. & ad lib. III. Reg. cap.* 8. De feſto encaeniorum, ad templum poſterius poſt Antiochi profanationes repurgatum a Iuda Macabaeo pertinentium, perlege *lib. I. Macab. cap.* 4.

que ad eccleſias conſecrandas vicini epiſcopi, qui ſermones de ea re habebant. Quin occaſione eiuſmodi dedicationum concilia quandoque habita ſunt, ut exemplo eſt Antiochenum an. 341. Convocati epiſcopi cum clero & populo hymnis, precibus, aliiſque pietatis officiis vacabant: quod id dedicatione eccleſiae Hieroſolymorum factum, refert Euſebius (19). Publica convivia in encaeniis celebrata docet Sidonius Apollinaris (20). Olim non eodem ubique ritu dedicabantur eccleſiae, ſed variis pro locorum & temporum diverſitate, ut ex Ambroſio (21), ſcriptoribus divinorum officiorum, & veteribus Sacramentariis conſtat. Recentiorem exhibet Rituale Romanum (*d*). Diebus tantum Dominicis eccleſias conſecrari ſanxit Concilium Caeſarauguſtanum ann. 688. (22); at eas etiam non feſtis diebus dedicari permiſit Innocentius III. (23). Anniverſarios dedica-

(19) *Lib. IV. de vit. Conſtant. cap.* 45. (20) *Lib. IV. ep.* 15. Conſ. Savaronem *ad hanc epiſt. p.* 264. & Theoph. Raynandum *in chriſtiano Chriſti & eccleſiae per baptiſmum filio cap.* 7. *p.* 334. *ſeqq.* (21) *Ep.* 54. (22) *Can.* 1. (23) *Cap.* 2. *ext. de conſecr. eccleſ.*

(d) Variis ritibus eccleſiarum encaenia peracta ſunt; quorum praecipuus is, quod Sanctorum reliquiae ſub altaribus conduntur, oleo ſacro inunguntur parietes, aqua benedicta luſtrantur intus & exterius. Has & ceteras dedicationis eccleſiarum caeremonias attigerant Gregorius M *in Sacrament. p.* 147. Ivo Carnotenſis *ſerm.* 4. *de reb. eccleſ.* aliique veteres. Copioſe de encaeniis ſeu ritibus eccleſias conſecrandi diſputant Bona *lib. I. rer. liturg. cap.* 59., Menardus *in Sacrament. cit. loc.*, Bellarminus *de cultu Sanctor. lib.III. cap* 5., P.Galluzzi *del rito di conſacrare le chieſe colla ſua antichità, ſignificato, convenienza, e prerogative*, Iac. Owenius *in hiſtoria conſecrationis templorum & altarium*, ac Daniel Lundius *diſſ. de encaeniis templorum*.

cationum baſilicarum dies celebratos ex veteri conſuetudine, tradunt Sozomenus (24), Felix IV. (25), aliique. Semel vero conſecratam eccleſiam iterum conſecrari non poſſe, ſupponit Innocentius III. (26).

§.V. Ius eccleſiarum conſecrandarum proprium eſt epiſcoporum. Ab his ſemper eccleſias dedicatas, conſtat ex Euſebio (27), Socrate (28), Sozomeno (29), Fortunato (30), aliiſque. Presbyteris eccleſias dedicare interdixerunt Concilium Hybernenſe an. 356. (31), & Bracarenſe I. (32). Quin eccleſiae conſecrationem ad poteſtatem ordinis, non iuriſdictionis epiſcopalis, adeoque non niſi epiſcopo delegandam, canoniſtae referunt (33). Epiſcopi autem in propria dioeceſi eccleſias conſecrant; in aliena non niſi epiſcopi dioeceſani venia, uti ſanciunt Concilium Arauſicanum (34), & Aurelianenſe III. (35). Quod ſi epiſcopi ſedes vacaret, unus e vicinis epiſcopis dedicationi faciendae arceſſebatur, teſte Sidonio Apollinari (36). Olim non a ſolo dioeceſis epiſcopo, ſed a pluribus provinciae antiſtitibus conſecrari eccleſiae ſolebant, ut praeter laudatos Euſebium, alioſque, teſtantur Athanaſius (37), Ambroſius (38), Auguſtinus (39), ceterique. Sed iam a ſaeculo ſexto invaluit diſciplina, ut eccleſiae a ſolo epiſcopo dioeceſano dedicarentur: quod Gregorii M. epiſtolae,

(24) *Lib. II. H. E. cap.* 25. (25) In epiſt. apud Burchardum *lib. III. cap.* 58. Vid. Cangium *ad Paullum Silentiar.*

(26) *Cap. VI. eod.* (27) *Lib. X. H. E. cap.* 3. *&* 4. *& lib. IV. de vit. Conſtant. cap.* 43. (28) *Lib. I. H. E. cap.* 28. *& lib.* 2. *cap.* 7. (29) *Lib. II. H. E. cap.* 26. (30) *Lib. III. poem.* 4. *ad Felicem.* (31) *Can.* 23. (32) *Can.* 37. (33) Vide Barboſam *de offic. epiſcop. alleg.* 27. (34) *Can.* 10.

(35) *Can.* 15. (36) *Cit. lib. IV. ep.* 15. (37) *Cit. Apol. I.* (38) *Ep. V.* (39) *Ep.* 251.

praeſertim ad epiſcopos Regni noſtri datae, luculenter oſtendunt.

§. VI. Olim epiſcopis eccleſias & oratoria dedicare non licebat ſine metropolitani ſui venia. Inter iura metropolitica erat & illud, licentiam conſecrandi eccleſias ſuffraganeis indulgere, uti conſtat ex Montano metropolita Toletano (40). Nullam eccleſiae aut oratorii conſecrationem peregerunt epiſcopi Regni ſine venia Romani Pontificis, qui unicus eorum metropolitanus diu extitit. Gelaſius I. (41) epiſcopis Lucaniae, Brutiorum & Siciliae praecipit, *ut baſilicas noviter inſtitutas, non petitis ex* MORE *praeceptionibus, dedicare non audeant*. Rurſus (42) reprehendit nonnullos, qui *abſque peaecepto Sedis Apoſtolicae eccleſias vel oratoria ſacrare praeſumſerant*. Id aetate Gregorii M. conſtanter obſervatum eſt. Sic ab eodem Gregorio metropolita ſuo veniam conſecrandi eccleſias & oratoria obtinuerunt Fortunatus Neapolitanus (43), Ioannes Surrentinus (44), Felix Meſſanenſis (45), Ioannes Panormitanus (46), Benenatus Tyndaritanus (47), Decius Lilyboetanus (48), aliique epiſcopi noſtrates. Quin ante Gregorium licentia a Pelagio I. (49) data fuit Aſterio Salernitano epiſcopo conſecrandi *iuxta muros Salernitanae civitatis intra monaſterium ſuum oratorium a Vindemio* ab-

(40) *Ep. ad fratres Palentini territorii in Concilio Toletano II.*, apud Binium *Concil. tom. II. p.* 401. (41) *Ep. ad epiſcop. per Lucan., Brutios, & Siciliam conſtit. cap. IV.*

(42) *Cit. epiſt. cap.* 25. (43) *Lib. III. ep.* 63. *& lib. V. ep.* 37. (44) *Lib. I. ep.* 4. (45) *Lib. II. ep.* 5. (46) *Lib. XIV. ep.* 9. (47) *Lib. IX. ep.* 84. (48) *Lib. X. ep.* 66.

(49) *Ep. ad Aſterium*, edita primum ab Holſtenio ex collectione Card. Deus-dedit *lib. III. cap.* 168., tum inſerta Labbaeanae Conciliorum editioni *tom. IV. p.* 485. *edit. Venet.*

abbate fundatum. Formulam, qua concedebatur epiſcopis eccleſias & oratoria dedicare, exhibet liber Diurnus Romanorum Pontificum (50). Ipſi epiſcopi, ſi domeſticum intra epiſcopium ſibi oratorium dedicare vellent, licentiam a Romano Pontifice adſequi debebant, ut ex eodem libro Diurno (51) conſtat. Ceterum dedicationi eccleſiae vel oratorii faciendae neceſſe erat, praeter legitimae dotis conſtitutionem, ut nullum in eo loco corpus fuerit humatum. Sic Pelagius I. (52) permittit Aſterio Salernitano dedicare oratorium, *ſi nullum corpus ibidem conſtet humatum*. Sub eadem ſollemni clauſula Gregorius M. Benenato Tyndaritano (53), Felici Meſſanenſi (54), Fortunato Neapolitano (55), aliiſque Regni epiſcopis, dedicandi licentiam indulget. Forte diſciplina de non conſecrandis eccleſiis in locis, ubi cadaver erat humatum, orta eſt ex errore, in nonnullis regionibus adſcito, dedicandi eccleſias *in quocumque nomine defunctorum, & nec omnino fidelium*, quod Gelaſius I. (56) inhibuerat.

§. VII. Interdum polluitur eccleſia. Id fit aut humani ſanguinis effuſione iniurioſa & voluntaria (57); aut homicidio etiam citra ſanguinis effuſionem in ea patrato (58); aut voluntaria τȣ σπερματος effuſione (59); aut infidelis, vel excommunicati ſepultura (60). Non autem violatur eccleſia, ſi ab epiſco-

po

(50) *Tit. XI. cap. 5. edit. Garnerii*. Vid. Martenium *lib. II. de antiq. eccleſ. ritib. cap. 13. n. 5.* & Catalanum *comment. in Pontif. Rom. tom. II.* (51) *Tit. 10. cap. 5.*

(52) *Cit. ep. ad Aſterium*. (53) *Cit. lib. IX. ep.* 84.

(54) *Cit. lib. II. ep. 5.* (55) *Cit. lib. III. ep. 63.*

(56) *Cit. ep. cap. XXV.* (57) *Cap. ult. ext. de conſecr. eccl.*

(58) *Cap. 4. ext. eod.* (59) *Cit. cap. ult., & can. eccleſiis de Conſecr. diſt. 1.* (60) *Can. 27. & 28. de conſecrat. diſt. 1. & cap. 7. ext. eod. tit.*

po excommunicato ſacretur, quum talis violatio in iure expreſſa non ſit, uti ſcite Gonzalez (*61*). Polluta eccleſia & coemeterium ipſi contiguum pollui, non contra, expreſſit Bonifacius VIII. (*62*). In violata eccleſia, antequam reconcilietur, ſacrificium & divina officia celebrari nefas eſt (*63*). Ius eccleſiae reconciliandae epiſcoporum eſt; quumque ſit ordinis, non iuriſdictionis, committi presbytero non poſſe, reſpondit Gregorius IX. (*64*). Expiatur eccleſia aqua cum vino & cinere admixta, per epiſcopum benedicta: quod *ſit ad exemplum ac terrorem*, ut peccatores *inanimatum templum purificari videntes, delicti horrore concutiantur*, inquit Concilium Colonienſe ann. 1536. (*65*). Quod ſi eccleſia non conſecrata, ſed dumtaxat benedicta polluatur, ſollemni reconciliatione opus non eſt; nam aqua benedicta a ſacerdote prolui ſat eſt, uti reſcripſit Gregorius IX. (*66*).

§. VIII. Extructas eccleſias tueri, ac reparare ſeu reſtaurare, religionis intereſt, ne ſacra loca edacis iniuria temporis obſoleſcant, & ex hominum memoria excidant. Utraque cura veteres patres exercuit. Reficiendae vero ſunt ex bonis earumdem eccleſiarum. In diviſione redituum eccleſiaſticorum quarta eorum pars fabricae eccleſiae addicta eſt; quin in Hiſpania pars tertia eccleſiis inſtaurandis adſignata (*67*). Inſtitutis deinde beneficiis, quorum fructus unis beneficiariis ceſſerunt, onus hoc ad eoſdem tranſiit.

Be-

(61) *In tit. Decretal. de conſecrat. eccleſ.* (62) *Cap. unic. de conſecrat. eccleſ. in VI.* (63) *Cit. cap.* 10. *eod.*, *cap.* 2. *ext. de privilegiis*, & *cap.* 8. *de ſent. excom. in VI.* (64) *Cap.* 9. *ext. de conſecr. eccleſ.* (65) *Part. IX. cap.* 17. (66) *Cit. cap. ult.* (67) De hac proventuum partitione fuſe dicetur infra cap. 22.

Beneficiorum enim inſtitutione tantum ratio admiⲻniſtrandi bona eccleſiarum mutata eſt; ipſa bonorum natura immutata ſtetit. Hinc beneficiarios ad eccleſias ſuas reparandas, habita partis fructuum quos percipiunt ratione, canones compellunt. Aequum eſt enim, ut qui commoda iure beneficiario ex eccleſiis percipiunt, eaſdem quoque ſartas tectas tueantur. Inter alia Concilium Romanum ſub Eugenio II. (68) cavit, *deſtructas eccleſias ab iis, qui eas poſſident, reaedificari*. Et Tridentinum (69) ſtatuit, ut *epiſcopi eccleſias parochiales collapſas reſtaurari procurent ex fructibus & proventibus quibuſcumque ad eaſdem eccleſias quomodocumque pertinentibus*. Ad reficiendam eccleſiam tenentur etiam, qui decimas, aliaque bona eccleſiaſtica poſſident, quamvis beneficiarii non ſint, ratione fructuum, quos ab ea percipiunt. Concilium Moguntinum an. 813. (70) iuſſit: *Quicumque eccleſiaſticum beneficium habent, omnino adiuvent ad tecta eccleſiae reſtauranda, vel ipſas eccleſias emendandas, & nonam & decimam reddant*. Heic Synodus non de clericis, aut eccleſiaſticis beneficiis loquitur, ſed de laicis, qui hac tempeſtate in Galliis decimas, & alia bona eccleſiaſtica iure *feudi*, ſeu *beneficii* tenebant, ut oſtendunt verba, *& nonam & decimam reddant*, quae non niſi ad laicos, decimas & bona eccleſiaſtica iure feudi poſſidentes, referri poſſunt (71). Quod vero prior hominum debeat eſſe cura, quam lapidum & aedificiorum; beneficiarios *ad reparationem & inſtitutionem eccleſiarum cogendos, ſi eis ſuperſint* bona, deductis alimentis, reſcri-

(68) *Can.* 25. (69) *Seſſ.* 21. *de ref. cap.* 7. (70) *In cap.* 1. *ext. de eccleſ. aedific.* (71) Vide Fileſacum *in ſacrilegio laico*, & Peckium *tract. de reparandis eccleſiis*.

ſcripſit Alexander III. (72). Quod ſi bona eccleſiaſtica reſarciendis templis non ſufficiant, *a populo adiuventur*, inquit laudata Synodus Romana (73). Profecto chriſtianorum eſt, habere loca ad publicum religionis exercitium deſtinata. Concilium Tridentinum (74) epiſcopis permittit, ut ſi eccleſiaſtici proventus ad eccleſiam paroecialem reſtaurandam non ſufficiant, *omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis eccleſiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum, parochianos, omnibus remediis opportunis, ad praedicta cogant* (e). Hactenus dicta procedunt in reparatione neceſſaria, ſive ob vetuſtatem, ſive fortuitam ruinam. Si cuius ſcelere templum evertatur, facienda eſt reparatio ſumtibus eius, qui deſtruxit (75).

C A P. XVIII.

De eccleſiarum aſylo.

§. I. HAbent chriſtianorum eccleſiae της ἀσυλιας privilegium. Eſt autem aſylum *templum aliuſve quivis locus inviolabilis, & conſecrationis lege tutus, ad quem confugientes avelli ſine ſummo piaculo nequeunt*. Eius ſpecies potiſſimum tres, puta *civile*, *ſacrum*, & *eccleſiaſticum*. Civile a Principum arbitrio deſcendit, primumque ceſſit palatiis regiis; tum ad urbes, ſepulcra Heroum, Principum ſtatuas, ima-

(72) *Cap.* 4. *ext. de eccleſ. aedific.* (73) *Cit. can.* 4.
(74) *Cit. loc.* (75) *Cap.* 16. *ext. de for. compet.*

(e) Haec Tridentini ſanctio apud nos haud recepta, quod epiſcopis imperium vel in ipſos laicos tribuit. Tantum Regis adſenſu noſtratibus collectae ad reficiendas eccleſias indicuntur.

imagines, & ſigna militaria paſſim extenſum eſt [*a*]. Inſtitutis diverſis ſocietatibus ἀυτοκεφάλοις invicem independentibus, diviſiſque adeo gentibus, innotuit *aſylum nationum*, quo ad aliam nationem confugiens, tutus eſt: ad quod legatorum immunitates referuntur [*b*].

§.II. Omnium vero antiquiſſimum eſt ſacrum aſylum, quod templis, lociſque Deo ſacris debetur. Hoc induxit tacitus communis conſenſus populorum, tum propter Deum, ut cultus & reverentia locis ipſi conſecratis impenderetur, tum propter homines, ut ita legum ſeveritas emolliretur in caſibus misericordia dignis, & a poena miſeri homines ſubducerentur, qui potius infortunio, quam dolo deliquiſſent (*c*). Nec

(a) Conditores urbium aſyla aperuerunt, quo facilius urbem incolis implerent. Sic Cadmum, quum Thebas conderet, primum ferunt aſylum inſtituiſſe, quo perfugientes, ſive ſervi, ſive liberi, ab omni poena tuti eſſent. Herculis Thebani liberi, vel ut ſe ab hoſtibus tuerentur, vel ut ad ſe alios traherent, templum miſericordiae Athenis collocarunt, quod ſecuritatem confugis dabat. Servius *ad Virgil. lib.VIII. Aeneid.* Statius *lib. XII. Thebaid.* Romulus, ut quamplures haberet incolas, aſylum conſtituit, quo confugiens ab omni noxa liber erat. Vid Oſiandrum *diſſ. de aſylis gentium*, inſerta tomo VI. Theſaur. Antiq. Grecar., & Andr. Cirinum *de urbe Roma cap.* 30., recuſa tom. 2. Theſaur. Sallengrian. Aſylum etiam confugientibus ad ſtatuas Principum conceſſum eſt. Conf. Chriſtoph. Cellarium *ad Plin. lib. X. ep.* 16. & Georg. Rittershuſium libello *de aſylis*, inſerto tom. VIII. Criticor. Anglor. Sed & confugientes ad ſigna militaria tuti erant, forte quia Imperatorum imagines illis plerumque erant adnexae. Tacit. *Annal. lib. I.*

(b) Vid. Chriſt. Thomaſium *diſſ. de aſylis*.

(c) Sacri itaque aſyli cauſſa fuit tum reverentia Deo lociſque adeo ſacris debita, tum affectus quidam commiſerationis. Acceſſit ratio communis boni, cum utile ſit, eſſe in rep. *φυγαδευτηρια*, in quibus miſericordia conſulatur iis, quos inopina

Nec ulla unquam fuit natio, quae Divinitati aras & templa erexit, apud quam ſacrorum locorum ſanctitas confugas non protexerit, eorumque violatores ſacrilegi, ac religionis rei habiti non ſint; ita ut crimen non tam in Deorum ſupplices, quam in Deos ipſos admiſſum videretur (*d*).

§. III.

na miſeria depreſſit. Sunt ergo aſyla aequa, utilia, & reip. convenientia, ut ſcilicet innocenti ſubveniatur, ſanguis humanus temere non effundatur, miſericordia miſeris, tutela infortunatis praeſtetur; ſecus nec Deus aſyla in Iudaica, quam moderabatur, republica admiſiſſet, nec gentes in iis obſervandis ſemper & ubique conſenſiſſent.

(d) Sacra aſyla ethnicorum & Hebraeorum uſu probata fuerunt. Apud gentes omnes, quae Numen intra certum ambitum coluere, templa ſancta & tuta fuerunt. De Graecis explorata res eſt. Videſis Polyb. *lib. IV. Hiſt.* Strabonem *lib. XIV. p.* 641. Nepotem in *Pauſania* & Suidam in voce δημοσθενης & ὕπατοι. Scythae habebant ſacros *montes Arymphaeos*, ad quos confugientes tuti erant. Germani vero ſacros lucos, quorum ſanctitas confugas tuebatur. Romani inde a temporibus reipublicae ſacrum aſylum ſancte ſervarunt. Vide quae de hac re adverſus Sarpium *de iure aſylor. cap. VII.* alioſque, in ſola Graecia templorum aſylum viguiſſe ſcribentes, fuſe diſputat Iac. Piſtorucius *de iure ſacrorum aſylorum p.* 28. *ſeqq.*

Apud Hebraeos aſyla idem, qui & ſeverus homicidii vindex, Deus inſtituit. Eorum deſignatione humano ſanguini, & infortunato homini cavere voluit; ita ut iuſtitia & aequitas vigeret, & ſanguis humanus non prodigeretur. Hinc ea tantum recipiebant homicidam involuntarium, innocentiae patrocinabantur infortunatae. Dum Iudaei in ſolitudine oberrarunt, altare & tabernaculum, ſive aedes ſacra, perfugium homicidis involuntariis dabant; doloſi autem etiam ab altari abducebantur ad necem. Exod. XXI. 14. Iudaeis deinde in terra promiſſionis conſtitutis; urbes refugii, & templum ſecuritatem confugis dedere. Nimirum inſontis hominis ſanguine adeo contaminatur terra, ut expiari, niſi ſcelerato ſanguine eius, qui ſanguine innoxio ipſam foedavit, non poſſe, Deus pronuntiaverit Geneſ. IX. 6. Cognatis interfecti hominis licebat occiſorem trucidare. Num. XXXII. 21. Hic vocabatur גואל *Goel.*

hoc

§.III. Eccleſiaſticum aſylum chriſtianarum eccle-
ſia-

hoc eſt *redemtor*, *vindex ſanguinis*, quia caedem ab iniuſto occiſore ulciſcebatur; eratque cognatus proximior, ſeu heres occiſi; nam quum hereditates ad normam propinquitatis conferantur, qui ſanguine propior, is iure quoque potior eſt. Vide Georg. Goetzium *diſſ. de redemtore Hebraeorum*. Quum itaque Goel occiſorem interficere poſſet, & quaſi obligatus eſſet, licet eum dimittere vellet, ne homicida iuſto cognatorum dolore, caeco impetu ſtatim facto, perimeretur, Deus per Moſen conſtitui praecepit ſex urbes aſyli, tres trans Iordanem, & totidem in terra Chanaan, ut ad eas confugeret, qui *nolens ſanguinem fuderit*. Num. *cit. loc.* Tres perfugii civitates ad Orientalem plagam ſeparavit Moyſes. Deuteron. cap. IV. Poſt Moſis deceſſum tres alias urbes Ioſua addidit. Ioſ. cap. XX. Sex itaque fuere confugii urbes. Qui etiam Levitarum urbes, quae quadraginta & duae erant, aſyla fuiſſe cenſent, ii nullo idoneo vade agunt. Vid. Cunaeum *de rep. Hebr. lib. I. cap.* 7. & Io. Nicolai *in not.* Ad unam e ſex perfugii oppidis ſe conferebat homicida, ubi tutus erat, donec dicta cauſſa ſuam innocentiam iudicibus probaſſet, gladio Goelitico interim quieſcente. Si per inſidias occidiſſe iudicabatur, ex urbe confugii extrahebatur, & Goeli occidendus tradebatur, ut noxius ſanguis ab Iſrael auferretur. Deut. cap.XIX. Si vero per imprudentiam, ibi exulabat, donec viveret eius temporis Pontifex Max. Aſyla igitur a Deo ſancita non ſceleſtos, ſed inſontes tutabantur homicidas. Quin ne hos quidem ita tuebantur, ut immane facinus, quamvis ab eo patrando aliena eſſet voluntas, prorſus impune ferrent; nam inconſiderantiae poenas luebant, in exilio vivere coacti, muriſque aſyli quaſi carcere concluſi, ad vitam uſque Pontificis max. Conf. Io. Conrad. Ikenium *diſſ. de homicida involuntario exulante in urbe refugii uſque ad mortem Pontifex max.* Io.Chriſtoph. Wichmanshauſen *diſſ. de praeſidiis Levitarum urbibus*, & Io. Adam. Oſiandrum *diſſ. de aſylis Hebraeor.*

Conſtitutis autem aſyli urbibus, nec Altare & Tabernaculum, nec poſtea Templum aſylo caruerunt. Deſignavit enim Deus confugii oppida pro innocentibus, diſtincta ab Altari & Tabernaculo, ut confugarum multitudini conſuleret, quam ob cauſſam ſex urbes conſtituit, ac ne frequenti illorum numero Tabernaculi ſanctitas violaretur, neve publica religionis officia interturbarentur; at Altaris & Tabernaculi aſylo non derogavit,

ſiarum proprium eſt. Hoc fruſtra quaeres tribus perſequutionum ſaeculis, in quibus chriſtianorum coetus tamquam nefariae coitiones traducti ſunt, ipſaque religio ab ethnicis mire divexata, & ſpreta fuit. Saeculo IV. data per Conſtantinum M. pace, eccleſiis Deo publice erectis, ius της ἀσυλιας ſancte ſervatum ad ea tempora, a templis ariſque gentilium ad chriſtianorum eccleſias ultro perrepſit. Aequum enim erat, antiquiſſimum hunc externae religionis actum, hominum mentibus tam alte infixum, ad cultum veri Numinis traduci, ut & thymiata, thura, aliique minores religionis actus, a paganis adhibiti, meliori conſilio translati ſunt. Nova quidem lege ad aſylum eccleſiis noſtris conciliandum opus non fuit. Illatione veteris aſyli inductum fuit in obſequium verae divinitatis, quod in falſae cultum fuerat inſtitutum: quod videtur innuere Theodoſius Iunior (1). Quis vero concoquat, Conſtantinum Aug. de chriſtianis ſacris ornandis & amplificandis adeo ſollicitum, paſſum fuiſſe, noſtras eccleſias fanis ariſque gentilium minus privilegiatas eſſe? At ſaeculo quarto perfugium ad eccleſias viguiſſe, mox oſtendetur. Quid quod non ignorabant tunc chriſtiani, apud Hebraeos Tabernaculum & Templum ius aſyli habuiſſe (*d*)?

§.IV.

(1) Vid. *L. 4. & edictum Impp. in Cod. Theod. lib. IX. tit. 45. de his qui ad eccleſ. confug.*

vit. Iniuria Sarpus *de iure aſylor. cap. ult.* negat, *Templum Iudaeorum immunitatis privilegiis inſignitum ullibi ſcriptum eſſe:* quod idem viſum Auctori *Diſcurſus de aſylo eccleſiaſtico cap. 4. edit. Florent.* 1783. At hos refellit Iac. Piſtorucius *de iure ſacror. aſylor. p. 16. ſeqq.*

(e) Sunt qui eccleſiaſtici aſyli originem a naturali, aut divino iure repetunt. At cum reus ex naturali iuſtitia puniri debeat, nullus locus a poena eum eximere poteſt. Debetur

qui-

§.IV. Nulla itaque humana lege eccleſiarum confugium inſtitutum fuit. Non quidem civili. Prima enim imperialis de aſylo ſanctio eſt Theodoſii M. ann. 392. (2) lata, qua publicos debitores eo beneficio arcet (*e*). At haec aſylum non concedit, ſed iam inductum ſupponit: tantum modum & limites aſylo figit, cum in immenſum iam tum uſus eius excreviſſet, ut ipſi fatentur Gothofredus (3), & Eſpenius (4). Nec intercedit Binghamus (5), qui huius privilegii originem in tempora Conſtantini confert. Deinde Honorius Imp. an.404. (*6*), eum maieſtatis reum pronuntiat, qui confugientes ad eccle-

(2) *L. 1. C. Theod. de his qui ad eccleſ. confug.* (3) *Ad d. L.1.* (4) *Diſſ. de aſylo templor. cap.1.* §. 1. (5) *Lib.VIII. Orig. eccleſ. cap. II.* §. 1. (6) *L. 2. C. eod.*

quidem locis Deo ſacris cultus & reverentia; ſed iuſtitia virtutum maxima religionem continet. Nihil de hac re in novo Foedere, aut apoſtolica traditione proditum. Divinum vero Hebraeorum ius de aſylo non *morale* fuit, a Deo factum, tamquam auctore naturae & legislatore univerſi, quod aeternum viget, & chriſtianos obſtringit; ſed *civile*, a Deo conditum, tamquam proprio Hebraeorum legislatore, quod morte Chriſti ſublatum eſt. Imperatores, Pontifices, & Concilia, dum eiuſmodi immunitatem confirmant & urgent, non ad divinum ius, quod deeſt, appellant, ſed ad reverentiam locis Deo ſacris debitam, aut ethnicorum exemplum moreſque proponunt, ut Theodoſius Iunior *cit. loc.*, Nicolaus I. *ad conſult. Bulgar. cap.* 95., & Concilium Matiſconenſ. II. *can.* 8. Quid quod varium apud chriſtianos eſt aſyli ius pro variis Principum & Patrum conſtitutionibus, quod etiam argumento eſt, illud divini iuris non eſſe?

(*e*) Ex hac lege ſatis refellitur Sarpus *de iur. aſylor. cap.*1. adfirmans, primum de aſylo legem tuliſſe Arcadium an.397., ruitque ſimul ipſius obſervatio, quod *prima reorum, qui ad eccleſiam confugiebant protectio, non aliorum fuit, quam Iudaeorum ac infidelium, qui eo ſe recipiebant, promittentes, velle ſe chriſtianam religionem amplecti.*

ſias abducere auderet : itaque ſanctione hac munitur immunitas , non inſtituitur . Aliorum etiam Caeſarum leges aſylum moribus vel exemplo iamdiu inductum ſupponunt , nec niſi auctoritate ſua confirmant , ac muniunt . Porro iam ante leges Theodoſii , & Honorii confugarum ad eccleſias exempla proſtant apud ethnicos , & eccleſiaſticos ſcriptores. Sub Conſtantio Imp. an. 355. *Silvanum Agrippinae extractum aedicula , quo exanimatus confugerat , ad conventiculum ritus chriſtiani tendentem , trucidatum fuiſſe*, refert Ammianus Marcellinus (7). Sub Valentiniano an. 364. *Hilarium aurigam* magiae convictum & confeſſum , *& capite damnatum , latius retinente carnifice , ſubito lapſum confugiſſe ad ritus chriſtiani ſacrarium*, idem teſtatur Ammianus (8). Ann. 386. Scythas quoſdam , iram Gerontii ducis evitaturos , ſe recepiſſe *in aedificium , quod a chriſtianis habetur in honore , proque aſylo ducitur* , memoriae prodit Zoſimus (9). Sub Valente Imp. viduam , quae ad altare confugerat, ut a Praefecto Ponti ſibi caveret , protexit Baſilius (10) . Pro reis , qui ad eccleſiam confugerant , Imperatorem obſecravit Ambroſius (11) . Idem doctor (12) morem confugiendi ad eccleſiam tamquam vulgarem exhibet . Tandem Concilium Sardicenſe an. 347. (13) eos , *qui ſaepe ad eccleſiam confugerent* , memorat . Nulla etiam eccleſiaſtica lex aſylum inſtituit ; quum canones ſaeculo quinto primum de aſylo conditi illud iamdiu inductum repraeſentent .

§. V.

(7) *Lib. XV. cap.* 5. (8) *Lib. XXVI. cap.* 3. (9) *Lib. IV. cap.* 40. (10) Gregor. Nazianz. *orat. XX. de laudib. Baſilii tom. I.* (11) Paullin. *in vit. Ambroſ.* (12) *Ep.* 33.
(13) *Can.* 7.

§. V. Aſylum chriſtianis eccleſiis a Conſtantino ad haec uſque tempora ſancte ubique ſervatum eſt. Chriſtiani Caeſares cum Orientales, tum Occidentales in eo tuendo muniendoque veluti certarunt. Unus aſylorum oſor inſurrexit Eutropius, quo ſuadente Arcadius & Honorius perlata lege an. *398.* aſyla eccleſiarum ſuſtulerunt, ut ita facilius perſequeretur conſcios tyrannidis Rufini, praecipue Pentadiam coniugem Timaſii quondam conſulis, qui Rufino conſenſerat, teſte Socrate (14). At haec lex ſequenti an.*399.*, quo damnatus fuit Eutropius, qui & ipſe ad eccleſiam ſalutis gratia confugit, abrogata, vel ſaltem neglecta eſt. Quin eam a publicis monumentis poſt Eutropii necem eraſam, ſcribit Sozomenus (15). Epiſcopi quoque in hoc eccleſiis privilegio cuſtodiendo vindicandoque admodum ſolliciti fuerunt. Poſt Romani Occidentalis Imperii lapſum eccleſiaſtici aſyli obſervantia ipſis barbarorum factis, atque legibus ſarta tecta habita eſt. Gothos, Romam depopulantes, aſyli beneficium confugientibus ad eccleſias dediſſe, liquet ex Auguſtino (16). Alaricus Gothorum rex, dum Romam obſidebat, praecepit, ut qui confugiſſent in *ſancta loca*, tuti relinquerentur, teſte Oroſio (17). Theodoricus Iovinum Curialem homicidii a Correctore Lucaniae & Brutiorum accuſatum, qui *intra eccleſias ſepta refugerat*, in Vulcaniam inſulam relegavit, *ut & ſancto templo*, ſubdit, *reverentiam habuiſſe videamur, nec vindictam criminoſus evadat in totum*, teſte Caſſiodo-

 ro

(14) *Lib. VI. H. E. cap.5. & lib. VII. cap. 33.* Vid. Gothofred. ad *L. 3. C. Th. de his qui ad eccleſ. confug.*
(15) *Lib.VIII. H. E. cap.7.* (16) *Lib.I. de civit. Dei cap.4.*
(17) *Lib. VII. hiſt. cap. 39.*

ro (18). Lex Wiſigothorum (19) vetat, homicidam ab altari extrahi *abſque conſulto ſacerdotis*. Rurſus (20) cavet: *Nullus de eccleſia auſus ſit aliquem violenter abſtrahere, niſi ad eccleſiam confugiens armis ſe fortaſſe defendere voluerit*. Uſum quoque eccleſiaſtici aſyli apud poſteriores gentes oſtendunt lex Romana, ſeu Reſponſum Papiniani, Theodorici Francorum regis iuſſu editum (21), quae pro Romanis apud Francos degentibus conſcripta eſt, Capitularia Caroli M. ann. 789., aliaque monumenta (f).

§.VI. Olim ſolae eccleſiae, & quidem orthodoxae fidei, aſylum praeſtabant, ut vel ex titulis utriuſque Codicis *de his qui ad eccleſias confugiunt* (g) conſtat. Ec-

(18) *Lib. III. var. c.* 47. (19) *Lib. VI. tit.* 5. *cap.* 16.
(20) *Lib. IX. tit.* 1. *cap.* 1. (21) *Tit.* 2.

(f) Auctor *Diſcurſus de aſylo eccleſiaſtic. cap.* 37. *ſeqq.* putat, aſyli ius, auctoritatemque abrogatam fuiſſe, quod legibus barbarorum facultas Principibus fieret abſtrahendi extra eccleſiam homicidas, ſimileſve ſceleſtos, modo id fieret conſilio epiſcoporum, vel ſacerdotum, ac patrati criminis poena erga reos ipſos imminueretur. At quis non videt, nihil detrahi eccleſiaſtico aſylo, quin potius honorificam, plenamque eiuſdem haberi rationem eo ipſo, quo Proceres a reis, qui ad templa confugerunt, ſive comprehendendis, ſive abſtrahendis, inſcio, & invito epiſcopo, aut ſacerdotibus, manus abſtinete; & meriti ſupplicii rigorem minoris poenae irrogatione temperare coguntur? Vid. Amadutium *in Supplem. ad Cod. Theod. p.* 139.

(g) Male quidam eccleſiarum aſylum cum interceſſione clericorum confundunt. Gothofredus ad *l.* 4. *C. Th. de his qui ad eccleſ. confug.* ſcribit: *Hoc ſaeculo* (nempe quarto) *nihil aliud ad eccleſiam perfugium erat, quam clericorum deprecatio, ſeu interceſſio*. Mox idem ſibi parum conſtans ad *l.* 5. *C. Th. eod.* fatetur: *Servis iram domini fugientibus duplex hoc perfugium erat, ara ſeu templum, & deprecator*. Nec rem acu tetigit Eſpenius *diſſ. de aſyl. templor. cap.* 2. adfirmans: *Confugientes ad eccleſias non tantum ipſam materialem ſtructuram di-* vi-

Eccleſiarum nomine veniebant loca divino cultui ſol-
lem-

vino cultui dedicatam intuebantur , ſed praecipue epiſcopos , vel clericos , ad quorum praeſidium & opem confugere videbantur , tum ad ipſas eccleſias , quibus epiſcopi & clerici praeerant , confugiebant . Coctas crambes recoxit Auctor *Diſcurſus de aſylo eccleſ. cap.*26. *ſeqq. & cap.* 58. contendens , a primis chriſtiani imperii ſaeculis ad Theodoſium Iuniorem nullam habitam fuiſſe rationem aſyli ad templum materiale , nec *perfugium ad eccleſiam fuiſſe praecipue conſideratum tamquam confugium ad templum materiale , ſed tamquam implorationem interceſſionis epiſcoporum & clericorum , brevique temporis intervallo a clericali interceſſione aſylum proceſſiſſe .* Utrumque falſum eſt , & primitus aſylum praecipue in clericali interceſſione poſitum fuiſſe , & ex interceſſione aſylum fluxiſſe . Perperam aſylum cum interceſſione confunditur : quae duo ſemper inter ſe diſtincta & ſeparata fuerunt , atque alterum ſine altero ſtat , nec unum pugnat cum altero . Inde ab initio aſylum ſeu immunitas materialis eccleſiae pro vero aſylo habebatur ; reique ad eccleſiam confugiendo praecipue ſpectabant ſecuritatem , qua ibi gaudebant , in quo aſylum conſiſtit : tum in eccleſia materiali iam tuti , epiſcopos & clericos rogabant , ut veniam ſibi apud magiſtratus intercederent . Ita confugiebatur ad eccleſiam pro ſecuritate ; ad epiſcopum vero pro interceſſione obtinenda . Confugientibus ad eccleſiam vim fieri ipſa loci ſanctitas vetabat . Etenim templa ſtatim ac Deo conſecrata erant , iure religionis aſyla evadebant , & per ſe ſine clericali interceſſione confugas tuebantur . Scite interpretes *ad Grot. de I. B. & P.* §. 6. *n.* 3. adnotant , *hominibus ob templa parci ſolitum , unde mos confugiendi ad templa , & aras .* Confugarum *corporalem ſalutem ſatis parietes eccleſiae munire* , ſcribit Auguſtinus *ep.* 151. *ad Caecilian. n.* 3. *nov. edit.* De confugio ad eccleſiam , non de interceſſione clericali loquitur Synodus Sardicenſis *can.* 7. Ad materialem eccleſiam confugerunt vidua a Baſilio defenſa , Silvanus , & Hilarius , uti vidimus . Confugas *in aedificium , quod a chriſtianis habetur in honore , proque aſylo ducitur* , memorat Zoſimus *lib. IV. cap.* 40. ad A. C. 386. & 387. Idem *lib. V. cap.* 8. refert , uxorem & filias Rufini confugiſſe ad chriſtianorum eccleſiam , ibique ſalutem inveniſſe . Rurſus *lib. V. cap.* 19. *ad an.* 400. narrat , *barbaros numero plures , quam ſeptem millia , chriſtianorum eccleſiam palatio proximam occupaſſe , aſylum hoc ſaluti ſuae tuendae quaerentes .*

lemniter conſecrata, in quibus publicus & ordinarius

Erant eiuſmodi confugae maieſtatis rei, adeoque aſylo indigni: &. tamen, *praecipiente Principe, nemo eis inferre manum audebat, & ex aſylis ipſos extrahere*, uti Zoſimus ſubdit. Idem auctor *lib. III. cap. 29. ad an.* 408. refert, Lampadium *ad proximam chriſtianorum eccleſiam confugiſſe*, quod ſibi metueret. Theodoſius M., Arcadius, aliique Caeſares *de his qui ad eccleſiam confugiunt*, ſeu confugio ad materialem eccleſiam ſtatuunt, non de interceſſione. Ex his habes, ab initiis aſyli chriſtiani, hoc eſt ſaeculo quarto, templum materiale chriſtianorum aſylum confugis praebuiſſe: proinde falſum eſſe, hac tempeſtate non aliam fuiſſe immunitatem eccleſiarum, niſi interceſſionem. Magis haec confirmant poſteriora monumenta. Theodoſius Iunior *l.* 5. *C. Th. eod.* cavit, ut ſi ſervus ſine telo ad eccleſiam aufugeret, *loci tantum veneratione confiſus* (en immunitas materialis templi) domino denuncietur, obtentaque ab eo venia *in honorem loci* (en iterum localis immunitas) *& reſpectu eius, ad cuius auxilium convolavit* (en interceſſio clericorum ab immunitate locali diſtincta) *domino* reddatur. Concilium Aurelianenſe an. 441. *can.* 5. *&* 6. ſtatuit, *eos qui ad eccleſiam confugiunt tradi non oportere, ſed loci ſancti reverentia* (en immunitas localis) *& interceſſione defendi* (en clericalis interceſſio ab illa diſtincta). Nimirum localis immunitas ab interceſſione clericali multis nominibus diſtabat. (I) *Natura*. Illa namque in actu religionis apud gentes, quae divinitatem templis ariſque coluerunt, ſemper & ubique ſervato; haec vero in precibus, quas clerici pro reis apud magiſtratus interponebant, conſiſtebat. (II) *Origine*. Localis enim immunitas ſtatim ac ſub Conſtantino templa publice Deo poſita ſunt, & antequam clericalis interceſſio in uſu eſſe coepiſſet, obtinuit. (III) *Modo*. Nam eccleſiaſtici reverentia templis debita, religioniſque clypeo tecti obſiſtebant iis, qui confugas abducere ab eccleſiis auderent, & facinus prohibebant, ut a Baſilio, Ambroſio, Chryſoſtomo, aliiſque factum. Dum vero pro confugis intercedebant, rogabant & obſecrabant, utpote nullo iure muniti. Priori enim caſu Dei cauſſam tuebantur religione freti; poſteriori autem veniam exorabant reis, qui poenam iure pati debebant. (IV) *Effectu*. Etenim locali immunitate rei ſuſpenſionem a poena conſequebantur, quum vi ab eccleſia extrahi non poſſent; interceſſione autem liberationem poenae. (V) *Ordine*. Aſylo enim pediſſequa erat inter-

rius populi conventus ad divina officia habebatur; Conſecratione opus erat, qua loca humano commercio eximuntur, & Dei fiunt. Sed inducto poſtea more benedicendi eccleſias, Gregorius IX. (22) aſylum extendit ad eccleſias, in *quibus divina myſteria celebrantur*, *licet adhuc non exſtiterit conſecratio*. Ampliatur & in eccleſiis interdicta; hic enim honos eccleſiis impenditur ob Dei reverentiam; quae hominum culpa ceſſare non debet. Idem privilegium datum oratoriis ſeu capellis privatis, per epiſcopum conſecratis, non autem domeſticis. Item *baptiſteriis*, quae olim extra eccleſiam erant. Ita Proterius Alexandrinus epiſcopus, necem evitaturus, *ad baptiſterium*

(22) *Cap. 9. ext. de immunit. eccleſ.*

terceſſio. Confugiebant enim rei ad eccleſiam, ut ibi tuti eſſent; tum epiſcoporum interceſſionem implorabant; ut veniam obtinerent, aut negotia ſua illorum ope componerent. Huc ſpectat Auguſtinus *ep.* 115. *ad Fortunat.*, ubi de quodam Faventio ait: *Is quum ab eiuſdem poſſeſſionis domino neſcio quid metueret, ad Hipponenſem confugit eccleſiam, & ibi erat, ut confugientes ſolent, expectans quomodo per interceſſionem noſtram ſua negotia terminaret*. Nec tantum pro criminum reis, qui ad eccleſiam confugerant; verum etiam pro damnatis; & carcere detentis epiſcopi, clerici, & monachi apud Imperatores, ac magiſtratus intercedebant; & non raro eorum preces legum ſeveritatem emolliebant; uti conſtat ex Ambroſio *lib. II. ep.* 16. *ad Theodoſ.* Auguſtino *ep.* 54. 127. 158. 259. & Gregor. M. *lib. I. ep.* 35. Ceterum pro reis intercedebat eccleſia, non ut eos ſubduceret a poena, ſeque opponeret gladio Poteſtatibus ſublimioribus a Deo credito, ſed ut ſpirituali reorum ſaluti proſpiceret, quibus poenas ſcelerum luituris euchariſtiae ac poenitentiae ſacramenta olim negabantur, utque publica poenitentia, quae tunc rigide ſervabatur, ſcelera expiarent: quod Ambroſius *ep.* 41. *ad Theodoſ.* Auguſtinus *ep.* 153. *ad Macedon.* & Chryſoſtomus *in I. ad Corinth. cap.* 15. teſtantur. Conf. Thomaſſinum *diſcipl. part. II. lib. III. cap.* 95. & Cecchetium *tract. de aſylo part. I.*

rium confugit: quo in loco & barbaris & cunctis ferocibus hominibus reverentia quaedam incutitur, inquit Evagrius (23). Aſylo etiam domos epiſcopi & clericorum donavit Theodoſius Iunior (24), &. Concilium Aurelianenſe I. an. 511. (25). Erant alicubi circa eccleſias domus epiſcopi, & clericorum, teſte Baſilio (26). Poſt ſaeculum X. immunitas paſſim extenſa ad coemeteria, cruces, monaſteria, & hoſpitalia. Coemeteria, non ſecus ac eccleſiae, aſylo gaudent, quippe quae Romano iure religioſa loca ſunt, humanoque commercio exemta, & apud chriſtianos, ubi eccleſiaſtica benedictio iis acceſſit, ſacra loca quodammodo evaſerunt. Hinc *ad eccleſiam, vel coemeterium* confugientes abſtrahi vetuerunt Synodus Remenſis an. 1131. (27), Londinenſis an. 1143. (28), Lateranenſis II. ſub Innocentio II. an. 1139. (29), & Gregorius IX. (30). Ad ſimplices cruces per viam defixas aſylum produxit concilium Claromontanum an. 1093. [31]. Tandem hoſpitalia & religioſas domos aſylis accenſuit Synodus Nemauſenſis an. 1284. (32). Quin confugiens ad ſacerdotem eucharistiam deferentem capi ſine piaculo nequit.

§. VII. Quod ad aſyli fines, olim interiora tantum eccleſiae aedificia, in primis altare, ſecuritatem praeſtabant. Conſtantinum tyrannum Arelate *ἐις ἐυκτέριον in oratorium* confugiſſe, teſtatur Olympiodorus (33). Pariter Βηματος *ſacrarii*, quae eccleſiae pars erat, altari proxima, in qua ſacri tantum clerici conſiſtebant, meminit Chryſoſtomus (34). Perfugium

(23) *Lib. III. cap.* 8. (24) *L. 4. C. Th. de his qui ad eccleſ. confug.* (25) *Can.* 1. (26) *Ep.* 371. *ad Heliam Rectorem provinciae*. (27) *Can.* 14. (28) *Can.* 3. (29) *Can. XV.* (30) *Cap ult. ext. cit. tit.* (31) *Can.* 29. & 30. (32) *Can.* 4. (33) *Apud Phot. Cod.* 80. (34) *Hom.* 1. *in Eutrop.*

gium ad altare memorat Ambroſius (35). Mulierem vim Praefecti Ponti declinaturam ad *ἱεραν πραπεζαν* confugiſſe, prodit Nazianzenus (36). Nominatim *θυσιαςηριυ altaris*, & *ἱερας τραπεζας ſacrae menſae* meminere Chryſoſtomus (37), Socrates (38), & Sozomenus (39), dum Eutropii ad eccleſiam perfugium exponunt. Hinc altare *ἀσυλος πρατεζα tuta menſa* dicitur Syneſio (40). Primus in Oriente Theodoſius Iunior an. 431. (41) aſylum extendit ad exteriora eccleſiae aedificia, ſeu *ſepta*; namque iuſſit non ſolum altare, & navim eccleſiae, ſed etiam quicquid inter eccleſiam & exteriores muros interiacet (quo intermedio ſpatio erant *cellulae*, *domus*, hoc eſt domicilia epiſcopi & clericorum, *hortuli*, *balnea*, *areae*, & *porticus*) *confugas*, *interioris templi vice*, *tueri*. In Occidente, ubi diverſa erat eccleſiarum ſtructura, nec omnes ſepta habebant, Concilium Toletanum XII. ann. 681. (42) ſtatuit, aſylum *triginta paſſibus uniuſcuiuſque eccleſiae in toto circuitu* patere. Gregorius M. (43) memorat *ſepta venerabilia*, intra quae tutus erat confuga. Concilium Aurelianenſe I. ann. 512. (44) id *conſtituit obſervandum*, *quod eccleſiaſtici canones decreverunt*, *& lex Romana conſtituit*, *ut ab eccleſiae atriis*, *vel domo epiſcopi* confugientes abſtrahere non liceat. Capitulare Francorum an. 533. (45) cavit, confugientes ad eccleſiam, *intra ipſius atria eccleſiae pacem habere*, *nec eſſe ei neceſſe eccleſiam ingredi*. Concilium Coyacenſe an. 1050. (46) ſe-

(35) *Cit. ep.* 33. (36) *Cit. orat.* 20. (37) *Dict. Hom.* 1; (38) *Lib. VI. H. E. cap.* 5. (39) *Lib. VIII. cap.* 7.

(40) *Ep.* 58. (41) *Cit. L.* 4. (42) Apud Gratian. in *can. definivit* 35. *cauſ.* 17. *q.* 4. (43) *Lib. X. ep.* 46. *ad Ioan. Syracuſan.* (44) *Can.* 3. & 5. apud Gratian. in *can. id conſtituimus* 36. *eod.* (45) *Lib. VII. Capitular. cap.* 184. (46) *Can.* 12.

ſecuritatem confugis dedit *infra dextros* (dextri ſunt menſurae cuiuſque agri ſeu ſoli) *eccleſiae*, *qui ſunt triginta paſſus*. Sed celebris eſt conſtitutio Nicolai I., qui an. 858. pontificatum iniit, vel potius Nicolai II., qui an. 1118. ſedit (*h*), qua cavit, ut *maior eccleſia per circuitum* 40. *paſſus habeat*, *capellae vero*, *ſive minores eccleſiae* 30., *ſicut antiquitus a ſanctis patribus ſtatutum eſt*: quibus verbis ſpectavit ad laudatam Synodum Toletanam, atque alias, quae triginta paſſuum ambitum definierunt. Praeſcriptum a Nicolao eccleſiaſtici aſyli ſpatium poſteriores canones amplexi ſunt.

§. VIII. Nunc, qui aſylo gaudent, videamus. Aſyla miſerorum, & innoxiorum hominum ſalutis gratia inventa fuerunt. Ea ſecuritatem dabant afflictis, & iis qui non tam ſcelere noxii, quam humana imbecillitate lapſi veniam & miſerationem potius, quam poenam merebantur. Sceleſtos tutari, templaque ſordium ac vernilium carcinomatum receptione foedare, indigniſſimum eſt (*i*). Qui clemen-

(h) Apud Gratian. in *can. ſicut antiquitus 6. cauſ.* 17. *q.*4. ſub nomine Nicolai P. affertur conſtitutio, qua aſylum ampliatur. Eam Nicolao I. adſcribunt Cecchetius *tract. de aſylo*, Io. Virtzburgius *de iur. aſyl. n.*33., aliique. At de eius *αὐθεντίᾳ* dubitant Ant. Auguſtinus *lib. II. de emendat. Gratian. dialog.* 17., & Eſpenius *diſſ. de aſylo templor. cap.* 3. §. 2. Equidem arbitror, ſanctionem hanc pertinere ad Nicolaum II.; nam legitur iiſdem omnino verbis, quibus apud Ivonem exhibita eſt, in eiuſdem Pontificis *epiſtola ad epiſcopos Galliae, Aquitaniae, & Vaſconiae*, in qua referuntur decreta Concilii Romani ann. 1059. edita in recentioribus Conciliorum collectionibus ex apographo Sirmondi.

(i) Contra abuſum aſylorum in reis nocentibus, malitioſis, & poena dignis, diſputant etiam Andreas Maſius ad *Ioſuae cap.* 20., Nic. Antonius *lib. II. de iure exulum cap* 34. *ſeq.*, & Chriſtoph. Io. Conrad. Engelbrecht *de iniuſta aſylorum immunitatiſque eccleſiarum ad crimina doloſa extenſione*.

mentiae laudem ex ſcelerum impunitate affectant, optimos quoſque maleficorum libidini obiiciunt, quum nulla ſit maior peccandi illecebra, quam ſpes impunitatis. *Creſcit enim multitudo peccantium, ubi veniae ſpes datur, & facile itur ad culpas, ubi eſt facilis ignoſcentium gratia*, uti belle Arnobius (47). Reos malitioſos puniri, publice intereſt ob communem ſalutem. Ii ex iuſtitia, quae virtutum maxima etiam religionem involvit, coërcendi ſunt. Eleganter Caſſiodorus (48): *Pietatis*, ait, *genus eſt, in illos diſtringere, qui ſe ſceleratis docentur actionibus miſcuiſſe*. Apud gentes aſyla fuerunt vetuſtiſſimae inſontium vindiciae, non etiam ſceleſtorum. Vere Achilles Statius (49): Των δυςυχουντων, ἐστιν, ὀ των ἀδικουντων οἱ βωμοι, *infelicibus arae praeſidio ſunt, non male agentibus*. Hoc ſaluberrimum miſerorum & afflictorum ſolatium a maleficis in abuſum paſſim tractum fuit. Hinc aſyla certis legibus & conditionibus reſtricta. Tiberius Imp. templa Graecorum luſtravit & repurgavit, teſte Tacito (50). Apud Hebraeos Deus inſontibus confugium aperuit: qui vero manus ſanguine proximi conſulto cruentaſſent, vel ab altari ad mortem abripi iuſſit. Apud chriſtianos etiam miſeratione dignis, non improbis perfugium olim patuit. Hanc legum civilium mentem expreſſit Iuſtinianus (51), *qui templorum cautelam non nocentibus, ſed laeſis dari a lege*, ſcribit. Eccleſiae quoque Antiſtites inſontibus, & immerito preſſis, vel ſaltem non plane nocentibus tuta eſſe perfugia voluerunt, nec ſanguinem innoxium effundi. Hu-

(47) *Lib. VII. contr. gent.* (48) *Lib. II. ep.* 14. (49) *Lib. VIII. de aris.* (50) *Lib. III. Annal. in Tiberio.* (51) *Nov. XVII. cap. 7.*

Huius indolis aſyla Baſilius (52), Ambroſius (53), Chryſoſtomus (54), Syneſius (55), Iſidorus Peluſiota (56), aliique veteres patres vindicarunt (*k*). Ne vero, aſylis latius quam par eſt parentibus, quid detrimenti in rempublicam & religionem redundaret,

(52) Nazianz. *cit. orat.*20. (53) Paullinus *in vit.Ambroſ.* (54) *Hom. in Eutropium*. (55) *Ep.*58. (56) *Lib.I.ep.*174.

(k) Non deſunt novarum rerum ſtudioſi, recteque a maioribus conſtitutorum oſores, qui ſacrum aſylum, ab ethnicis, Iudaeis & chriſtianis cuſtoditum religionis & humanitatis cauſſa, hodie in eccleſia ſublatum vellent, cauſſantes, ſupervacaneum nunc eſſe aſylum, quum leges omnibus aeque hominibus ſecuritatem praeſtent, nec, prohibita iam per leges privata vindicta, metuendum ſit, ut innocens a proximis occiſi interficiatur; perinde ac ſi ſacrum confugium hominum dumtaxat ſalutis gratia, non etiam cultus & obſervantiae erga Deum, inductum ſit. Sed nebulonibus his iamdiu reſpondit Iſidorus Peluſiota *lib. I. ep.* 174. qua Cyrenium ducem graviſſime obiurgavit, & a propoſito delendi aſyla deterruit: *Chartam nobis cives miſerunt pro eccleſiae foribus fixam . . . . quae & omnibus purgandi ſui poteſtatem adimit, & perfugium in eccleſiam claudit. Quod quidem non ſolum crudelitatis, ſed etiam impietatis ſuſpicionem habet. Nam ſi nec cauſſae dicendae poteſtatem facis, nec fugam in eccleſiam permittis, nimirum hac ratione & calumniatores exacuiſti, & iniuriarum numerum auxiſti. Quonam igitur pacto ius & aequum deprehendes? quonam pacto eum, cui iniuria infertur, conſervabis? qui ne a potente adverſario conficiatur & opprimatur, quod iudicem non habeat, qui ſuas iniurias ulciſcatur, ad inexpugnabile templum confugit?* Egregie quoque Auguſtinus *ſerm. V. de dedic. eccleſ.* ſcribit: *Si reverentiam matris eccleſiae agnoſcimus, ſciendum eſt, quod cuiuslibet criminis reum a ſacris liminibus abſtrahendo grandis iniuria religionis, ac divinitatis offenſa eſt, qualemcumque confugientem ad domum Dei, ideſt de ſinu matris, evellere, & arcam communis expugnare perfugii.* Idem doctor *ep.* 153. *ad Macedon. nov. edit.* ſolide diſſolvit difficultates, quas Macedonius *ep. ad Auguſtin. inter Auguſtinianas* 152. propoſuerat, ad excludendam aſyli religionem, quas hodierni novatores recoxerunt.

ret, inde ab exitu ſaeculi quarti Imperium, mox a ſaeculo quinto eccleſia, quibus beneficium hoc indulgendum ſit, quibuſve caſibus & conditionibus, decrevit.

§.IX. Principum legibus aſylo excluduntur I. Debitores publici, hoc eſt tributorum & fiſci, non item privati. Theodoſius M. an.392. [57] publicos debitores, ad eccleſiam confugientes, *illico e latebris extrahi* iuſſit, & clericos, qui illos defendendos ſuſciperent, debitum pro iis ſolvere. Huius conſtitutionis vi Auguſtinus dependere adactus fuit, quod debebat quidam Faſtius, quia ipſum ad eccleſiam confugientem texerat [58]. Deinde Leo Imp. an. 416.[59] publicis privatiſque debitoribus aſylum indulſit: nec cogi epiſcopos, aut oeconomos ad eorum debita exſolvenda voluit; ſicque derogavit Theodoſii conſtitutioni, qua epiſcopi publicos debitores, qui ad eccleſiam confugerant, tuentes, ipſorum debita ſolvere cogebantur. Sed publicos debitores rurſus aſylo excluſit Iuſtinianus [60]. II. Iudaei criminum rei, aut debitores, niſi prius debita ſolverint, vel fuerint innocentia demonſtrata purgati, ut Arcadius & Honorius an. 397. [61] ſanxerunt. III. Servi a dominis ſuis aufugientes. Hos aſylo excluſerunt iidem Arcadius & Honorius [62]. Sed Theodoſius Iun. an. 432. [63] ſervis ſine telo ad eccleſiam confugientibus aſylum dedit ſpatio unius diei, quo exacto dominis reddi iuſſit, qui in honorem eccleſiae & ſacerdotis debitas poenas remittant; ſervos vero

(57) *L. 1. C. Th. de his qui ad eccleſ. confug.* (58) Vid. Auguſtinum ipſum *ep.* 215. (59) *L. 7. C. Iuſtin. eod.*
(60) *Cit. Nov. 17. cap. 7.* (61) *L. 2. C. Th. eod.* (62) *L. 3. C. Th. eod.* (63) *L. 5. C. Th. eod.*

vero armatos in eccleſiam irruentes, non expectato vel unius diei lapſu, domino ſtatim indicari & reddi. IV. Homicidae, adulteri, & virginum raptores, quia *templorum cautela non nocentibus, ſed laeſis datur*, uti cavit Iuſtinianus (64): qua ratione freti Cuiacius (65) aliique docent, Iuſtinianum omnes gravium criminum reos aſylo arcuiſſe.

§. X. Romani pontifices ſaeculo XII. & XIII. aſylo deiecerunt. I. Publicos latrones, & nocturnos depopulatores agrorum: quod reſcripſit Innocentius III. an. 1198. (66). II. Homicidas doloſos, ut ex iuris Hebraici regulis ſtatuit Gregorius IX. (67). III. Eos, qui ſpe impunitatis ducti homicidia aut mutilationes membrorum in ipſis eccleſiis earumve coemeteriis committunt; *quum in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat, & fruſtra legis auxilium invocet, qui committit in legem*, ut idem cavit Gregorius IX. (68). Quae bina ratio generalis probat, aſylo eos excludi, qui quodcumque crimen ſive par, ſive maius, ſive etiam levius duobus illis expreſſis, in immuni loco admittunt: proinde ſolius homicidii & mutilationis pontificem meminiſſe, quod tantum de his in propoſito caſu quaeſitum fuiſſet. IV. *Aſſaſſini*, hoc eſt, qui hominum caedem mandant, aut ex mandato patrant, aſylo *indirecte* excluduntur conſtitutione Innocentii IV. in Concilio Lugdunenſi edita (69). Iam itaque ſentis, iure pontificio aſyli ſanctitatem multo magis, quam fuerat a civili iure factum, coërcitam fuiſſe. Sed ne tali quidem reſtrictione publicae tranquillitati ſatis conſultum fuit, ma-

(64) *Cit. Nov.* (65) *In dict. Nov.* (66) *Cap. 6. ext. de immunit. eccleſ.* (67) *Cap. 1. ext. de homicid. volunt.* (68) *Cap. ult. ext. de immunit. eccleſ.* (69) *Cap. 1. de homicid. in 6.*

maxime poſt multiplicationem & extenſionem tot immunium locorum. Malis, quae ex improborum aſylo in nonnullas chriſtiani orbis provincias redundabant, occurrerunt Pius V. & Sixtus V. Speciatim Sixtus (70) regni noſtri miniſtris indulſit, *bannitos*, alioſque facinoroſos ab eccleſiis, monaſteriis, hoſpitalibus, capellis, aliiſque tutis locis abducere. Idem pontifex (71) anathemate latae ſententiae ſedi apoſtolicae reſervato perculit regni eccleſiaſticos ſaeculares & regulares, *qui bannitos, & viarum graſſatores in monaſteria, domos, eccleſias, capellas, hoſpitalia, aut quaevis alia loca reciperent, iiſve opitularentur, aut victum, aliudve neceſſarium quomodolibet praeſtarent*. Poſt tot ſanctiones, Tridentina Synodus (72) nihil aliud faciendum duxit, quam generatim admonere, ut eccleſiarum immunitas integra ſervetur.

§. XI. Inter pontificias de eccleſiarum immunitate ſanctiones celebris eſt conſtitutio Gregorii XIV. an. 1591. edita (73), qua ius omne de aſylis conſtituendis, moderandis, & eorum cauſſis cognoſcendis uni poteſtati eccleſiaſticae adſeritur. Primum pontifex narrat, nonnullos praedeceſſores ſuos, praeſertim Sixtum V. & Pium V., compluribus ſaecularibus principibus, eorumque magiſtratibus conceſſiſſe, ut criminoſos quoſdam ab eccleſiis extraherent; tum eas conceſſiones revocat, remque totam eccleſiaſticis iudicibus defert. Deinde aſylum denegat laicis octo criminum reis, nempe I. Publicis latronibus. II. Viarum graſſatoribus, qui publicas ſtratas obſident. III. Depopulatoribus agrorum. IV. Patran-

(70) Bulla *alias felicis*, inſerta *Pragm. 7. de exulib.*
(71) *Litteris in forma Brevis ad Io. de Zunica prorog. Neapolit.* (72) *Seſſ. 25. de ref.* (73) Bulla *cum alias nonnulli*.

trantibus homicidia & membrorum mutilationes in eccleſiis, earumve coemeteriis. V. Proditorie proximum occidentibus. VI. Aſſaſſinis. VII. Reis haereſis. VIII. Reis laeſae maieſtatis in perſonam ipſius principis. Tandem vetat, etiam in octo his exceptis caſibus, reum per magiſtratum ſaecularem extrahi ſine expreſſa licentia epiſcopi, vel eius officialis, & cum interventu perſonae eccleſiaſticae ab eo auctoritatem habentis; tum extractos reos in carcere epiſcopali retineri ſtatuit, nec inde abduci, & Curiae ſaeculari tradi, niſi cognito prius per epiſcopum, aut ab eo deputatum, an crimen exceptum vere commiſerint; inflictis ipſo facto cenſuris contra violatores ſtatutis. Hanc Gregorii conſtitutionem declararunt, & ad alia crimina produxerunt Benedictus XIII. ann. 1725. (74), Clemens XII. ann. 1735. (75), & Benedictus XIV. ann. 1750. (76).

§. XII. Iam Gregoriana conſtitutio, utpote regiis iuribus adverſa, in Hiſpania, Gallia, Germania, Belgio, Sabaudia, Venetorum republica, aliiſque chriſtiani orbis provinciis recepta non eſt. Nec in regno Neapolitano ullam habuit vim. Nam Comes de Lemos huius regni prorex an. 1599. ad Philippum III. retulit, *ea bulla regium ius non uno loco laedi*. Tum Rex litteris ad Proregem an. 1600. datis, nihil ſuper ea re innovari, ſed vetera regni inſtituta moreſque ſervari iuſſit (77). Tractu temporis immane quantum turbarum crebro inter eccleſiaſticos & ſaeculares iudices exarſit; illis Gregorianum, his regium ius tuentibus. Tandem iurgia compoſita ſunt

(74) Conſtit. *ex quo divina*. (75) Conſtit. *in ſupremo iuſtitiae ſolio*. (76) Conſtit. *officii noſtri*. (77) Conſ. Fallenti diſcurſ. 4.

ſunt pactis inter Benedictum XIV. & Carolum regem olim noſtrum an. 1741. conventis (78), quibus praeſcripta ratio eſt abducendi reos ab immuni loco, & cognoſcendi de crimine excepto, definita item ſunt crimina excepta, atque loca aſylum praebentia. Noviſſimum hoc patriae ius, utpote cuique obvium, ambitioſe heic perſequi, ſupervacaneum eſt.

§.XIII. Ceterum violatores aſylorum divinae humanaeque manent poenae. Ob necem Zachariae, filio Ioiadae, illatam a Ioa rege inter templum & altare, non ipſe modo rex talionem eſt paſſus, ſed & tota Iudaea a Syris devaſtata (79). Sylla Romanus φθιριάσει *morbo pediculari* interiit, quod Ariſtionem e Minervae fano eductum trucidaſſet, teſte Pauſania (80). Divino conſilio factum, ut Eutropius aſyli beneficio, quod eccleſiis abſtulerat, ipſe indigeret, obſervat Chryſoſtomus (81). Theodora Iuſtiniani, a templis ariſque homines avellere non dubitans, perſtringitur a Procopio (82). Iure Romano aſylorum oſores maieſtatis crimen admittunt. Honorius & Theodoſius ann. 414. (83) ſanciverunt, *maieſtatis crimine teneri, qui ad eccleſias confugientes abducere tentaverit*. Leo Imp. an. 466. (84) capitali ſupplicio affecit eos, qui eccleſiaſticam immunitatem violant. Eccleſia inde a ſaeculo quinto anathemate ferendae ſententiae aſyli violatores perculit. Syneſius in ſynodo epiſcoporum an. 411. coacta diris devovit Andronicum praefectum Pentapoleos eo etiam nomine, *quod ad tutam menſam exclu-*

(78) *Cap.II. n. 1. ſeqq.* (79) *II. Paralip.* 24. 21. (80) *In Attic. lib. I.* (81) *Homil. in Eutrop.* (82) Pluribus Anecdotorum locis. (83) *L. 2. C. de his qui ad eccleſ. confug.*
(84) *L. 6. C. eod.*

deret ſupplicationem, ut ipſe teſtatur (85). Auxilius Africae epiſcopus Claſſicianum cum tota familia excommunicavit, quod confugas ab eccleſia extraxiſſe arguebatur, teſte Auguſtino (86) (l). Anathema quoque ferendae ſententiae aſyli violatoribus intorſerunt Concilium Arauſicanum I. an. 441. (87), Aurelianenſe IV. an. 545. (88), Remenſe an. 1131. (89), Lateranenſe II. an. 1139. (90), aliaque. Quin abſolutionem ab hac excommunicatione Romano pontifici reſervarunt laudata Synodus Lateranenſis, & Londinenſis an. 1143. Saeculo XII. anathema latae ſententiae eccleſiaſtici perfugii temeratoribus indici coepit. Concilium Remenſe an. 1148. (91) vetat, confugam ab eccleſia vel coemeterio extrahi, ſubditque *quod qui fecerit, anathema ſit*. Concilium Bituricenſe an. 1276. (92) eos, qui crimen in eccleſia patrant, *aut inde extrahunt*, *excommunicationis ſententiae ſubiicit ipſo facto*. Eamdem latae ſententiae excommunicationem in aſyli violatores intorſit Gregorius XIV. (93). Non anathemate modo, ſed etiam publica poenitentia, & poena pecuniaria, fiſco & eccleſiae inferenda, eccleſiaſtici perfugii temeratores coërciti ſunt: quod ex legibus Wiſigothorum (94), Capitularibus Francorum (95), Concilio Triburienſi

(85) *Ep.* 58. & 82. (86) *Ep.* 250. *al.* 70. *ad Auxilium.* (87) *Can.* 5. & 6. (88) *Can.* 4. (89) *Can.* 14. (90) *Can.* 15. (91) *Can.* 2. (92) *Can.* 12. (93) Conſt. *cum alias nonnulli.* (94) *Lib. IX. tit.* 3. (95) *Lib. III. cap.* 26.

(l) Auguſtinus *ep.* 187. *ad Bonifac. Comit.* poenam excommunicationis huic infligit, quod aſylum violaſſet. At epiſtolas ſedecim breves Auguſtino & Bonifacio adſcriptas ſpurias eſſe, iam critici demonſtrarunt. Vid. Benedictinos operum Auguſtini editores, & Nat. Alexandr. *hiſt. eccleſ. ſaec. IV. art.* 3. *de S. Auguſt.*

ſi (96), aliiſque patet. Sed iamdiu multarum & publicae poenitentiae poenae deſueverunt.

C A P. XIX.

De ſepultura eccleſiaſtica.

§.I. Generatim ſepultura humanitati debetur; nihil enim naturae tam conſentaneum eſt, quam in terram redeuntibus terram non denegari (*a*). At

(96) Apud Gratian. *can.* 7. & 26. *cauſ.* 17. *q.* 4.

(a) Iure gentium voluntario mortuis ſepultura debetur, ut *reddatur terrae terra*, inquit Euripides in *Hypſipyle*. Vere Aelianus *lib. XII.* ſcribit: *Mortuum condi, ipſa imperat communis natura*. Philo in *Flaccum* adpellat *naturae ius* cadavera ſepelire. Iſidorus Peluſiota *ep.*1. *φυσεως θεσμους*. Dio Pruſaeenſis *orat. περι εθους* docet, ſepulturam iuris naturalis eſſe. Seneca *lib. I. de controv.* inter iura non ſcripta, ſed omnibus ſcriptis certiora, ponit *humum porrigere cadaveri*. Debetur autem ſepultura humanitati, adeoque nec hoſtibus deneganda eſt, uti pulcre docet Grotius *lib. II. de I. B. & P. cap.* 19. Immanis quidem eſt privatio ſepulturae. Optatus *lib.VI. contra Parmen.* Donatiſtas arguit, quod inſepultos relinquerent chriſtianos: *Si inter viventes*, ait, *fuerat certamen*, *odia veſtra vel mors aliena compeſcat; iam tacet cum quo paullo ante litigabas; quid inſultas funeri? quid impetis ſepulturam?* De gentilibus in chriſtianos ſaevientibus queritur Tertullianus *Apolog. cap.* 37.: *Nec mortuis parcunt chriſtianis, quin illos de requie ſepulturae, de aſylo quodam mortis, iam alios, iam nec totos avellant, diſſecent, diſtrahant*. Magna fuit ethnicorum pietas in curandis funeribus, aliquando etiam hoſtium. Conf. Petr. Fabrum *lib. II. Semeſtr. cap.*1. & *lib. III. cap.*13. Perſuaſum enim ethnicis fuit, inſepultorum animas incertis ſedibus evagari, nec ante ad inferos redigi, quam iuſta perciperent. Tertullian. *de anima*, Virgil. *Aeneid. VI. v.* 325. Praecipua ſepulturae cauſſa fuit dignitas & praeſtantia humanae naturae, & naturalis averſatio ne contemnamur; indignum enim eſt, corpora hominum, qui ceteris animantibus praeſtant, & ad imaginem Dei comparati ſunt, negligi, & aliis animalibus in ci-

At eccleſiaſtica ſepultura, quae loco ſacro, funebri pompa eccleſiaſtica, precibus & ſacrificio pro defuncto, aliiſque chriſtianis caeremoniis conſtat, ſolis fidelibus in eccleſiae communione pie fideliterque denatis impenditur; quum ea ſit publica res ſacra, & pars quaedam eccleſiaſticae communionis, in qua defunctus deceſſit. Redibit de hac re ſermo infra.

§. II. Chriſtiani inde a cunabulis loca humandis ſuorum corporibus addicta habuerunt, ſemperque pro piaculo ſibi duxerunt, commune cum ethnicis, a quorum ſocietate vivi abhorruerant, ſepulcrum habere, ut ex Cypriano (1), aliiſque conſtat. Haec ſepulturae loca maiores noſtri frequentius *κοιμητηρια dormitoria*; interdum *areas*, *cryptas*, *arenarias*, *polyandria*, *tumbas*, *catacumbas*, *concilia*, *&* *martyrum concilia* adpellarunt (*b*). Sua chriſtianis coemeteria ubi-

(1) *Lib. I. ep. 3.*

cibum cedere. Appoſite Lactantius *lib. III. divin. inſtit. cap.* 12. ſcribit: *Non patiemur figuram, & figmentum Dei feris ac volucribus in praedam iacere, ſed reddamus id terrae, unde ortum eſt*. Adhaec vivorum quoque gratia inventa eſt ſepultura, ut cadavera viſu & odore foeda a viventium medio amoverentur, neve aër ex illorum putrefactione inficeretur vivorum exitio.

(b) Coemeterium apud Cretenſes olim dictum fuit hoſpitium ad dormiendum peregrinis deſtinatum, ut habes ex Doſiade apud Athenaeum *lib. IV. cap.* 5. Inde chriſtianos anſam arripuiſſe κοιμητηρια vocandi loca, in quibus ſuos conderent mortuos, putat Petrus Victorius *lib. VIII. var. lect. cap.* 2. Profecto chriſtiani ſuorum ſepulcra dixerunt *κοιμητηρια dormitoria*, ſeu loca ad quietem & ſomnum comparata; idque ab antiquiſſimis temporibus, uti conſtat ex Dionyſio Alexandrino apud Euſeb. *lib. VII. cap. XI*. Quum enim ii crederent, mortuos rurſus excitandos, interea dormire aiebant. Tertullian. *de anima cap.* 43. Chryſoſtom. *hom.* 31. Prudent. *Cathemer. hymn.* 10. Nec mortem *θανατον interitum*, ſed potius *ὑπνον* & *κοιμη-*

ubique fuerunt, Romae (*c*), Antiochiae, Alexandriae,

μοσιν ſoporem & *ſomnum* adpellandam cenſuerunt. Hinc in chriſtianis lapidibus defuncti *dormire*, *quieſcere in pace*, *depoſiti*, perſaepe dicuntur, ut apud Boſium, Aringhum, Fabrettum, Donium, Lupium, Marangonum, Boldettum, Muratorium, ceteroſque barum antiquitatum collectores, videre eſt. Alia nomina, quibus coemeteria a veteribus vocata ſunt, explicant Cangius *Gloſſar. med. & infim. latinit. v.* arca, & *v.* catacumb., Mamachius *lib. III. orig. & antiq. chriſt. pag.* 158. *ſeq.*, aliique.

(c) Inter vetuſtiſſima chriſtianorum coemeteria praeſtant Romana, quae non ſine admiratione adhuc viſuntur. Ea effoderunt ethnici extra urbem, arena ad ampliſſimas aedes extruendas egentes; tum chriſtiani fuerunt, qui furente perſecutorum rabie in his ſacros conventus egerunt, ſuorumque cadavera humarunt. Noſtri enim loca haec horroris & tenebrarum plena ſpatiis ampliarunt, ſedes cathedrarum inſtar terram fodiendo fecerunt, ſacella picturis Sanctorum, variiſque ſymbolis ornarunt, infinitos paene loculos condendis cadaveribus excavarunt, quos *monoſomos*, *biſomos*, *triſomos*, *quadriſomos*, hoc eſt, totidem *σωματα corpora* capientes, adpellarunt. Ita illa martyrum exuviis, & pretioſiſſimis chriſtianae antiquitatis monumentis abundant. Romana haec coemeteria a ſe viſa deſcribit Hieronymus in *cap.* 40. *Ezech.*, & Prudentius *hymn. II. περι ϛεφαν*. De eorum numero, forma, ſitu, auctoribus, meatibus, ruderibus conſule Onuphr. Panvinium *de coemeteriis cap.* 12., Ant. Boſium & Paullum Aringhum in *Roma ſubterranea*, Franc. Maria Torrigium in *cryptis ſacris Vaticanis*, Marc. Anr. Blondettum *obſerv. de coemet. Ss. Martyr. & chriſtianor. Romae*, Philip. Bonarrotium, in *obſerv. ad fragment. vitrea coemeter.*, & Io. Bottarium *de ſculptur. & pictur. coemeter.*. His adde Baronium *an.* 130. *n.* 1. & 226. *n.* 9. Mabillon. *Itiner. Italic. p.* 89. 125. Montfaucon. *Diar Ital. p.* 117. 154. Blanchinum *ad inſcript.* 130. *ſepulcral. libertorum domus Auguſtae*, alioſque ſexcentos. Nihil eſt, cur Vaticanis his cryptis tantopere allatrent Thomas Burnetus, & Maximilianus Miſſon. *in itinere Gallico*, Iac. Baſnagius *lib. XVIII. hiſt. dogmat. eccleſ.*, Frid. Spanhenius *in Hiſt. Eccleſ. N. T. p.* 668. 806., & Petr. Zornius *diſſ. de catacumbis*. Nae Romanae communionis hoſtes de iis, quae numquam viderunt, audacter & inſcite decernunt. Quid? An illae fuerunt *puticuli*, vili plebe-

driae, CPoli, in Africa, Italia, Gallia, ceteriſque locis; quorum Tertullianus (2), Euſebius (3), Athanaſius (4), Hieronymus (5), aliique veteres meminerunt (*d*). Perſecutionum procellis chriſtiani in coemeteriis non ſolum corpora ſuorum ſepelierunt, ſed & ſacras ſynaxes celebrarunt; erant enim hae latebrae noſtrorum perfugia, & templa veluti quaedam, in quibus ſacrorum gratia conveniebant. Hinc tyranni nihil antiquius habuerunt, quam coemeteria chri-

(2) *Lib. ad Scapulam cap.* 3. (3) *Lib. VII. hiſt. eccleſ. cap. XI. & Lib. IX. cap.* 2. (4) *Apolog. de fuga ſua n.* 6.
(5) *In cap.* 40. *Ezech.*

culae ſepeliendae addicti? At hi tantum extra portam Exquilinam recipiendis ſemiuſtis plebeiorum oſſibus addicti fuerunt, teſte Varrone, Feſto, aliiſque: coemeteria vero undique Urbem ambiunt, & corpora non cremata, ſed integra in tumulis *monoſomis*, *biſomis*, *triſomis*, *quadriſomis* apte locata, non proiecta, continent. An vero chriſtiani a coemeteriis putore, quem cadavera exhalabant, arcebantur? At ii, ſi tale urgeret periculum, loculos arena replebant; & coemeteria tam vaſta & tortuoſa ſunt, ut degere ipſi commode, ſacraque ſua longe a loculis agere in diſſitis locis poterant. Porro ſi chriſtianis in coemeteria, quod male olerent, ſine vitae periculo ingredi non licebat; cur Imperatores noſtris interdixerunt in coemeteriis congregari? Conveniebant igitur, quamobrem eiuſmodi praecepto opus fuit; adeoque foetore non impediebantur ſe in eiuſmodi cryptis abdere. Conf. Bottarium *cit. oper. p.* 5. *ſeqq.*

(d) Plura veterum chriſtianorum coemeteria in Occidente, praeſertim Italia, deſcribit Boldettus in *obſerv. de coemeter. a p.* 587. *ad* 624. Quod ad nos, memoranda in primis Neapolitanum, Nolanum, Puteolanum, Aquilanum, & Syracuſanum, quae idem enarrat Boldettus. De Neapolitano coemeterio extra urbis moenia, quod Romanis cryptis nobilius ac ſpatioſius eſt viſum, vide etiam Mabillon. *Itin. Ital. p.* 164. & 112. & Gilb. Burnetum *ep.* 4. De Nolano Ambroſ. Leonium *deſcript. urbis Nolae lib.III. cap.*2. De Syracuſano Vincent. Mirabella in *Syracuſis antiquis*, *tom.XI. theſ. Sicil. p.*27.

chriſtianis interdicere. Aemilianus Aegypti praeſes ſic Dionyſium Alexandrinum alloquitur apud Euſebium (6): *Nullatenus licebit vobis, nec quibuſcumque aliis conventus agere, aut in iis, quae vocantur coemeteria, eſſe.* Idem Euſebius (7) ſcribit, Maximinum conatum chriſtianis adimere ἐν τοις χοιμητηριοις conventus, cum eos diſſipare ac peſſumdare vellet. Tertullianus (8) ethnicos ſub Hilariano praeſide adclamaſſe ait: *Areae non ſint*, h. e. coemeteria chriſtianorum. Reddita eccleſiae pace chriſtianos ad coemeteria convenire ſolitos, ibique ſacra peragere, teſtantur Athanaſius (9), Chryſoſtomus (10), Caſſiodorus (11), aliique.

§. III. Diu chriſtiani aeque ac gentiles extra urbes ſepeliebantur. Etenim ethnicorum Caeſarum edictis, quibus primitivi chriſtiani obtemperarunt, nemini licebat mortuos in civitatibus infodere. Urbanam ſepulturam CPoli interdixit ipſe chriſtianus Auguſtus Theodoſius M. an. 381. (e). Quare chriſtiano-

(6) *Cit. lib. VII. cap.* 11. (7) *Cit. lib. IX. cap.* 2.
(8) *Cit. loc.* (9) *Cit. Apolog.* (10) *Orat.* 23. (11) *Hiſt. tripart. lib. V. cap.* 3.

(e) Apud Iudaeos, Graecos, Romanos, aliaſque gentes mortui extra urbes efferebantur. Iudaei ſepelire extra civitates, plerumque in petris & ſpeluncis, conſueverunt: Geneſ. XXIII. Matth. XXVI. 60. Luc. VII. 12. Ioan. XI. 30. Conf. Grotium ad *Luc. VII.* 12. & Doughteium *Analect. ſacr. ad Ezech. XLIII.* 10. & *Luc. VII.* 20. Graeci quoque ſepulcra ab urbibus arcuerunt, mortuoſque in agris ſepelierunt. Plato *lib. XII. de legib.* Athenienſes Marcello ſepulturam intra urbem negaſſe, *quod ſe religione impediri dicerent*, ſcribit Sulpicius ad Ciceronem *lib. IV. ep.* 12. *int. famil.* Romae inde ab incunabulis mortui extra urbem ſepeliebantur. Ipſi reges Numa & Servius Tullius extra Urbem ſepulti ſunt, ut ex Plutarcho, Halicarnaſſaeo, Plinio, & Livio patet. Iam ante Decem-

norum coemeteria extra urbium pomoeria erant in agris

cemviros P. Valerio Publicolae, virtutis cauſſa, ſepulcrum in Urbe a Senatu conceſſum fuit, teſte Cicerone *lib. II. de legib.*: quod etiam de Fabricio, & A. Poſtumio Tuberto narratur. Quale autem illud honoris argumentum, vel virtutis praemium fuiſſet, ſi promiſcue omnibus in Urbe ſepeliri licuiſſet? Deinde lex XII. tab. vetuit, *mortuum in Urbe ſepeliri, vel uri*. Haec lex quum labefactari coepiſſet, SCtum Duillio Conſule circa an. Urb. 390. ſtatuit, *ne quis in Urbe ſepeliretur*. Serv. *ad Virgil. Aeneid. X. v.* 206. Hanc prohibitionem iure Decemvirali pro urbe Roma factam Imperatores confirmarunt, & ad ceteras Romani orbis civitates ſeu municipia, certa addita poena, extenderunt, nempe Hadrianus *L.* 3. §. 5. *D. de ſepulcr. violat.*, Antoninus Pius, teſte Capitolino *in eius vit.*, atque Diocletianus & Maximianus *L.* 12. *C. de religioſ. & ſumtib. funer.* Chriſtiani quoque Caeſares urbanam ſepulturam interdixerunt, ut Theodoſius Iun. *L.*6. *C. Th. de ſepulcr. violat.* At ſaeculo nono Leo Sapiens *Nov.* 53. has leges ſuſtulit, & *cuique intra civitates mortuos ſepelire permiſit*; quamvis ex ea colligatur, iam antea legem, quae urbanam ſepulturam vetabat, a *conſuetudine contemtam fuiſſe*. Tribus vero de cauſſis Romanum ius cadavera in urbibus condi vetuit: prima, ne foerore corpora viventium inficerentur: ſecunda, ne locus religione obligaretur; illatione enim cadaveris, cinerum, oſſiumve locus fiebat religioſus, hominumque commercio ſubducebatur, adeoque ſi ſepulcra intra urbes locarentur, eas paullatim abſumerent univerſas, viviſque ſecedentibus potius mortuorum, quam vivorum urbes evaderent: tertia, *ne funeſtentur ſacra civitatis*, ut ait Paullus *lib.I. recept. ſentent. tit.* 23., ſive *ne ſanctum municipiorum ius polluatur*, uti loquuntur Diocletianus & Maximianus *cit. l.* 12.; ethnici namque ſacra civitatis contaminari putabant, ſi mortui intra urbes ſepelirentur, ipſoſque viventes cadaverum contactu, adſpectu, aut aſſociatione pollui. Porro viris virtute meritiſque in remp. praeſtantibus ſepultura honoris gratia in Urbe publice decernebatur. Talis honos Publicolae, Fabricio, Tuberto, aliiſque delatus eſt. Iulio Caeſari decreto Senatus conceſſum ταφῆς εντος του πωμαριου ποιησασθαι, prodit Dio *lib.XLIV.* Veſtales etiam in Urbe ſepeliebantur, *quod eae legibus non tenerentur*, teſte Cicerone *lib. II. de legib.* Idem de Traiano Imp. refert Eutropius *lib. VIII. cap.* 2. Ceterum extra urbem ſe-

agris & viis publicis. Apoſtolos Petrum & Paullum extra Urbem humatos, teſtatur Hieronymus (12). Chriſtianos *corpora mortua extra urbem ſepelire*, ſcribit Macarius (13). Pſeudo-Chryſoſtomus (14) etiam perhibet, quod *πασα πολις, πασα κωμη προ των ισοδων ταφυς ἐχει*, *omnis urbs, omnis pagus ante introitum ſepulcra habet*. Generatim veteres de ſepulcris martyrum, tamquam extra urbes poſitis, diſſerunt: invectoque ad monumenta martyrum conveniendi more, de egreſſione ex urbibus in agros, ubi martyrum exuviae iacebant, loquuntur. Unus inſtar omnium ſit Chryſoſtomus (15): *Quum martyrum*, inquit, *qui illic* (in villis) *quieſcunt*, *feſtum agetur*, *tunc urbem totam oportuit ad illos ſe transferre*. In Africa ſaeculo IV. ſtabat mos humandi mortuos in campis & viis publicis, uti colligitur ex Concilio Carthaginienſi V. an. 498. (16). In Gallia adhuc ſaeculo VI. cadavera extra urbes ſepulta, teſtatur Concilium Bracarenſe an. 563. (17). Interim iam a ſaeculo IV. urbana ſepultura paſſim recepta eſt. Chriſtiana enim religione ſub chriſtianis Au-

(12) *De ſcript. eccl. cap.* 1. & 15. (13) *Hom.* 30.
(14) *Hom.* 17. *de fide & lege naturae*. (15) *Hom.*65. *de martyrib.* (16) *Can.* 14. (17) *Can.* 36.

ſepulcra divitum in ſuburbanis ipſorum agris ad publicas vias plerumque conſtituebantur, *quo praetereuntes admonerent, ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales*, Varro *de ling. latin. lib.IV*. Accedebat oeconomica ratio, ne ſepulcris in meditullio fertilium agrorum locatis, fructus terrae impedirentur, ſicque vivi damnum inde ſentirent. Quod ſi infoecundi eſſent, in eorum meditullio ſepulcra extruebantur, ut habes ex Siculo Flacco *de conſt. agror.*, aliiſque. Pauperum vero ſepulcra erant *puticuli* extra portam Exquilinam, ſic dicti, *quod ibi in puteis obruebantur homines, vel quod puteſcebant ibi cadavera proiecta*. Varro ibid.

Auguſtis invaleſcente, cum eccleſiae martyrum, tum coemeteria in civitatibus ſenſim extructa ſunt, in quibus ſepeliri fidelibus datum: cui novae proinde conſuetudini edicta veterum Imperatorum de vetita urbana ſepultura ſuccubuerunt; donec plenam cuique poteſtatem inferendi mortuos intra urbem indulſit Leo Sapiens (18), qui etiam leges de mortuis in urbe non condendis *a conſuetudine* contemtas adfirmat.

§. IV. Non ſolum extra civitates, verum etiam eccleſias chriſtiani olim infodiebantur. Nulla tribus perſecutionum ſaeculis intra eccleſias ſepultura fuit. Hac quidem tempeſtate noſtri ſacros agere conventus adigebantur in cryptis & abditis locis, in quibus martyrum & fidelium oſſa recondita fuerant; at hinc mortuos tum in eccleſiis humaſſe non conficitur, ſed tantum extraordinarias quaſdam eccleſias ſeu loca temporariorum conventuum ad ſepulcra mortuorum feciſſe. Reddita eccleſiae pace, ſepultura in eccleſiis prodiit (*f*). Ei cauſſam dedit fidelium erga martyres obſervantia. Sub chriſtianis enim Imperato-

(18) *Nov.* 53.

(f) Apud gentes ſepultura in templis non prorſus ignota. Conſueviſſe Aegyptios in templis ſepelire quos divinis poſtea honoribus afficere vellent, notat Heinſius *ad Maxim. Tyrium p.* 141. Pyrrhi dexterum pollicem, quod cremari cum reliquo corpore non potuit, *conditum loculo in templo*, ait Plinius *lib. VII. cap.* 2. De Graecis idem refert Arnobius *lib. VI.* Argivos cadavera in templis ſepelire ſolitos, liquet ex Euripide in *Medea*, dum haec Iaſoni promittit ſe filiorum corpora in luco Iunonis Acraeae ſepulturam. Plataeenſes Euchidam in Dianae Euchiae fano tumularunt, Plutarch. in *Ariſtide*. Sepulcra templis proxima Lycurgus extrui iuſſit, ut aſſueſceret iuventus mortem non timere, Plutarch. in *Lycurgo*. De Romanis id unum comperimus, eos in Deae Libitinae templo ſingula, quae ad rem funeream pertinerent, adſervaſſe.

toribus martyrum reliquiae honoris gratia translatae ſunt in publicas eccleſias tam urbanas, quam vicanas, aut novae ſupra illorum tumulos extructae (quae *martyria*, *apoſtolea*, *prophetea* dictae ſunt) ut ipſe teſtatur ethnicus ſcriptor Ammianus Marcellinus (19): unde mos enatus, ut nullam deinceps eccleſiam ſine martyrum reliquiis dedicare liceret. Reconditis autem in ſacris aedibus martyrum lipſanis, vehemens deſiderium chriſtianorum animos pervaſit, ſepulturam prope memorias & reliquias ipſorum martyrum conſequendi, ut eorum meritis adiuvarentur, votique compotes evaſerunt (*g*). Quum vero martyres ſub eccleſiarum altaribus quieſcerent, hinc pia chriſtianos in eccleſiis ſepeliendi conſuetudo in Oriente ac Occidente orta eſt.

§.V. In Oriente inde a ſaeculo IV. fideles in eccleſiarum atriis, vel ipſis eccleſiis ſepeliri conſueverunt. Conſtantinus M. in baſilica Apoſtolorum, quam CPoli extrui curavit, *maxime ambierat iuxta Apoſtolorum memoriam* ſepeliri, *ut precationum, quae in honorem Apoſtolorum ibi celebrandae erant, etiam mortuus particeps fieret*, uti refert Euſebius (20); quamvis illum non in medio baſilicae Apoſtolorum, ut optaverat, ſed in veſtibulo a Conſtantino filio, aliove reconditum, teſtetur Chryſoſtomus (21). In eiuſdem baſilicae porticu CPolitani Auguſti Theodoſius M., Arcadius, Eudocia, Theodoſius Iunior, at-

(19) *Lib. XXII. cap. 2.* Vid. Mabillon. *praef. ad ſaec. V. Benedict. n.* 98. (20) *Lib. IV. de vit. Conſtantin. cap.* 21.
(21) *Hom.* 26. *in ep.* 2. *ad Cor.*

(g) Vide Iulian. Toletanum *lib. I. Prognoſtic. cap.* 20. *T. XII. biblioth. patr. p.* 596. & Roſweidum *ad Paullinum p.* 446. *ſeq.*

atque etiam Iovinianus, tumulati ſunt, uti narrat Nicephorus (22). At a Conſtantini aevo ſequutorum Imperatorum corpora intra urbanas baſilicas paſſim ſepulta, certiſſima evincunt monumenta apud Cangium (23). Eodem ſaeculo IV. mos in Oriente viguit ſepeliendi in ſacris aedibus chriſtianos. Ita in Martyrum templo Livia Amphilochii uxor depoſita eſt, teſte Gregorio Nazianzeno (24). Nec alio loco humatos Nonnam matrem ſuam, Caeſarium fratrem, & Gregorium adoleſcentulum nepotem, idem prodit Nazianzenus (25). Macrinam ſororem ſuam, eiuſque parentes in eccleſia martyrum tumulatos, teſtatur Gregorius Nyſſenus (26). Eodem quarto ſaeculo S. Efrem Syrus teſtamento humilitatis gratia vetuit corpus ſuum recondi *in domo Dei, aut ſub altari*: quod etiam fidelium in templis ſepulturam adſtruit. Paulla Romana Bethleemi denata *ſubter eccleſiam & iuxta ſpecum Domini* condita eſt, teſte Hieronymo (27). Idem in templis fideles ſepeliendi mos deinceps in Oriente viguit. Chryſoſtomi corpus CPoli in eccleſia Apoſtolorum depoſitum, refert Socrates (28). Euſebia diaconiſſa Macedonianorum, & uxor Caeſarii cuiuſdam in aede Martyrum tumulatae ſunt, teſte Sozomeno (29). Quid plura? In baſilica Apoſtolorum in urbe regia a Iuſtiniano condita *Imperatores & Sacerdotes ſepeliri morem eſſe*, ſcribit Evagrius (30).

§. VI.

(22) *Lib. XIV. cap.* 58. (23) *Lib. IV. CPolis chriſtianae p.* 108. *ſeq.* (24) *Carm. XVII.* apud Murator. in *Anecdot. Graec.* (25) *Orat.* 10. Conf. Murator. *diſquiſit.* 3. *de antiquis chriſtianorum ſepulcris, in Anecdot. Graec.* (26) *Orat. de S. Macrina*. Vid. Ruinart. in *Act. MM. ſincer. Admonit. in hom. de SS. XL. MM.* (27) *Ep.* 27. *ad Euſtoch.* (28) *Lib. VII. H. E. cap.* 45. (29) *Lib. IX. cap.* 2. (30) *Lib. IV. cap.* 31.

§. VI. In Occidente quoque iam a ſaeculo IV. fideles in eccleſiis prope martyres humati ſunt. Id liquet ex Ambroſio (31), dum agens de loco ſepulcri ab Abrahamo ad ſepeliendam coniugem emto, ait, id illum feciſſe, *quia nondum erant huiuſmodi Dei templa, in quibus fidelium in Domino reliquiae conduntur*. Idem Satyrum fratrem ſuum, qui laicus erat, iuxta Victorem martyrem poſuit. Quin ipſe Ambroſius (32) ſepulturam ſibi elegit in baſilica Ambroſiana a ſe extructa ſub altari (*b*). Marcellina iuxta Ambroſii fratris tumulum requiem invenit. Manlia Daedalia virgo in eadem Ambroſiana baſilica tumulata eſt (33). Paullinus Nolanus epiſcopus (34) Celſum puerum coniunxit *tumuli foedere martyribus*, ut eorum precibus adiuvaretur. Rurſus Cynegium iuvenem, pio ipſius matris obſequutus deſiderio, in aede S. Felicis martyris tumulavit. S. Hilarius Pictavienſis epiſcopus, qui circ. an. 367. obiit (35), do-

(31) *Lib. I. de Abraham cap. 9. n. 8.* (32) *Ep. 15. ad Marcellin.* (33) Conſ. Murator. *diſſ. XVII. de veter. chriſtianor. ſepulcris, in Anecdot. Lat.* (34) *In panegyric. Celſi pueri.* (35) *Ad Matth. VIII.*

(h) Vetus mos fuit epiſcopos ſub altari ſepelire, ubi martyrum reliquiae quieſcebant. Ambroſius ſub altari ſepeliri voluit, ratus *dignum eſſe, ut ibi requieſcat ſacerdos, ubi offerre conſuevit*, ut ipſe ait *ep. LV*. Eumdem morem adſtruit collatio Catholicorum cum Donatiſtis habita Carthagine die I. cap. 204., in qua Donatus epiſcopus Sitifenſis orthodoxus dixit; *Supra corpus epiſcopi catholici presbyterum ordinavi, & Deo volente ordinabitur illic epiſcopus*. Non epiſcopi modo, ſed & presbyteri ſub altari tumulabantur. S. Paullinus *ep. 22. ad Sever.* ſcribit, Clarum quemdam presbyterum poſt obitum ſub altari humari debere. Conſ. Martenium *de antiq. eccleſ. ritib. lib. III. n. 13.* Bona *lib. I. rer. liturg. cap. 19. n. 5.* & Baron. *ad an. 383.*

docet, *non eſſe admiſcendos memoriis ſanctorum mortuos infideles:* unde habes, aevo Hilarii chriſtianos in baſilicis martyrum condi ſolitos. Concilium Carthaginienſe V. an. 398. (36) cavit: *Mortuos poenitentes eccleſiae afferant, & ſepeliant:* ex quo etiam patet, fideles omnes, modo in eccleſiae pace obiiſſent, ſepeliri intra ſacras aedes conſueviſſe. Auguſtinus a Paullino Nolano interpellatus, *an proſit alicui poſt mortem, quod corpus eius apud Sancti alicuius memoriam ſepeliatur*, egregio *de cura pro mortuis agenda* libro reſpondit, in quo multis explicat quantopere defunctis proſit ſepultura in eccleſiis, eamque ab omnibus fidelibus uſurpatam adfirmat. S. Maximus Taurinenſis epiſcopus (37), qui ſaeculo V. floruit, *a maioribus proviſum* ait, *ut Sanctorum oſſibus noſtra corpora ſociemus:* unde habes, ſaltem a ſaeculo IV. fideles omnes in eccleſiis, ubi martyrum corpora quieſcebant, ſepultos fuiſſe. Nec alio loco chriſtiani ſaeculo VI. tumulari conſueverunt. Gregorius M. (38) varia refert exempla eorum, qui ſine poenitentia denati, de ſepulcro, quod in eccleſiis obtinuerant, divinitus eiecti ſunt; e quibus liquet, vulgare tunc fuiſſe cuiuſque conditionis hominibus intra eccleſias tumulari. Idem Gregorius (39) praecipit Ioanni epiſcopo Urbevetano, ut permittat *miſſas celebrari, & mortuos ſepeliri* in eccleſia monaſterii S. Georgii. Rurſus (40) Ianuario Calaritano vetat, ne pro ſepultura in eccleſia concedenda pretium exigat. Pariter (41) Donum Meſſanenſem epiſcopum, ne

(36) *Can. 81.* (37) *Hom. 19. in Nat. SS. Tauricor. MM. Octavii, Adventitii, & Salvatoris.* (38) *Lib. IV. dialog. a cap. 50. ad 54.* (39) *Lib. I. ep. 12.* (40) *Lib. X. ep. 3.* (41) *Lib. VIII. ep. 3.*

ne quid pro eccleſiaſtica ſepultura accipiat, monet. Idem pontifex (42) Sabino Subdiacono regionario in Brutiis agenti iniungit, ut *exigat duas uncias a teſtatore legatas eccleſiae S. Georgii, ubi ſepeliri voluit* (i). Vides iam a ſaeculo IV. uſque ad VII. conſtantem fuiſſe utriuſque eccleſiae ſententiam, ius faſque ubique eſſe, chriſtianos in communione denatos intra eccleſias ſepeliri: quae pia & laudabilis conſuetudo ad haec tempora perennavit; quamvis varia de hac re pro diverſa temporum & locorum ratione fuerit diſciplina (k).

§. VII. Iure decretalium quiſque in propria paroecia ſepeliendus eſt, in qua vivens ſacramenta accepit (43). Ab hac regula excipiuntur, qui ſepulcrum maiorum ſuorum habent, in quo tumulandi ſunt quaſi ex tacita ſepulturae electione, quum nemo non exoptet, magnumque ducat, *eadem habere monumenta maiorum, iiſdem uti ſacris, ſepulcra habere communia*, ut ait Cicero (44). Iacob in *ſepulcro patrum ſuorum* humari voluit (45). Sepulcra haec maio-

(42) *Lib. X. ep. 5.* (43) *Cap. 3. ext. de ſepult.* (44) *Lib. I. de offic.* (45) *Geneſ. XLVII. 30. & XLIX. 29.*

(i) Obſtare videtur idem Gregorius *lib. I. ep.* 54. aliiſque locis, qui novas eccleſias conſecrari non permittit, niſi ſollemni formula, *ſi ibidem nullum corpus conſtet humatum.* Si nefas erat, eccleſiam conſecrare in loco, ubi aliquis fuerat ſepultus, qui, obſecro, poterat intra ipſam eccleſiam iam conſecratam mortuus inferri? At pontifex hac cautione uſus eſt, ne profanorum & impiorum oſſibus reliquiae martyrum admiſcerentur. Praeterea iure metuendum erat, ne cultus martyribus debitus profanis corporibus iampridem eo loco ſepultis reddi putaretur. Quid quod humana corpora loco moveri non ſinebant leges?

(k) Conf. Murator. *cit. loc.* Io. de Vita *Antiq. Benev. diſſ. XI.* & Gudling. *obſ. ſelect. T. I. obſ.* 8.

iorum ſeu familiaria exemplo patriarcharum veteris Teſtamenti probarunt ſummi pontifices Leo III. (46), & Bonifacius VIII. (47). Excipiuntur etiam qui ſepulturam alibi quam in paroecia ſibi delegerunt. Olim arbitrio morientium datum non fuit ſepulturam in eccleſia eligere: iudicium de hac re penes epiſcopos aut presbyteros erat. Saeculo XII. Romani pontifices optionem hanc cuique dederunt, quamvis maiorum ſepulcrum haberet. Ita etiam uxor, non obſtante mariti poteſtate, ſepulturam ſibi eligit, qua non electa, in monumento viri ſepelitur (48): ac ſi plures habuerit maritos, cum ultimo, cuius domicilium & honorem retinet, humatur (49) (*l*). Pariter filiusfamilias, modo pubes, libere ſepulturam ſibi eligit; nam electioni ſepulturae, quae res ſpiritualis cenſetur, non obſtat patria poteſtas (50). Monachi vero ſepulturam eligere vetantur, quippe qui propriae voluntati abrenuntiarunt: hinc in ſepulcro monaſterii, quod ipſis paroeciae loco eſt, condendi ſunt (*m*). Item impuberes, quibus nondum plenum eſt animi iu-

(46) *Cap. I. ext. de ſepult.* (47) *Cap. 2. eod. in 6.*
(48) *Cap. 7. ext. eod.* (49) *Cap. 3. §. mulier de ſepult. in 6.*
(50) *Cap. 4. eod. in 6.*

(l) Patriarchae eodem cum uxoribus ſepulcro condebantur. *Geneſ. XXV. & XLIX. Ioſ. XIV. Iob. IV. & XIV. Iudith. XVI.* Generalis fuit hic Iudaeorum mos. Sapphira Petri voce extincta apud Ananiam virum ſuum ſepulta eſt. *Act. V.* Matrem ſuam a ſe petiiſſe, ut corpus ſuum cum mariti oſſibus coniungeret, narrat Chryſoſtomus *lib. I. de ſacerdot.* Monica ſepulcrum iuxta corpus viri ſui, cum quo concors vixerat, ſibi paravit. Auguſtin. *lib. IX. confeſſ.* 2.

(m) Monachi vel moniales in eodem monaſterii coemeterio ſepeliebantur, ut quos vita coniunxerat, mors non ſeiungeret. Palladius in *Lauſiac.* S. Antiochus monachus *ep. ad Euſtach.* S. Iſidor. *Regul. cap.* 24.

iudicium: ideo pro iis pater eliget ſepulturam, ſi id loci conſuetudo ferat (51). Porro licet cuique ſepulturam ſibi optare in quovis loco, modo religioſus ſit. Electio enim ſepulturae in loco profano reſpuitur tamquam inepta, & turpis, iurique publico eccleſiaſtico adverſa, quod privatis morientium voluntatibus infringi nequit; etenim *nemo chriſtianus in communione fidelium defunctus extra eccleſiam, aut coemeterium rite benedictum ſepeliri debet* (52). Olim eligi ſepultura poterat tantum in eccleſiis paroecialibus, & monaſteriis, non item in oratoriis, uti liquet ex Innocentio III. (53). Poſtea in privatis quoque ſacellis ſepulturae electionem permiſit Bonifacius VIII. (54).

§. VIII. Chriſtiani, ut certam ſuam de reſurrectione ſpem teſtarentur, magnam funerum rationem habuerunt, quam inter cauſſas incrementi religionis noſtrae ponit Iulianus Imp. (55) (n). Quarto ſaeculo in magnis eccleſiis inſtituti clerici componendis funeribus, qui *copiatae*, *laborantes*, *foſſarii*, *lecticarii*, aliiſque nominibus vocati ſunt. Funus autem ita curabatur. Corpus elutum, unguentis, quae aromatibus conſtabant, delinibant. De uſu thuris in fu-

(51) *Cap. 7. ext. eod.* (52) *Ritual. Rom. tit. de exſequiis.* (53) *Cap. 3. ext. eod.* (54) *Cit. cap. 2. §. ult. de ſepult. in 6.* Cont. Eſpen. *part. II. tit. 7. n. 21. ſeq.* (55) *Ep.* 49.

(n) Sepulcrales veterum chriſtianorum ritus fuſe narrant e veteribus Pſeudo-Dionyſius Areopagita *de eccleſ. hierarch. cap. 7.*; e recentioribus Henric. Spondanus in *coemeteriis ſacris*, Onuph. Panvinius *de ritu ſepeliendi mortuos apud veteres chriſtianos*, Iac. Gretſerus *de chriſtianorum funere*; Io. Nicolai *de luctu chriſtianorum*, & Car. Bartholom. Piazza *dell' uſo, miſtero ed antichità appreſſo diverſe nazioni de' riti e ceremonie nell' eſequie e funerali paſſati a ſecoli noſtri criſtiani.*

neribus ſic Tertullianus (56): *Thura non emimus? ſi Arabiae quaeruntur, ſcient Sabaei, pluris & carioris ſuas merces chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis*. Caecilius apud Minucium (57) chriſtianis vitio dat, *quod reſervarent unguenta funeribus*. Inunctum veſtibus pretioſis pro qualitate perſonae induebant. Ad rem Hieronymus (58): *Cur & mortuos veſtros auratis obvolvitis veſtibus? Cur ambitio inter luctus, lacrymaſque non ceſſat? An cadavera divitum niſi in ſerico putreſcere neſciunt?* Alibi vero cadavera candido linteo involvebantur, teſte Prudentio (59), aliiſque (*o*). Deinde ad ſepulturam hymnis & canticis deducebantur, ut ex Chryſoſtomo (60), Nyſſeno (61), Hieronymo (62), ceteriſque conſtat (*p*). In elatione cerei accenſi adhibebantur.

(56) *Apolog. cap.* 42. (57) *In Octav. p.* 107. (58) *In epitaphio Paullae*. (59) *Cathemer. hymn.* 10. (60) *Hom.* 14. *in I. ad Tim.*, *& alibi*. (61) *In vit. S. Macrinae*.
(62) *In epitaphio Paullae*.

(o) De veſtibus funeribus chriſtianorum plura Caſalius *de ritib. vet. chriſtian. cap.* 66. Aringhus *Rom. ſubterran. lib. I. cap.* 24. & Binghamus *orig. eccleſ. lib.* 23. *cap.* 3. §. 4.
(p) Apud gentes etiam mortui efferebantur cantu & naeniis. Macrobius *lib. II. in ſomnum Scipionis cap.* 3. ſcribit: *Mortuos quoque ad ſepulturam proſequi oportere cum cantu, plurimarum gentium, vel regionum inſtituta ſanxerunt: perſuaſione hac, qua poſt corpus animae ad originem dulcedinis muſicae, ideſt, ad caelum redire credantur*. Tibicines apud Hebraeos adhibitos, patet ex Matth. X. 23. Idem apud Graecos & Romanos frequentatum comperimus. Lucianus in mortui proſopopoeia: *Quid me luctus ille veſter & ad tibiam pectoris percuſſio iuvat?* Conf. Car. Sam. Sentium *diſſ. de cantationibus funebribus veterum*, Roſweidum *ad Paullin. p.* 791. Ritthershuſium *ad Chorippum p.* 98. Aringhum *Rom. ſubterran. lib. I. cap.* 19. Adhibebantur ab ethnicis etiam *praeficae*, hoc eſt mulieres ad lamentandum mercede conductae, quae dabant ceteris

tur. Chryſoſtomus (63): *Dic mihi*, inquit, *quid ſibi volunt clarae lampades? Annon eos tamquam athletas deducimus?* Sic funalia in funere Macrinae adhibita, refert Nyſſenus (64). Chriſtiani autem mortuos ſuos coronis non efferebant, ut ethnici faciebant: unde ab his accuſati, quod mortuos non coronarent, ut eſt apud Tertullianum (65), & Minucium (66) (q). Cadavere ad ſepulturae locum elato, funebri oratione defunctus meritis ornatus laudabatur: cuiuſmodi adhuc extant Euſebii in funere Conſtantini, Ambroſii in obitu Satyri, Gregorii Nyſſeni in obitu Meletii epiſcopi Antiocheni, aliorumque (r). Tum cadaver in-

Cc 2

(63) *Homil. IV. in ep. ad Hebr.* (64) *Cit. loc.* (65) *De coron. milit. cap.* 10. (66) *In Octav. p.* 347.

ris plangendi modum, quaſi in hoc ipſum perfectae. Eae praeerant planctui, non dolori; ipſarum enim lacrymae erant venales & fictae. De iis vere Bernardus *ſerm.*4.: *Iſtae non lugent, ſed verius elugent*, hoc eſt finem lacrymis imponunt. In funere canebant ad tibiam laudandi gratia lugubre carmen, quod quum ut plurimum ineptum & inficetum eſſet, ac ultra verum laudarent, *naeniae* nomen meruit. De *praeficis* vide Moreſtellum *pomp. feral. lib. II. cap.* 29. Gutherium *de iure manium lib. I. cap.* 14. Meurſium *de funere cap.* 18. Begerum *vol. I. theſaur. Brandenb. p.* 151. & Baruffaldum *diſſ. ad illuſtrationem urnae ſepulcralis Fl. Quartillae praeficae*. De praeficarum uſu apud chriſtianos, plura Menardus ad *Sacram. Gregor. M. p.* 257. *ſeq.* & Baſnagius ad *A. C.* 37. *n.* 19.

(q) De coronis feralibus vide Paſchalium libro *de coronis*, Rittershuſium *lib.VII. ſacr. lect. cap.* 1. ubi ſigillatim de chriſtianis, & Maffeium *Muſei Veronenſ. p.* 178.

(r) Morem funebri oratione laudandi mortuos habuerunt Aegyptii, uti probat Io. Marshamus in *canone chronico p.* 273. Apud Romanos vero nihil illis frequentius, etſi eas ſaepe fabuloſas fuiſſe, indeque hiſtoriam rerum factam mendoſiorem, queratur Cicero in *Bruto cap.* 16. Conf. Iuſt. Chriſtoph. Boehmerum *exercit. de orationibus parentalibus*, Car. Sam Sentium *diſſ. de concionibus funebribus veterum*, & Frid. Andr. Halbaverum *in hiſtoria laudationum funebrium*.

integrum terrae tradebatur; chriſtiani enim ſemper humationem, reiecta uſtione, adhibuerunt: quo etiam nomine ab ethnicis accuſati apud Origenem (67), Tertullianum (68), Lactantium (69), & Minucium (70) (s). Tam in funeratione, quam anniver-

(67) *Lib. VIII. contr. Celſum n.* 30. (68) *De reſurrect. carn. ſub init.*, *& de coron. cap.* 2. (69) *Lib. VI. cap.* 97.
(70) *In Octav. p.* 97.

(s) Duo apud cultiores gentes ſepeliendi modi fuerunt, *humatio*, & *crematio*. Antiquior, maioremque humanitatem pietatemque praeferens, eſt humatio, qua *redditur terrae corpus, & ita locatum, ac ſitum quaſi operimento matris obducitur*. Cicero *lib. II. de legib.* Ea conſtanter uſi ſunt Aegyptii, Hebraei, Chriſtiani, aliique populi. Aegyptii cadavera condiebant, ut a putredine vindicarent. Hebraei non condiebant cadavera, ut Aegyptii, ſed tantum ungebant, faſciiſque ligata terrae mandabant. Lazari corpus foetens memoratur Io. XI. 39. Chriſti corpus *ligatum linteis cum aromatibus ſepultum more Hebraeorum*, ſcriptum eſt Io. XIX. 40. De funeribus & luctu Hebraeorum conſule prae ceteris Calmet *diſſ. I.* praemiſſa commentario in Eccleſiaſticum, Frideric. Mullerum *lib. III. de ſepulcris veter. Hebraeor.*, & Leonh. Hofmannum *diſſ. de ſingulari Hebraeorum cura ſepeliendi mortuos*. Graeci & Romani cadavera cremabant. Vid. Iac. Gutherium *de iure manium*, Io. Kirchmannum *de funeribus & luctu Romanorum*, alioſque. Tandem quarto deſinente, quintoque ineunte ſaeculo cadaverum uſtio penitus exolevit. Primus enim Macrobius, qui initio quinti ſaeculi ſub Theodoſio Iun. vixit, *lib. VII. cap.* 7., morem illum ſuo tempore iam deſueviſſe ſcribit: *Licet*, inquit, *urendi corpora defunctorum uſus noſtro ſaeculo nullus ſit*. Probabile quidem eſt, *νεκροκαυστιαν* ſenſim in orbe Romano deſiiſſe, prout chriſtiana religio in dies magis magiſque invaleſcebat, donec tandem prorſus defecit, poſtquam illa arcem Imperii, ſceptrumque tenuit, deleto ubique a Theodoſio Iun. paganiſmi veſtigio; chriſtiana enim diſciplina ſemper humationem, damnata cadaverum uſtulatione, praetulit. Vere Thomaſſinus *diſcipl. part. III. lib. I. cap.* 65. *n.* 9. obſervat, *illud quoque per chriſtianos invectum orbi, ut ne amplius defunctorum corpora igne abſumerentur*.

Google

verſaria die preces & ſacrificium offerebantur pro defunctis in Chriſti communione; quem antiquiſſimum eccleſiae morem diſerte adſtruunt teſtimonia Tertulliani (71), Cypriani (72), Auguſtini (73), aliorumque (*t*). Peracto funere celebrabatur epulum ſepulcrale, quod miſericordiae erat, pauperibus alendis comparatum, ut defunctus requiem adipiſcetur, teſte Origene (74), Chryſoſtomo (75), aliiſque. Eiuſmodi epulum in funere Rufinae uxoris ſuae celebravit Alerius, quod deſcribit Paullinus (76). Quum vero funereae agapae in ebrietates & commeſſationes deſciviſſent, teſte Auguſtino (77), paſſim ſublatae ſunt (*u*). Sed & campanas ad funerum deductionem pulſari (*x*), & luctum ſtatis diebus celebrari conſuevit (*y*).

§. IX. Recepta ubique in eccleſiis ſepultura, & chriſtianis exſequiarum ſollemniis, privatio eccleſiaſticae ſepulturae in poenam abiit. Ea enim, qua-

(71) *De monogamia cap.* 10. *& de exhortat. caſtit. cap.* XI. (72) *Ep.* 66. *ad cler. & pleb. Furnit.* (73) *De cura pro mortuis cap.* 1. *&* 4. (74) *Lib. III. in Iob. p.* 274. (75) *Hom.* 31. *in Matth.* (76) *Ep.* 31. (77) *Ep.* 22. *ad Aurel.*

(t) Plura de hac re congerunt Voſſius *diſput.* 25. quae eſt *de orationibus & oblationibus pro defunctis*, Martene *de antiq. ritib. lib. III. cap.* 14., & Suicerus *theſ. eccleſ.* v. ταφη, & v. συναξις.

(u) De epulis feralibus chriſtianorum vide Stuckium *antiquit. convival. lib. I. cap.* 25. & Nicolai *de luctu chriſtianor. cap.* 23.

(x) De ritu pulſandi campanas ad funerum deductionem, cuius meminit Scholiaſtes Theocriti *Idyllio* 2. *p.* 44., conſule Magium *de tintinnabulis cap.* 10. & Roccham *de campanis cap.* 3.

(y) Quot diebus luctus fuerit celebratus, explicant Benedictini *ad Ambroſ. tom. II. p.* 1197. Cotelerius *ad conſtit. Apoſt. VIII.* 42. & Menardus *ad concord. regular.*

tenus ſacro loco, & eccleſiaſtico exſequiarum ritu conſtat, pars quaedam eſt eccleſiaſticae communionis, quae etiam poſt mortem manet. Hinc chriſtianam ſepulturam ſoli fideles, qui in eccleſiae communione obierant, niſi publica graviorum criminum, quorum poenitentiam detrectaſſent, infamia notentur, ſuo ſibi iure vindicant: iis vero denegatur, quibus vivis communicare non licuit. Appoſite Leo M. (78) ait: *Quibus vivis non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus*. Conſonat Innocentius III. (79): *Sacris eſt canonibus inſtitutum, ut quibus non communicavimus vivis, nec communicemus defunctis*. Mortuis autem communicare dicuntur viventes, pro quibus hi preces fundunt, vel ſacrificia & oblationes offerunt, quarum participes fiunt mortui.

§. X. Eccleſiaſtica itaque ſepultura privantur. I. Gentiles, & Iudaei, qui extra eccleſiam ſunt. Cum his una tumulari horruerunt maiores noſtri. Cyprianus (80) inter crimina Martialis Aſturicenſis epiſcopi recenſet, *quod filios, exterarum gentium more, apud profana ſepulcra depoſuiſſet, & alienigenis conſepeliſſet*. Hilarius Pictavienſis (81) Chriſtum admonere ſcribit, *non admiſceri memoriis Sanctorum mortuos infideles*; additque infideles etiam eos eſſe, *qui extra Deum vivant*, hoc eſt improbos chriſtianos. Ad infideles proxime accedunt infantes ſine baptiſmo mortui, qui etiam chriſtiana ſepultura carent (82). II. Excommunicati, qui utpote ab eccleſiae corpore praeciſi, ſacris membrorum eius privilegiis indigni ſunt. Syneſius (83) Andronicum praefectum Aegypti,

(78) *Ep. 92. ad Ruſtic. cap. 6.* (79) *Cap. 12. ext. de ſepult.* (80) *Lib. I. ep. 3.* (81) *Ad Matth. VIII.* (82) *Can. 27. ſeq. diſt. 1. de conſecr.* (83) *Ep. 58.*

pti, eiuſque adſeclas excommunicavit, edixitque, *ut neque viventes ipſos ſalutarent, neque mortuos funebri pompa deducerent*. Sed ex Martini V. (84) conſtitutione ſepultura privantur maiori anathemate perculſi, qui tales denunciati ſint, aut publice clericum, vel monachum percuſſerint. III. Haeretici, ſchiſmatici, & apoſtatae, qui hoc nomine publice convicti ſint, aut palam haereſim profiteantur, aut ab eccleſia receſſerint (85). IV. Nominatim interdicti, (86). V. Qui praecepto annuae confeſſionis & paſchalis communionis ſatis non fecerunt (87). VI. Biathanati ſeu ἀυτοχειρες, nempe qui ſibi mortem ultro conſciverunt, quippe qui in gravi peccato deceſſerunt. Graviſſimum ſcelus eſt ἀυτοχειρια. Ad rem Olympiodorus (88): *Nefas & ſceleſtum eſt, vitam ſibi eripere; qui enim mortem violentam ſibi afferunt, homicidii rei cenſendi ſunt*. Excipiuntur qui furore acti mortem ſibi conſciviſſe probentur (89). VII. Mortui in torneamentis (z); item pugnantes

 in

(84) Extravag. *ad evitanda*. (85) *Cauſ. 24. q. 1. per tot.*
(86) *Cap. 10. ext. de ſepult.* (87) *Cap. 12. ext. de poenit. & remiſſ.* (88) *Catena in cap. 15. Iobi*. (89) *Can. XI. cauſ. 23. q. 1.*

(z) Torneamenta erant nundinae vel feriae, in quibus milites ex condicto convenire ſolebant, & ad excitandam alacritatem, & exercendas vires, animumque temere congredi. Ea *decurſiones militares*, *hoſtiludia*, *ludi equeſtres*, *militaria exercitia*, aliiſque nominibus apud veteres audiunt. Torneamenta ſaeculo XI. Gaufridus II. Dominus Pruliaci reperit, teſte Chronico Turonenſi an. 1066. A Francis harum decertationum uſus ad Germanos, Anglos, & Europam univerſam perrepſit. Conf. Georg. Schubartum *tract. de ludis equeſtribus*, Menetrerium libro Gallico *de torneamentis*, Vinc. Auriam *de origine ludor. equeſtr.* & Cangium *diſſ. VI. ad Ioinvillam*. Torneamenta, ob caedes & membrorum mutilationes, quae in iis crebro accidebant, ſubinde interdixerunt Romani pontifices In-

in duello, eorumque *patrini* (90). VIII. Fures & latrones in crimine interfecti (91). IX. Raptores & violatores eccleſiarum, quibus in extremis agentibus & peccata deteſtantibus viaticum datur, non vero eccleſiaſtica ſepultura, niſi de reſtituendis ablatis cautionem dederint (92). X. Uſurarii manifeſti, niſi ante mortem eos poenituerit uſurarum, deque uſuris reſtituendis caverint (93). XI. Monachi *proprietarii*, hoc eſt cum peculio mortui (94). XII. Tandem omnes manifeſti & publici peccatores, qui ſine poenitentia deceſſerunt, chriſtiana excidunt ſepultura, ut habet Rituale Romanum (95) (*a*).

§. XI. Iam omnes, qui eccleſiaſtica ſepultura privantur, ſi eam vi, aut caſu fuerint adepti, canones exhumari iubent, inque profana loca abiici (96).

Eiuſ-

(90) Tridentin. *ſeſſ.* 25. *de ref. cap.* 19. (91) *Cap.* 2. *ext. de furt.* (92) Eugen. III. *cap.* 2. *de raptorib.* (93) Gregorius X. *cap.* 2. *de uſur. in* 6. (94) Concil. Lateranenſ. ſub Alexandro III. *can.* 10. Clemens III. *cap.* 4. *ext. de ſtatu monach.* (95) *Tit. de exſequiis*. (96) Innoc. III. *cap.* 12. *ext. de ſepult.* Clemens III. *cap.* 4. *ext. de ſtat. monach.* Alexander III. *cap.* 5. *ext. de privileg.* Alexander IV. *cap.* 2. *de haeretic. in* 6.

Innocentius III. in Concilio Remenſi an. 1131. *can.* 12. Eugenius III. in Concilio Remenſi an. 1169. *can.* 12. Innocentius III. in Concilio Lateranenſi an. 1189. in *cap.* 1. *ext. de torneam.* aliique, propoſita poena privationis ſepulturae: *Quod ſi quis eorum ibi* (in torneamentis) *mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti poenitentia non negetur, eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.*

(a) Defuncti ſepultura ob aes alienum haud impedienda. Apud gentiles & chriſtianos obtinuit, a foeneratoribus teneri cadavera pro pignore pecuniae creditae, tumulumque negari, dum foenus expoſceretur, ita ut *nihil intereſſet inter funus & foenus, nihil inter mortem diſtaret & ſortem*, uti belle Ambroſius *de Iob c.* 10. Hanc improbitatem ſevere coërcuerunt Iuſtinus *L.* 6. *C. de ſepulcr. violat.* & Iuſtinianus *Nov.* 60. & *Nov.* 115. *cap.* 5.

Eiuſmodi exhumatio apud Graecos & Latinos bene vetus eſt. Primum exemplum effoſſionis cadaverum ſepultura eccleſiaſtica indignorum occurrit apud Optatum Milevitanum (97). Quum enim *Circumcelliones* quoſdam ex ſic creditis martyribus ſuis in eccleſiis ſepeliſſent, epiſcopus loci obſtitit, ſepultoſque refoſſos eiici iuſſit. Sub Theodoſio Iun. Atticus CPolitanus patriarcha, quum audiſſet Sabbatianos haereticos corpus Sabbatii ipſorum auctoris in inſula Rhodo ſepeliſſe, preceſque ſuper eius tumulum offerre, confeſtim miſit eo, qui corpus Sabbatii e ſepulcro eruerent, & incognito loco foderent, uti refert Socrates (98). In Actis Concilii CPolitani ſub Menna patriarcha legitur: *Effodiantur oſſa Manichaeorum: exhumentur oſſa Neſtorianorum: exhumentur oſſa Eutychianorum.* Vigilius papa prolata ſententia damnationis adverſus Ruſticum & Sebaſtianum, alioſque ſchiſmaticos, inter alia Ruſtico obiicit, quod is dixiſſet, *non ſolum nomen, & ſcripta Theodori Mopſueſteni damnari debere, ſed etiam territorium eius ipſum, ubi poſitus erat* (h. e. locum, in quo Theodorus ſepultus iam ante centum annos fuerat): *& ſi oſſa eius evulſa quiſquam de ſepultura reiiceret, & cum eorum territorio incenderet, gratanter ſe acceptuꝛum.* Nempe Theodorus a ſchiſmaticis illis impetebatur, quod memoria eius, utpote haeretici, damnari deberet, & (quae poena erat haereticorum) oſſa ipſius exhumari, atque comburi: qua tamen ignominia Vigilius eum adficiendum negabat, quod conſtaret, illum, etſi pluribus erroribus involutus fuiſſet, in catholica communione deceſſiſſe. Plura de

(97) *Lib. III. contr. Parmenian. cap.* 25.

(98) *Lib. VII. H. E.*

de extumulationis uſu apud gentes congeſſit Spondanus (99).

§. XII. Pro ſepultura in eccleſia praeſtanda pretium non debetur. Eiuſmodi abuſus poſt inveƈtum morem ſepeliendi in eccleſiis paſſim irrepſit. Quam laudabiliter egit Ephro ille gentilis, qui Abrahae pro Sara mortua, inque loco proprio humanda, ſepulturam gratis obtulit, & pretium ſepulcri invitus accepit! Qua de re Hieronymus (100): *Sciant*, inquit, *qui ſepulcra venditant, nec coguntur, ut accipiant pretium, ſed a nolentibus quoque extorquent, perire quid de merito eorum; quum etiam ille reprehendatur occulte, qui invitus acceperit*. Gregorius M. (101) propoſito illo Ephronis exemplo vendi vetat humandi corporis locum. Rurſus (102) reprehendit Ianuarium Calaritanum, quod a Nereida centum ſolidos pro filiae ſuae ſepultura petiit, ratus *grave nimis & procul eſſe a ſacerdotis officio pretium de terra conceſſa putredini quaerere, & de alieno velle facere luƈtu compendium.* Quumque auri ſacra fames mortalia ſacerdotum peƈtora cogeret fas omne abrumpere, ac de alieno luƈtu lucrum aucupari, id eccleſiaſticis ſanƈtionibus ubique renovatum eſt. Quidquam pro exſequiis & ſepulturae loco exigere, vetuerunt Concilium Tribuorienſe (103), Turonenſe ſub Alexandro III. (104), Lateranenſe ſub Innocentio III. (105), aliaque. Interdicunt quidem laudati canones aliquid pro ſepultura exigere; at iidem accipere permittunt ſpontaneas oblationes, ſive ab ipſis defunƈtis relictas, ſive ab

(99) *De coemeter. ſacr. lib. III. part. I.* (100) *De quaeſt. Hebr. in Geneſ. 3.* (101) *Lib. VIII. ep. 3.* (102) *Lib. IX. ep. 3.* (103) *Can. 16.* (104) *Cap. 8. ext. de ſimon.*

(105) *Cap. 42. eod.* Plura de hac re Thomaſſinus *part. III. lib. I. cap. 65. uſque ad 68.*

ab heredibus collatas, probantque pias conſuetudines, quibus pro tuendis ſartis tectis ſepulcrorum, aut ecceleſiarum ad quas defuncti humandi deferuntur, aut pro clericorum ſtipendio, aliquid exigitur.

C A P. XX.

De bonis eccleſiaſticis, eorumque origine.

§.I. BOnorum eccleſiaſticorum alia *ſpiritualia* ſunt, alia *temporalia*. De his nunc agendum. Sunt ea aut *mobilia*, aut *immobilia*, h. e. praedia urbana, & ruſtica. Prioribus duobus ſaeculis eccleſia tantum mobilia poſſedit, quae, furente perſequutorum rabie, facile adſportari, abſcondi, vel diſtribui poterant. Tum ſaltem a ſaeculo tertio complures eccleſiae poſſidere praedia, hortos, aedes coeperunt, uti conſtat ex conſtitutione Maximini Imp. (1), qua chriſtianis reſtitui iubet *domus aut loca ad ius fiſci devoluta*. Idem adparet ex edicto Conſtantini & Licinii, eodem an. 313. edito (2), quo vi perſecutionis ablata *omnia, quae ad eccleſias recte viſa ſunt pertinere, ſive domus poſſeſſio ſit, ſive agri, ſive horti, ſive quaecumque alia, reſtitui iubentur*. Deinceps vero praedia eccleſiis fuiſſe, notius eſt quam ut teſtato agi ſit opus.

§. II. Quum omnis ſocietas ferre onera, ſumtuſque facere teneatur, bonis & reditibus, ut ſubſiſtat, opus habet. Temporalibus quoque bonis indiget eccleſia, utpote credentium ſocietas, & latiſſime patens univerſitas, ad ſacros miniſtros alendos, & religionis exercitium. Ipſe huius ſocietatis condi-

(1) Euſeb. *lib. IX. hiſt. eccleſ. cap.* 10. (2) Euſeb. *lib.* 10. *cap.* 5. *&* *de vit. Conſtantin. lib. II. cap.* 37. *ſeq.*

ditor Chriſtus *habebat loculos a fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat* (3). Servatore in caelum ſublato, Apoſtoli, & cultores eius non mediocrem pecuniae vim poſſederunt, adeo ut nemo ex ingenti eorum numero reperiretur egens. Qui altari ſerviebat, de altari vivebat (4). Fiebant etiam collectae ex diverſis regionibus, quae mittebantur his, qui egerent (5). Quin Hieroſolymitani fideles conflatam ex divenditis praediis pecuniam Apoſtolis offerebant, qui eam per diaconos pro cuiuſque neceſſitate tribuebant (*6*). Mortuis Apoſtolis, aucto ubique credentium numero, ſuum eccleſiae aerarium habuerunt, quo clericis, egenis, & divino cultui conſulebatur.

§. III. Res eccleſiis quaeſitae ſunt fidelium oblationibus ſeu donationibus. Inde uſque ab Apoſtolorum temporibus oblationes fiebant, quibus clerici, & pauperes alebantur, & eccleſiae cultus ſuſtinebatur. In eccleſia Hieroſolymitana primi chriſtiani praediorum diſtracta pretia Apoſtolis offerre ſolebant (*a*). Prio-

(3) Auguſtin. in *can. habebat* 12. *q.* 1. (4) *I. ad Cor.* 9.
(5) Paul. *ad Galat. II. v.* 10. (6) *Act.* 14. *v.* 32.

(a) Lucas *Act. cap.*4. *v.*32. refert, primos chriſtianos Hieroſolymitas praedia ſua diſtraxiſſe, pretiumque Apoſtolis obtuliſſe, ut in eccleſiae utilitatem arbitratu ſuo impenderent: *Multitudinis*, inquit, *credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum, quae poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.* Haec de una eccleſia Hieroſolymitana, ut erat ante Stephani martyrium, Lucas prodit, de ceteris vero ſilet; quin is bonorum κοινωνίαν, quae inter primos chriſtianos Hieroſolymis degentes invaluerat, ſic deſcribit, ut Stephani nece ſublatam innuat. Eiuſmo-

Prioribus tribus ſaeculis oblationes in eccleſiis factas, teſtantur Iuſtinus M. (7), Tertullianus (8), Cyprianus (9), aliique. Porro tam uberes in primitiva eccleſia fuerunt oblationes, ut quaedam eccleſiae, quibus maiores erant opes, ex iiſdem portionem eccleſiis pauperioribus conferrent. Ipſi Apoſtoli colligi pecuniam, & Hieroſolymam, in qua eccleſia ſatis anguſtae res erant, mitti curarunt (10). Eccleſia Carthaginienſis ad redimendos captivos *ſeſtertium centum millia nummum* miſit, teſte Cypriano (11). Roma-

(7) *Apol.II.* (8) *Apologetic. cap.39.* (9) *Lib. de opere & eleemoſyn.* (10) Paullus *I. ad Cor.16. v.1.ſeq.* (11) *Ep.60.*

modi vero bonorum communio fuit potius liberalis rerum neceſſariarum communicatio, quam ut nemo quidquam proprii habuerit. Non enim cogebantur, ſed arbitrio voluntatis permiſſum erat, agrum & pretium agri divenditi retinere, aut in commune eccleſiae aerarium conferre: nec omnia primi chriſtiani Hieroſolymitae in commune ponebant, ſed partem retinuerunt bonorum, ut ſibi, ſuiſque conſulerent. Idem Lucas *Act. V. v.* 1. *ſeqq.* primos chriſtianos aliquid poſſediſſe ait iis verbis: *Et nemo quidquam eorum, quae poſſidebat, dicebat proprium eſſe*. Petrus *Act. V. v.* 1. *ſeqq.* oſtendit, cuique licuiſſe agrum, eiuſque divenditi pretium retinere. Is enim Ananiam non damnavit eo nomine, quod agri venditi pretium retinuiſſet, parte tantum ad Apoſtolos delata, ſed quod dolo & mendacio uſus eſſet: *Anania*, inquit, *cur implevit Satanas cor tuum, ut mentireris Spiritui Sancto, & fraudares de pretio agri? Nonne prorſus tibi manebat, & venundatus erat in tua poteſtate?* Conf. Salmaſium *de uſuris p.* 655., Moshemium *diſſ. de vera natura communionis bonorum inter primos chriſtianos*, Weidnerum *diſſ. de communione bonorum ad Act. IV.* 32., & Schelgvigium *diſſ. de communione bonorum, in primis aetate apoſtolica Hieroſolymis uſurpata*. Aliae quoque eccleſiae ad ſaeculum tertium bonorum communionem quodammodo obſervarunt, uti colligitur ex Barnaba *Epiſt. cap.*19. Luciano in *Peregrin. n.* 13. Iuſtino *Apol.* 1. *n.*67. Tertulliano *Apologet. cap.* 39. aliiſque.

manae vero eccleſiae *conſuetudo fuit iam inde ab ipſo religionis exordio, ut eccleſiis quamplurimis, quae in ſingulis urbibus conſtitutae ſunt, neceſſaria vitae ſubſidia tranſmitteret*, teſte Dionyſio Corinthio (12). Stephanum papam *neceſſaria ſuppeditaſſe Syriarum provinciis omnibus cum Arabia*, ſcribit Dionyſius Alexandrinus (13). Quin ſaeculo III. Romanam eccleſiam *viduas cum infirmis & egentibus plus quam mille & quingentas* aluiſſe, teſtatur Cornelius papa (14).

§.IV. Parta per Conſtantinum eccleſiae pace, bona eccleſiaſtica percrebuerunt, nec tantum oblationibus, ſed & teſtamento, ſucceſſione legitima, aliiſque titulis comparata ſunt. Primus omnium Conſtantinus (15) an. 321. cuique permiſit, *bonorum, quod optaverit, eccleſiis relinquere;* antea enim illae ex teſtamento capere non poterant. Hanc Conſtantini legem a ſequentibus imperatoribus non revocatam, ſed confirmatam fuiſſe, oſtendunt Gothofredus (16), & Binghamus (17). Idem Imperator martyrum & confeſſorum hereditates, propinquis deficientibus, eccleſiis detulit, teſte Euſebio (18). Praeterea certam pecuniae quantitatem de publico aerario quotannis pendi eccleſiis iuſſit, uti teſtantur Theodoretus (19), & Sozomenus (20). Hanc liberalitatem exercuerunt chriſtiani Caeſares ad Iulianum apoſtatam uſque, qui eam ſuſtulit; ſed reſtituit tamen Marcianus (21). Porro Imperatores, qui Conſtantinum exceperunt, reditibus eccleſiarum augendis plu-

(12) *Ep. ad Soterem Roman. pontific.* apud Euſeb. *Lib.IV. H. E. cap.23.* (13) *Ep. ad Stephan. P.* apud Euſeb. *lib.VII. cap. 5.* (14) Apud Euſeb. *lib. VI. cap. 45.* (15) *L. 4. C. Th. de epiſcop. & cleric.* (16) *Ad L. 20. C. Th. eod.*
(17) *Lib. V. Orig. eccleſ. cap. 4. §. 6.* (18) *Lib. II. de vit. Conſtant. cap. 36.* (19) *Lib. 1. H. E. cap. XI.*
(20) *Lib. V. cap. 5.* (21) *L. 12. C. de ſacroſ. eccleſ.*

plurimum contulerunt. Sane Theodoſius Iunior & Valentinianus III. (22) clericorum inteſtatorum hereditates, nullo cognato ſuperſtite, eccleſiis iure quodam legitimae ſucceſſionis addixerunt. Saepe etiam paganorum templa cum eorum reditibus eccleſiis addicta ſunt. Plures conſtitutiones, quibus eiuſmodi reditus eccleſiis adiudicavit, memorat Honorius Imp. (23). Interdum haereticorum conventicula, eorumque reditus eccleſiis catholicis adiudicati ſunt: quod idem Honorius (24) edixit. Tandem clericorum eccleſiam deſerentium bona eccleſiis data ſunt. Iuſtinianus (25) bona clericorum vel monachorum, qui eccleſia vel monaſterio relicto ad privatam vitam redierint, ipſi eccleſiae vel monaſterio, unde abierunt, addici iuſſit. Adhaec primitiis, decimis, & oblationibus ad altare, eccleſiaſtici proventus aucti ſunt. Magis vero poſterioribus temporibus increbuerunt ex certis fundationibus, legatis, & donationibus ad certas eccleſias pertinentibus, ex praecariis, redemtionibus peccatorum, aliiſque modis; quos Richard. Simon (26), Zieglerus (27), & Muratorius (28) enarrant.

C A P. XXI.

De decimis, primitiis, & oblationibus.

§. I. Inter eccleſiaſtica bona ſunt decimae, primitiae, & oblationes. Generatim decima eſt cu-

(22) *L. 20. C. de epiſcop.* (23) *L. 20. C. Th. de pagan.* (24) *L. 52. C. Th. de haeretic.* (25) *L. 53. C. de epiſcop. & Nov. V. cap. 5.* (26) Sub nomine *Hieronymi a Coſta* in Gallice edita *hiſtoria de origine & progreſſu redituum eccleſiaſticorum.* (27) *Diatriba de dote eccleſiae, eiuſque iurib. & privileg.* (28) *Diſſ. 67. & 68. Antiq. Italic.*

cuiuſque rei pars decima, qua deducta novem ſuperſunt. Apud eccleſiaſticos vero eſt pars decima omnium fructuum & proventuum rite quaeſitorum, quae quotannis alendis eccleſiae miniſtris ſolvitur. Ea quamvis pro diverſis eccleſiarum moribus alibi minor, alibi maior pars ſit, ubique *decima* audit, antiquo ſcilicet nomine, mutatis etiam rebus, retento.

§. II. Ethnici decimas Diis ſuis perſolverunt (*a*). Eaſdem etiam Hebraei divino praecepto dederunt (*b*). Eodem divino iure chriſtiani haud obſtringuntur (*c*); He-

(a) De decimis apud gentes ſolutis conſule Spencerum *de legib. Hebraeor. lib. III. cap.* 10.

(b) Ante legem ſcriptam Abraham decimas ex manubiis hoſtium a ſe devictorum Melchiſedecho ſacerdoti ſponte dedit. Geneſ. XIV. 20. Eaſdem vovit Iacobus. Geneſ. XXVII. 22. Poſtea de ſolvendis decimis lex per Moyſen lata eſt. Exod. XXII. Deut. XIV. 24. Conf. Hottingerum in *exercitationib. decem de decimis Iudaeor.* & Scaligerum *diſſ. de decimis* int. eius opuſcula. Cuiuſmodi fuerit Moſaica de praebendis decimis lex, diſputatur, *Moralem*, & perpetuae obligationis eam eſſe putarunt veteres patres, ut obſervat Binghamus *Orig. eccleſ. lib.V. cap.* 5. §. 1. Alii *caeremonialem* faciunt. Non pauci *civilem* eſſe pronuntiant, ut eo tributo Iudaei ius ſummi imperii, quod penes Deum erat, adgnoſcerent: quod tuentur prae ceteris Clericus *ad Seldeni hiſtor. decimar. ſect.*3. & Spencerus *de legib. Hebraeor. lib. III. cap. ult.* Mixtam denique, hoc eſt partim *civilem*, partim *caeremonialem*, fuiſſe ſtatuit Sam. Baſnagius *diſſ. de decimis* §. 6. Certe Moſaica illa lex *moralis* non fuit; ſi enim talis fuiſſet, & ante promulgatas Moyſis leges obligaſſet, & chriſtianos etiam obſtringeret: quum tamen ſecus ſe res habeat.

(c) Num divino, an eccleſiaſtico iure chriſtiani ad decimas urgeantur, mira doctorum virorum diſcrepantia. Veteres patres ad divinum ius eas retulerunt. Hos ſequuti ſunt poſteriorum temporum pontifices, theologi, & canoniſtae. Ab iſtorum ſententia diſceſſit S. Thomas 2. 2. *q.* 87. *art.* 1. docens, decimas ex eccleſiae inſtitutione deberi, eaſque divini iu-

Hebraicum enim de decimis praeceptum *civile*, aut *caeremoniale* fuit, adeoque Chriſti morte ſublatum. Nullum in novo Foedere praeceptum de ſolvendis clero decimis, nullum perſolutarum exemplum extat. Chriſtus (1) Apoſtolorum laboribus mercedis aliquid reddendum edixit: *Dignus eſt operarius mercede ſua*. Ea vero merces, quam miſſis in terrarum orbem Apoſtolis adſignavit, decimas non includebat, ipſis a Iudaeo, aut ethnico numquam ſolutas. Paullus (2) multis adſtruit, paſtoribus alimenta deberi; decimas vero non imperat. Nec eae in eccleſia prioribus quatuor ſaeculis praeſtitae ſunt. Ceterum, quum naturali divinoque iure eccleſiae miniſtris alimenta debeantur, decimae generali alimentorum nomine acceptae, & quatenus clericis alendis neceſſariae ſunt, ad divinum ius referri poſſunt: quo ſenſu Alexander III. (3) decimas *ab ipſo Domino* inſtitutas adfirmat.

§.III. Eccleſiaſticum itaque ius chriſtianis decimas impoſuit. Nempe ex patrum hortationibus decimarum libere ſolvendarum conſuetudo, ex conſuetudine lex eccleſiaſtica, orta eſt. Primum adulto ſaeculo IV. de-

(1) *Luc. X. 7.* (2) *I. ad Cor. 9. v. 7. ſeqq.*
(3) *Cap. 14. ext. de decim.*

iuris dici poſſe, quatenus alendis eccleſiae miniſtris neceſſariae ſunt. B. Thomae non pauci deinde adſtipulati ſunt. Acris de hac re controverſia ſuperioribus retrò temporibus in Anglia exarſit. Seldenus *in hiſtoria decimar.* negavit, decimas eccleſiaſticas divino iure deberi. Contra pro divino illarum iure adverſus Seldenum pugnarunt Angli fere omnes de decimis ſcriptores, praeſertim Rich. Montacutius in *Decateuticis, ſeu diatribis de decimis*, *Apparatu ad origin. eccleſ. p.* 254., & *tom. II. origin. p.* 210., & Rich. Tillesleus in *Animadverſionib. ad Seldeni hiſtoriam decimarum*, quibus praefixit catalogum 72. ſcriptorum anno 1215. antiquiorum, qui divinum ius decimarum agnoſcunt.

cimarum nomen & res in eccleſiam tranſiit. Patres, praeſertim Chryſoſtomus (4), Hieronymus (5), & Auguſtinus (6), chriſtianos ad ſolvendas decimas vehementer cohortati ſunt, propoſitis & exemplo Iudaeorum, qui Levitis decimas dederunt, & facto Phariſaei, vel olera ſua decimantis; e quibus decimas chriſtianis ſolvendas eſſe, ne iuſtitia a Phariſaeis ſuperarentur, confecerunt. Enixis illuſtrium patrum monitis perciti chriſtiani quamplures, decimam proventuum ſuorum partem clero ſuppeditare coeperunt. Ita decimae in eccleſia innotuerunt quarto deſinente ſaeculo; antehac enim illae a nemine ſolutae ſunt (*d*). Verum tum decimae ſponte, nulloque iure cogente dabantur, & quidem a paucis, ut ipſi teſtantur patres, qui ad ſolvendas decimas fideles excitabant. In Oriente aevo ſuo rarum & mirum fuiſſe decimas dare, teſtantur Chryſoſtomus (7). In Africa aetate ſua decimas a *pauciſſimis* datas, ab aliis vero vix *milleſimam*, prodit Auguſtinus (8)(*e*). Saeculo quinto

(4) *Hom.* 4. *in ep ad Epheſ.*, *hom.* 18. *in Act.*, *& alibi.*
(5) *In Malach.cap.*3. (6) *Serm.*3. *in Pſalm.*103., & *enarrat. in pſalm.* 146. (7) *Cit. loc.* (8) *Ibid.*

(d) Prioribus tribus ſaeculis ignota in eccleſia decimarum ſolutio fuit. Spontaneis fidelium oblationibus alimenta clericis quaeſita, teſtantur Iuſtinus *Apol.II.* & Tertullian. *Apologet. c.*39. Clero *ſportulas*, h.e. honoraria ſalaria, datas, prodit Cyprianus *ep.* 39. Eae ſportulae decimarum loco erant. Idem Cyprianus *ep.* 66. memorat clericos *in honore ſportulantium fratrum tamquam decimas ex fructibus accipientes*. De veris quidem decimis talem phraſim non adhibuiſſet *tamquam decimas.* Nam verae decimae non ſunt *tamquam decimae*. Innuit ergo Cyprianus, ſportulas decimarum umbras eſſe, quia loco decimarum dabantur, non decimas.

(e) Auguſtini non eſt ſermo *de reddendis decimis* int. opera Auguſtin.

to & ſexto, hortantibus patribus, conſuetudo decimas libere offerendi latius patuit. Sub finem ſaeculi V. Caeſarius Arelatenſis (9) decimas *ex debito requiri, quique eas dare noluerit, res alienas invadere*, ſcripſit. Tandem decimarum ſponte ſolvendarum conſuetudo paſſim in iuris neceſſitatem converſa eſt. Hanc decimarum neceſſitatem primum impoſuit Synodus Matiſcon. II. an. 585. (10), ex qua liquet, paucos tum in Gallia decimas praebuiſſe; utque eam neceſſitatem imperet Synodus, ad leges adpellat longis temporibus obſervatas, quas oblivioni datas renovat, etſi leges de ea re latas ubinam reperiantur, nec aperiat, nec dicere potuiſſet (f). Exemplo Matiſconenſis ſecuta concilia paſſim decimas imperarunt: quod edictis quoque ſuis Francorum reges (11) ſanxerunt (g). Tandem iure decretalium generatim chriſtianis decimae omnium fructuum & proventuum indictae ſunt, & anathemate detrectantes coërciti (12). Id ratum habuit Tridentina Synodus (13), qua excommunicantur, qui decimas *ſubtrahunt, aut impediunt, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſe-*

(9) *Hom.41. de decim. in bibliothec. vet. pat. tom.8. p.478. edit. Lugdun.* (10) *Can. 5.* (11) *Lib. II. capitul. cap. 48. & alibi.* (12) Alexander III. *cap. 5. ext. de decim.*
(13) *Seſſ. 29. de ref. cap. 12.*

(f) Labuntur Dupinius aliique, decimarum neceſſitatem saeculo ſeptimo iam adulto adſignantes,

(g) In monumentis ſub Carolo M. & poſteris crebra fit *nonarum & decimarum* mentio. Nona eſt pars fructuum nona, quae praeſtatur ab eo, qui agrum dominicatum & in beneficium datum colit. Decima vero pars fructuum decima. Nonae iure colonario, decimae iure eccleſiaſtico ſolvebantur. Conf. le Cointe *tom. X. p. 659. ſeq. & tom. VII. p.226.*, Cangium *Gloſſ. v.* nonae, Seldenum *hiſt. decimar. cap. 6. ſect. 7.*, & Petr. de Marca *hiſtor. Beneharn. lib. I. c. 28.*

cuta, *abſolvuntur* (*h*). Quin & cauſſas de decimis foro eccleſiaſtico detulerunt Synodus Londinenſis an. 1175. (14), aliaeque.

§. IV. Dividuntur decimae in *praediales*, *perſonales*, & *mixtas*. Praediales ſeu reales ſolvuntur ex fructibus & proventibus praediorum ſive ruſticorum, ſive urbanorum. Eiuſmodi tantum decimae apud Hebraeos, & chriſtianos ad ſaeculum XII. ſolutae ſunt. Harum aliae *maiores* ſunt, quae ex omni genere tritici, & vino, aliae *minores*, ſeu *minutae*, quae ex minoribus frugibus, ut leguminibus, oleribus, ſolvuntur: item aliae *veteres*; quae ex agris ſemper excultis dari conſueverunt, aliae *novales*, quae penduntur ex agro novali, hoc eſt *qui de novo ad culturam redactus eſt*, *de quo non extat memoria*, *quod aliquando cultus ſit*, uti definit Innocentius III. (15). Perſonales porro decimae debentur ex rebus propria induſtria & arte rite quaeſitis, veluti negotiatione, ſcientia, militia, aliiſque huiuſmodi, quae potius perſonam, quam rem ipſam ſpectant. Decimas haſce primus imperavit Caeleſtinus III. (16); cuius reſcripto Gregorianae decretalium collectioni inſerto, ubique receptum eſt, decimas etiam ex omnibus perſonalibus lucris deberi. Tandem *mixtae* decimae partim praediales, partim perſonales ſunt, ut quae ſolvuntur ex fructibus pecorum, veluti ex foetu, lacte, lana, & ſimilibus, ad quos quaerendos praediis & induſtria opus eſt; quamvis nonnullis ſpecies haec

(14) *Can.* 13. (15) *Cap.* 21. *ext. de V. S.* (16) *Cap.* 22. *ext. de decim.*

(h) Decretum hoc in Regno noſtro haud receptum; quod laici ad decimas urgeri per magiſtratus poſſint: nec cenſurae, niſi ob graviores cauſſas, intorquendae ſint.

haec ſuperflua videatur, praeſertim quod dari vix poſſint praediales, quarum perceptio etiam ex perſonae induſtria non proficiſcatur.

§. V. Iam vero chriſtiani omnes decimas perſolvere tenentur, ob curam ſcilicet animarum, quam iis eccleſia praeſtat; niſi peculiari titulo ab hoc tributo eximantur. Ita decimas praebuerunt Carolus M. (17), itemque Carolus II. Andegavenſis, aliique reges noſtri. Monachi, qui utpote laici a clericis olim paſcebantur, decimas & oblationes ad altare penderunt, teſte Antiocho (18), & Hieronymo (19). Poſtea hoc onere pontificum beneficio exemti ſunt monachi. Sed quo primum tempore, incertum eſt. Quin ipſi clerici, qui aliorum curae ſubſunt, ad decimas tenentur (20). Ceterum ab onere decimarum eximi quis poteſt aut ſummi pontificis privilegio, aut praeſcriptione quadraginta annorum, aut pacto: qua de re fuſe Eſpenius (21), Gonzalez (22), aliique.

§. VI. Iure communi decimae parochis debentur. Eae alendis eccleſiae miniſtris, qui chriſtiani populi ſaluti excubabant, primitus datae ſunt. Parochis decimas attribuunt Concilium Cabillonenſe II. an. 813. (23), Metenſe an. 888. (24), aliaque. Eaſdem *ad parochiales eccleſias de iure communi pertinere*, reſcripſit Innocentius III. (25). Hinc vulgo docent canoniſtae, decimas parochis adiudicandas eſſe, quamdiu evidenter non probetur, eas ad alium peculiari titulo ſpectare. Si praediales ſint decimae,

Dd 3 pa-

(17) *Capitul. an.* 789. (18) *Hom.* 120. (19) *Ep. I. ad Heliodor.* (20) *Cap.* 2. *ext. de decim.* (21) *Tract. de iure parochorum ad decimas.* (22) *Ad cap.* 19. *ext. de decim.*

(23) *Can.* 18. (24) *Can.* 2. (25) *Can.* 29. *& ſeq. ext. de decim.* Conf. Io. de Vita *de origine & iure decimar.*

paroeciae, in cuius territorio praedia exiſtunt; ſin perſonales, ubi ſacramenta percipiuntur, pendendae ſunt. Poſſunt vero ab aliis eccleſiis non paroecialibus, monaſteriis, aut etiam laicis decimae adquiri legitima conceſſione, aut poſſeſſione quadraginta annorum cum titulo, aut immemorabili etiam ſine titulo (26).

§. VII. Monachis etiam decimae duobus praecipue modis quaeſitae ſunt, nempe liberalitate epiſcoporum ac Romanorum pontificum, qui eccleſias & decimas ad monaſticam diſciplinam reſtituendam iis indulſerunt, & reſtitutione laicorum, qui in variis conciliis decimas a ſe uſurpatas reſtituere iuſſi, eas monaſteriis reddiderunt. Decimarum monaſteriis conceſſarum ſaeculo IX. exemplum affert Mabillonius (27). Porro cordatioribus monachis diſplicuerunt decimae monaſteriis datae, aequum non eſſe rati, de altari vivere, qui altari non ſervirent, quales erant monachi, contemplationi manuumque labori tunc addicti, ceu habes ex Roberto Moliſmenſi abbate (28), Hugone Pontiniacenſi (29), aliiſque. Sed eas tamen eleemoſynae titulo habere monachos poſſe, putarunt Ivo Carnotenſis (30), Petrus Cluniacenſis (31), aliique. Quod de monaſteriis, idem de collegiis canonicorum dicendum eſt, quibus ad communem clericorum vitam promovendam ſaeculo IX. & ſequentibus eccleſiae & decimae pontificum liberalitate, & laicorum dono addictae ſunt.

§. VIII. Decimas quoque poſſident laici, quae in-

(26) Vid. *cap.* 4. *&* 6. *de praeſcript. & cap.* 1. *eod. in* 6.
(27) *Lib. VI. de re diplomat.* (28) Apud Oldericum Vital. *lib.* 8. *hiſt. eccl.* (29) In epiſtola a Iureto edita poſt epiſtolas Ivonis Carnotenſ. (30) *Ep.*192. (31) *Lib.I. ep.*28. Conf. Lupum *ſchol. in Concil. Rem. V. ſub Gregorio VII. can.* 9.

infeudatae dicuntur, quod iis ob militiam aliudve opus datae ſunt, & *militares*, quod a *militibus*, ſeu laicis nobilibus poſſidentur. Ut rite de laicalibus decimis procedat oratio, principio diſtinguendum eſt inter ius percipiendi decimas, & ipſas decimas. Ius decimas percipiendi ſpirituale eſt, quippe a ſpirituali cura oritur; tantumque miniſtris eccleſiae competit, nec transferri in laicos poteſt: at decimae ipſae ſeu fructuum ſpecies natura ſua ſunt res corporales, adeoque concedi laicis poſſunt, uti ſcite B.Thomas (32). Iam decimae aliaque bona eccleſiaſtica laicis quaeſita ſunt regum dono, antiſtitum conceſſione, & laicorum ipſorum uſurpatione: qua de re conferantur Marca (33), Fileſacus (34), Cangius (35), & Muratorius (36). Non pauci ortum decimarum infeudatarum Carolo Martello adſcribunt, qui ob gravia bella, quibus Gallia undique premebatur, primus decimas & bona eccleſiaſtica militibus conceſſit. Quidquid ſit de harum decimarum origine, ſaeculo X. & ſequentibus epiſcopi decimas aliaque bona eccleſiaſtica a laicis repetere conati ſunt. Cum alia in hunc finem ab epiſcopis ſancita fuere, tum illud a Concilio Lateranenſi III. ſub Alexandro III. an. 1179. (37) cautum, *ne laici decimam cum animarum periculo detinentes, in alios laicos poſſint aliquo modo transferre: ſi quis vero receperit, & non reddiderit, chriſtiana ſepultura privetur.* Quod vero Synodus vetuit, decimas in *alios laicos* transferri, novaſque accipi, ſed veteres non reſcidit; hinc intulerunt in-

 ter-

(32) *II. 2. q.86. art. 3.* (33) *Not. in can. 7. Concil. Claromont.* (34) *De ſacrilegio laico.* (35) *Gloſſar. v.* altaria, & eccleſiae. (36) *Diſſ.72. antiq. Italic.* (37) *Cap. 19. extr. de decim.*

terpretes, illam laicis permiſiſſe decimas antea poſſeſſas retinere. At quum Concilium exprimat, laicos *cum periculo animarum decimas detinere*, ei adſcribenda non eſt legitima decimarum infeudatarum poſſeſſio, uti ſcite Thomaſſinus (38). Primus videtur Innocentius III. (39) decimas pridem infeudatas probaſſe, modo *conſueta ſervitia* eccleſiis praeſtentur. Quidquid ſit de hac re, communis nunc eſt canoniſtarum doctrina, fori uſu recepta, retineri a laicis poſſe decimas, quas ante Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. poſſederint, non item hoc Concilio poſteriores.

§. IX. Primitiae ſunt primae fructuum obventiones, quae Deo offeruntur. Ethnici naturae lumine ducti primitias Diis obtulerunt (*i*). Eaſdem & Hebraei divino praecepto dederunt (*k*). Nullo autem divino iure ad primitias chriſtiani obſtringuntur; quippe quod in evangelica lege deeſt. Ius veteris Foederis de hac re iudiciale fuit, quod Chriſti morte interiit. Profecto debentur primitiae ex conſtitutione eccleſiae, quae nata eſt ex conſuetudine, atque haec ex crebris patrum hortationibus. Nimirum pa-

(38) *Part. 3. lib. I. cap.* 11. *n.* 7. (39) *Cap.* 25. *eod.*

(i) Aegyptios, Graecos, Romanos, aliaſque gentes offerre primitias Diis conſueviſſe, probant Grotius *ad Exod.* 23. 19. Spencerus *de legib. Hebraeor. III.* 9. Meurſius *in Graecia feriata p.* 117. & Lindebrogius *ad Cenſorin. p.*6. *ſeq.* Vere Porphyrius περι ἀποχῆς ἐμψυχων ſcribit, frugum primitias ex omni antiquitate Deo fuiſſe oblatas. Praedae quoque primitias Diis oblatas oſtendit Euſtathius *ad Odiſſeam p.* 642.

(k) De primitiis apud Iudaeos in templo offerendis fuſe interpretes ad Exod. XXIII. 19. XXXIV. 19. 26. Levit. XIX. 23. XXIII. 10. Num.XV. 20. Adde Io. Rudolph. Grunerum *diatriba de primitiarum oblatione & conſecratione*.

patres cohortati ſunt fideles ad primitias offerendas exemplo propoſito veteris legis, ut Deus honoraretur, & altaris miniſtri alerentur. Quin tradiderunt, chriſtianos divino praecepto ad primitias teneri, ut inter alios Origenes (40), & Hieronymus (41). Inde paſſim invaluit, ut fideles, pro ſua quiſque religione, fructuum primitias Deo offerrent. In eccleſia ſaltem a ſaeculo ſecundo primitias offerendi mos obtinuit. Irenaeus (42) ſcribit, Chriſtum *ſuis diſcipulis conſilium dediſſe, primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint* (l). Origenes (43) teſtatur, fideles *primitias offerre* Chriſto. Iulianus apoſtata morem offerendi primitias a chriſtianis aevo ſuo ſancte ſervatum, transferre ad paganos conatus eſt; iniunxit enim Arſacio Galatiae pontifici, ut *gentiles edoceret, pagos gentilium ex fructibus Diis offerre primitias* (44). Herminium comitem, quod *fructuum ſuorum primitias & decimas* lubens ſolveret, commendat Iſidorus Peluſiota (45). Tantum primitiae de uvis & frumentis ad altare offerebantur, uti liquet ex Concilio Africano (46), & Gregorio Nazianzeno [47]: cetera vero ad epiſcopi domum mittebantur, ut habet canon Apoſtolicus IV. & V. Peculiari formula primitiae ad altare delatae conſecrabantur, ceu liquet

(40) *Hom.* 2. *in Num.* 18. (41) *In Malach. cap.* 3.
(42) *Lib. IV. adv. haereſ. cap.* 32. (43) *Lib.VIII. contr. Celſum.* (44) *Epiſt. ad Arſacium.* (45) *Lib. I. ep.* 317.
(46) *Can.* 4. (47) *Ep.* 80.

(l) Walchius *hiſt. eccleſ. N. T. p.*782. contendit, Irenaeum primitiarum nomine non niſi panem & vinum ſignificare. Nae is fallitur. Vid. etiam Bevereg. *ad can.* 4. *Apoſtolic.*, & *in codice canon. vindic. p.* 191. *ſeq.*

quet ex conſtitutionibus Apoſtolicis (48). Porro primitiae primario ad Creatorem adgnoſcendum ſpectabant, ſecundario ad clericos alendos. Hinc Synodus Gangrenſis ann. 324. (49) Euſtathianos arguit, quod ſibi vindicarent *primitias fructuum, quas veterum inſtitutio eccleſiis tribuit*. Poſt ſaeculum V. quum primitiae pro modo, quo pietas tepeſcebat, rareſcere coepiſſent, earum praeſtandarum neceſſitas paſſim eccleſiaſtica lege impoſita eſt. Primum ſaeculo VI. Hiſpalenſis quaedam Synodus (50) primitias imperavit: quod deinceps effecerunt Heraldus Turonenſis (51), Synodus Burdigalenſis an. 1255. (52), & Nemauſenſis an. 1284. (53) Tandem, poſtquam ſingulis miniſtris beneficia fuerunt attributa, eae paſſim defecerunt. Nunc primitiae iure exiguntur, ſi locorum conſuetudo id ferat, ex qua & earum quantitas, & quibus ex rebus praeſtentur, definiendum eſt.

§. X. Oblatio generatim ſignificat quidquid offertur eccleſiae, quocumque modo fiat, ac ſive in uſum ſacrificii, ſive in cleri ſuſtentationem, & eccleſiae uſum. Largitionem hanc veteres *oblationem*, quam *donationem* adpellare maluerunt, quod Deo omnium domino fit. Stricte vero deſignat dona & munera eccleſiae facta. Huiuſmodi oblationum ſpecies duae; aliae extra altare pro miniſterio, aliae ad altare pro ſacrificio fiebant. Quod ad primas, inde ab apoſtolicis temporibus fideles, qui ad eccleſiam accedebant, pecuniam, aliaque dona offerebant in clericorum, pauperum, & eccleſiae uſum: qua in re Hieroſolymitani fideles ceteris praeluxerunt (*m*). Erant eiuſmo-

(48) *Lib. VIII. cap.* 40. (49) *Can.* 7. & 8. (50) Apud Ivonem *Decret. part. III. cap.* 174. (51) *In ſuis Capitulis*. (52) *Can.* 20. (53) *In cap. de decimis*.

(*m*) Vide dicta ſupra cap. 20. p. 412.

modi oblationes aut *diurnae*, quae ſingulis diebus, vel hebdomadis, aut *menſurae*, quae ſingulis menſibus fiebant. Audiatur Iuſtinus M. (54): *Qui autem per facultates poſſunt, & volunt, arbitrio quiſque ſuo, quod lubet, conferunt, & quae collecta fuerunt, apud praepoſitum deponunt*. Pari modo Tertullianus (55): *Etiam ſi quod arcae genus eſt, non de honoraria ſumma, quaſi redemtae religionis congregatur. Modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cum velit, & ſi modo poſſit, apponit. Nam nemo compellitur, ſed ſponte confert*. Hae autem oblationes vel ad domum epiſcopi, vel in gazophylacium deferebantur. Inde a ſaeculo ſecundo in eccleſiis erat *arcae genus*, in quam fideles pecuniam inferebant, cuius meminit Tertullianus (56). Arcam hanc *corbonam* adpellat Cyprianus (57). Saeculo IV. ſuſcipiendis eiuſmodi oblationibus inſtitutum fuit gazophylacium, cuius Concilium Carthaginienſe IV. (58), Auguſtinus (59), & Paullinus (60) meminerunt. A vero propius abeſt, gazophylacium hoc fuiſſe peculiarem in exedris locum ſervandis eccleſiae opibus deputatum. Tam uberes fuerunt chriſtianorum oblationes, ut eis eccleſiae vel ſub perſecutionum procellis divites evaſerint (*n*). Nec pacatis chriſtianorum rebus minor fuit

(54) *Apol.* 2. (55) *Apologet. cap.* 39. (56) *Cit. loc.*
(57) *De oper. & eleemoſ. pag.* 303 (58) *Can.* 93. & 94.
(59) *Serm.* 356. *n.* 13. (60) *Ep.* 34.

(n) Fidelium oblationibus eccleſiae ſaltem a ſaeculo tertio locupletatae ſunt: proinde commenticia eſt, quae iactari ſolet, primitivarum eccleſiarum paupertas. Tempore Cypriani Carthaginienſis eccleſia ad redimendos Numidiae captivos miſit *ſextertia centum millia nummorum*, ex fidelium oblationibus collecta. Cyprian. *ep.* 60. *ad epiſcop. Numidiae*. Romana eccleſia aevo Cornelii papae viduas, alioſque miſeros plus *mille*

fuit oblationum copia, qua pellecti chriſtiani nonnunquam eccleſias extruebant ea lege, ut pars aliqua oblationum ſibi cederet: quod concilium Bracarenſe II. (61) inhibuit.

§. XI. Nunc de oblationibus euchariſticis ſeu ad al-

(61) *Can.* 10. *D.* 1. *de conſecr.*

le & quingentos abunde ſuſtentabat, ut idem prodit *ep. ad Fabium Antiochen.* apud Euſeb. H. E. VI. 43. Nec vero pauperes erant eccleſiae, quae vel tyrannis ſaevientibus praedia, hortos, aedes poſſidebant, uti conſtat ex Conſtantini reſcripto apud Euſebium *H. E. X.* 5. Parta ſaeculo IV. pace, eccleſiae Romanae, aliarumque opes oblationibus quoque increbuerunt. Tempore Damaſi amplas fuiſſe in Romana eccleſia oblationes, prodit Ammianus Marcellinus *lib. XXVII.* Divitiis eiuſdem eccleſiae inhians Praetextatus Praefectus Urbi Damaſo papae eum ad chriſtianiſmum amplectendum hortanti per iocum reſpondit: *Facite me Romanae urbis epiſcopum, & ero protinus chriſtianus.* Hieronymus *ep.* 61. Sane Romana eccleſia maiores prae ceteris opes habebat, a chriſtianis principibus, initio a Conſtantino facto, & fidelibus relictas: nam & pretioſis omnis generis argenteis, aureiſque donariis, & opimis agrorum fundorumque poſſeſſionibus erat inſtructa, quae per omnes ferme Europae, Africaeque provincias diſperſae, *patrimonia Romanae eccleſiae*, vel *SS. Apoſtolorum Petri & Pauli* dicebantur: inter quae memoranda patrimonia *Calabriae*, *Siciliae*, & *Campaniae*. Fuſe de Romanae eccleſiae patrimoniis, eorumque rectoribus ediſſerunt Muratorius *diſſ.*60. *Antiq. Italic.*, Berettus *in tabula geographica Italiae medii aevi*, Aſſemanus *de reb. Neap. & Sicul. cap. V. p.* 310. *ſeqq. tom.III.* & Io. de Ioanne *in diſſert. ſelect. ad Cod. diplom. Siciliae diſſ.V.* Locuples evaſerat Hieroſolymitana eccleſia chriſtianorum ex toto orbe illuc confluentium oblationibus, teſte Hieronymo *ep.* 38. *ad Pammach.* Quam dives fuerit eccleſia Edeſſena colligitur ex Iuliano Imp. *ep. ad Ecebolum* apud Baronium *ad an.* 163. Antiochena eccleſia *tria millia* viduarum virginumque quotidie ſuſtentabat, & praeterea multis carcere detentis, infirmis, & advenis opitulabatur. Chryſoſtom. *hom.*67. *in Matth. cap.* 21.

altare, quae in uſum ſacrificii fiebant. Ab eccleſiae primordiis fideles vix die dominico, aliove accedere ad altare conſueverunt ſine oblatione. Haec in pane ac vino, quae ſacrificio uſui erant, conſiſtebat. Aliud enim ad altare offerri vetuit canon Apoſtolicus III. Tum prohibitionem temperans canon Apoſtolicus IV. offerri quoque ſivit *ſpicas & uvas*, *oleum ad luminaria*, *& incenſum*, adolendi gratia tempore ſacrae oblationis: reliquos vero fructus mitti ad epiſcopum iuſſit clero erogandos. Deinde Concilium Carthaginienſe III. an. 397. (62) offerri etiam permiſit lac & mel in ſollemni baptiſmi die, nempe ſabbato magno, quo neophyti, quaſi modo geniti infantes, veſci ſolebant. Olim fideles ipſos panem & vinum ad altare detuliſſe, liquet ex Chryſoſtomo (63). Idem de Imperatoribus compertum eſt. S. Baſilius Valentem dona altari oblaturum *intra ſacra aulaea venire iuſſit*, teſte Theodoreto (64). Theodoſius M. *ſtatim ac dona ſacrae menſae obtulerat*, *exivit*, ut idem refert Theodoretus (65). Poſtea per presbyteros, diaconos, aut hypodiaconos eiuſmodi oblationes ſuſceptae ſunt, & altari ſuperimpoſitae. Populus panem in candidis *fanonibus* ſeu linis, & vinum in *amulis*; principes vero in vaſis pretioſis, offerebant (o). Altari autem impoſitae obla-

(62) *Can.* 14. (63) *Hom. 6. contr. Iudaeos*. (64) *Lib. IV. cap.* 17. (65) *Lib. V. cap.* 17.

(o) Morem hunc adſtruunt veteres ſculpturae, ac picturae. Iuſtinianus Imp. manu vas aureum deferens, & eccleſiam, comitante Maximiano antiſtite, ingrediens exhibetur in fornice eccleſiae S. Vitalis Ravennatenſis apud Ciampinum *vet. monum. tom. II. tab.* 22. Theodora Aug. aureum vas geſtans, & matronis comitantibus eccleſiam intrans viſitur in deſcriptione templi S. Sophiae CPolitani apud Cangium. Haec vaſa non fuiſ-

lationes benedicebantur : unde εὐλογιαι *benedictiones* dicuntur Pſeudo-Clementi (*66*), & Concilio Laodiceno (*67*). Ex oblatis pane ac vino corpus & ſanguis Chriſti conficiebatur, & inter fideles diſtribuebatur : reliquum clericis & pauperibus alendis cedebat. Circa ſaeculum V., tepeſcente fidelium pietate, oblationes, praecipue panis & vini, rareſcere coeperunt. Hinc Concilium Matiſconenſe II. an. 585. (*68*) cavit, ut quolibet die dominico *altari oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis, quam vini*. Concilium Romanum V. ſub Gregorio VII. an. 1078. (*69*) chriſtianos hortatur, ut *ad miſſarum ſollemnia aliquid Deo offerrent*. Poſterioribus temporibus paſſim deſuevit oblatio panis & vini, eique ſucceſſit eleemoſyna pecuniaria presbytero facta, ut pro ipſo ſtipis largitore ſacrificium offerret, quae *honorarium miſſae* dicitur : qua de re conſule Lupum (70), Mabillonium (71), & Berlendium (72).

§. XII. Haec utriſque oblationibus, & extra, & ad altare, communia ſunt. Nemo cogebatur offerre : in fidelium arbitrio & religione poſita res erat. Spontaneas fuiſſe oblationes extra altare, diſerte ſcribunt Iuſtinus (73), & Tertullianus (74). Liberae quoque fuerunt oblationes ad altare : turpe tamen erat

(66) *Lib. VIII. Conſt. Apoſt. cap.* 38. (67) *Can.* 32.
(68) *Can.* 4. (69) *Can. ult.* (70) *Diſſ. de ſimonia cap.* 9.
(71) *Praef.* 1. *in ſec.* 111. *Benedict.* (72) *Diſſ. hiſtorico-theologica de oblationib. ad altare part. II.* §. 1. *ſeqq.*
(73) *Cit. Apol. II.* (74) *Cit. loc.*

fuiſſe vacua, ſed panem & vinum in uſum ſacrificii de more offerendum continuiſſe, putat Fontaninus *in diſco votiv. vet. chriſtian. cap.* 21.

erat, eum non offerre qui poſſet, & euchariſtiam, quam olim omnes ſacrificio praeſentes ſumere debebant, ex alieno pane ac vino conſecratam accipere. Hinc Cyprianus (75) divitem feminam increpat, quod in *dominicum* (h. e. eccleſiam) *ſine ſacrificio* (puta oblatione) *veniebat, & partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumebat*. Pſeudo-Auguſtinus (76) etiam inquit: *Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicaverit*. Omnes itaque cuiuſcumque conditionis altari offerebant, ne monachis & monialibus quidem exceptis. De monachis appoſite Hieronymus (77): *Securis ponitur ad radicem, ſi munus ad altare non defero*. Auguſtinus (78) conqueritur, ob incurſiones barbarorum moniales *vel ferre oblationem ad altare Dei non poſſe*. Obtuliſſe item virgines eccleſiaſticas, extra monaſteria degentes, habes ex Concilio Triburienſi (79). Idem mulieres efficiebant. Monicam matrem ſuam *nullo die praetermiſiſſe oblationem ad altare*, teſtatur Auguſtinus (80). Principibus viris ſollemne fuit, nunquam ſanctuarium ingredi, & ſacrae menſae advolvi ſine oblatione. Ita Valens in eccleſia Caeſarienſi *conſueta dona altari* obtulit coram Baſilio, uti refert Theodoretus (81). Idem Imperator *dona* (nempe panem, ut interpretatur Mabillonius (82)) *quae ipſemet effecerat, divinae menſae obtulit*, teſte Nazianzeno (83). Theodoſius M. oblatis altari donis intra cancellos templi Mediolanenſis conſtitit, *την των θειων μυστηριων μεταληψιν divinorum myſteriorum participationem*

op-

(75) *Loco ſupra laud.* (76) *Serm.* 1. *de diverſ.* (77) *Ep* 1. *ad Heliodor.* (78) *Ep.* 3. *al.* 122. (79) *Can.* 25. (80) *Lib. VI. Confeſſ. cap.* 11. (81) *Lib. IV. cap.* 17. (82) *Comment. in Ordin. Roman. p.* 45. (83) *Orat.* 20. *de laudib. Baſil.*

opperiens, teſte Theodoreto (84). Conſtantinum Lecapenum, quod numquam in conſpectum Dei venerat κενος και ἀκαρπος *vacuus & ſine munere*, collaudat Cedrenus (85).

§.XIII. Quamquam autem omnes offerrent, non omnium tamen oblationes, ſed dumtaxat communicantium, admittebat eccleſia. Quum enim duae eſſent oblationes, altera in uſum ſacrificii, altera vero cleri; duae quoque erant communiones, una in ſacrificio, altera in orationibus: & interdum fideles unius, non item alterius participes erant. Conſiſtentes, in quarto poenitentiae gradu conſtituti, offerre poterant oblationes pro clero, adeoque ſacrificio intereſſe, inque precibus communicare; non item oblationes pro ſacrificio facere: *Duobus annis abſque oblatione erunt orationum cum populo participes*, de conſiſtentibus cavit Concilium Nicaenum I. (86), & Ancyranum (87). Hinc in vetuſtis monumentis formula, *eius oblatio non recipiatur*, ſignificat, poſſe aliquem ſacrificio adeſſe, illius autem fieri participem non poſſe; reiiciebantur enim eius oblationes ad altare, qui euchariſtia interdicebatur, quum poteſtas offerendi poteſtati communicandi tum adiuncta eſſet. Quare Concilium Illiberitanum (88) vetuit, *epiſcopum munera ab eo ſuſcipere, qui non communicat*. Ubi vero canones de ſuſcipiendis aut reiiciendis oblationibus editi ſunt, honorificum eſſe coepit admitti ad oblationes; cuius enim oblationes ad altare recipiebantur, is ad euchariſtiam admittebatur. Hinc Gregorius M. (89) Ioanni Syracuſano epiſcopo iniunxit, ut *oblationes*, quas reiecerat Venan-

(84) *Lib. V. cap.* 17. (85) *In eius vit.* (86) *Can.* 40. (87) *Can.* 5. (88) *Can.* 28. (89) *Lib. V. ep.* 42. *&* 43.

nantii Patricii Siciliae, *ſuſcipiat*, & *celebrando apud eum miſſas*, *priorem gratiam reformet*. Contra probroſum damnoſumque habebatur, aliquem ad oblationem non admitti, quum hoc ipſo participatione ſacrificii privaretur.

§. XIV. Indignorum itaque oblationes explodebantur. Huiuſmodi erant excommunicati, haeretici, pauperum oppreſſores, diſſidentes, poenitentes, energumeni, catechumeni, & generatim peccatores omnes, ut Pſeudo-Clemens (90), Chryſoſtomus (91), Concilium Illiberitanum (92), Carthaginienſe IV. (93) aliaque abunde produnt. Ipſorum Imperatorum, ſi quod ſcelus admiſiſſent, oblationes reſpuebantur. Ambroſius oblata a Theodoſio poſt cladem Theſſalonicenſem reiecit, teſte Paullino (94). Rurſus (95) Valentiniano Aug. ſignificat, *aram Chriſti dona eius reſpuere, qui aram ſimulacris fecerat*. Damnatorum poſt mortem poena fuit, quod pro iis nec oraretur, nec fieret oblatio. Hinc ne pro Victore, qui Geminium Fauſtinum presbyterum teſtamento tutorem dederat, *offerretur*, *nec ſacrificium pro dormitione eius celebraretur*, praecepit Cyprianus (96). Praeſertim vero haereticorum oblationes reiiciebantur. Dona a Conſtantio Ariano ad templum Petri miſſa, *ut victimam illicitam*, proiecit Liberius papa, teſte Athanaſio (97). Accepit quidem Baſilius Valentis item Ariani dona Caeſarienſi eccleſiae oblata; at prudenti oeconomia uſus eſt, ne Imperatoris in catholicos odium acerbius exacueret. Quin ab admittendis hae-

(90) *Lib. III. conſt. apoſt. cap.* 8. & *lib. IV. cap.* 6.
(91) *Hom.* 86. *in Matth.* (92) *Can.* 28. & 29.
(93) *Can.* 59. (94) *In vit. Ambroſ.* (95) *Ep.* 30. *ad Valentinian.* (96) *Ep.* 66. *ad cler. & popul. Furnitan.*
(97) *Ep. ad Solitar.*

reticorum oblationibus adeo abhorruit eccleſia, ut lapſis in haereſim oblationes ante haereſim factas reſtituerit. Sic reddita Marcioni fuiſſe *ducenta ſextertia*, *quae eccleſiae intulerat*, ſcribit Tertullianus (98). Inde a ſaeculo tertio cuiuſque offerentis nomen publice inter miſſarum ſollemnia per diaconum recitari e diptychis conſuevit, ut ex Cypriano (99), Hieronymo (100), Auguſtino (101), Innocentio I. (102), aliiſque conſtat (*p*). Ceterum iure communi oblationes paroecianorum debentur parocho, qui eccleſiae perſonam exhibet (103). Hinc paroeciali eccleſiae cedunt oblationes, quae capellae in eius finibus ex-

(98) *De praeſcript. cap.* 30. (99) *Ep.* 10. *&* 60. *ad epiſcop. Numid.* (100) *In Ezech. cap.*18. (101) *Lib.III. contr. epiſt. Parmen.* (102) *Ep. ad Decent. cap.* 2. (103) Innocent. III. *cap.* 9. *ext. de his, quae fiunt a praelato &c.*

(p) Διπτυχα erant tabulae duarum plicarum. Ea aut *profana*, aut *ſacra* erant. Profana ſeu *conſularia* ſpeciem tabulae eburneae duplicis referebant, ita vel fibulis vel uncis a ſuperiori aut inferiori parte aptae & nexae, ut aperiri & claudi facile poſſent, eaque anaglyphicis & variarum rerum iconibus ornata, cum Orientis, tum Occidentis conſules ſub auſpicia muneris ſui familiaribus aliarumque regionum longiſſime disiunctarum proceribus dono mittere ſolebant. Sacra ſeu *eccleſiaſtica* erant tabulae, ex quibus nomina quorumdam viventium aut defunctorum inter miſſarum ſollemnia diaconus de pulpito recitabat. Horum ſpecies tres. I. Epiſcoporum pietate praeſtantium, qui eccleſiam illam rexerant: ac delere e diptychis, erat e memoria hominum aboleri; quod non niſi impiis & haereticis contingebat. II. Virorum, qui eo tempore vivebant, dignitate aliqua fulgentium, vel collatis beneficiis in eccleſiam conſpicuorum. III. Eorum, qui in fide obdormierunt. Conf. Donatum *de diptychis profanis & ſacris*, Saligium *de diptychis veterum tam ſacris, quam profanis*, Gorium in *theſauro diptychor. profanor. & eccleſiaſtic.*, Saxium *ad diptychon. magni conſulis*, alioſque permultos, quos laudat Fabricius *bibliograph. antiquar. cap.* 21.

exſtructae obveniunt (104); niſi ex fundatione vel conſuetudine epiſcopo, patrono, aliiſve deberi probetur.

C A P. XXII.

De rerum eccleſiaſticarum adminiſtratione, & partitione.

§.I. Inde a primis eccleſiae temporibus uſus obtinuit, ut epiſcopus rerum eccleſiae adminiſtrator eſſet. Quo tempore clerici & egentes fidelium oblationibus vivebant, eae arbitrio epiſcoporum erogatae ſunt. Ipſi Apoſtoli primum collectas per ſe diſtribuerunt; tum, ne a verbi Dei praedicatione avocarentur, id negotii diaconis demandarunt (1). Fidelium oblationes παρα τω προεςωτι *apud antiſtitem* depoſitas, ab eoque pauperibus, maxime clericis, tributas, teſtatur Iuſtinus M. (2), Idem memoriae prodit Tertullianus (3). Alimenta clericis & egenis *epiſcopo diſpenſante* data fuiſſe, teſtatur Cyprianus (4). Bonorum eccleſiae poteſtatem ac diſpenſationem epiſcopo attribuunt Synodus Gangrenſis (5), Antiochena (6), Auctor conſtitutionum apoſtolicarum (7), aliique. Canon apoſtolicus XLI. epiſcopum habere ſtatuit poteſtatem rerum eccleſiae, addita ratione: Εἰ γαρ τας τιμιας των ἀνθρωπων ψυχας αυτω πιστευτεον, πολλω ἀν δεοι περι των χρηματων ἐντελλεσθαι, *ſi enim animae hominum pretioſae illi ſunt creditae, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere*. Quare Zeno diſtractis praediis pe-

(104) Alexand.III. *cap.3. ext. de eccleſ. aedific.* (1) *Act.VI.* (2) *Apol. 2.* (3) *De praeſcript. cap. 39.* (4) *Ep. 2. ad cler.* (5) *Can. 7. & 8.* (6) *Can. 24. & 25.* (7) *Lib. II. cap. 39.*

cuniae diſpenſationem reliquit Alexandro Antiocheno epiſcopo *ὡς Θείῳ ταμίᾳ, ut divino quaeſtori*, teſte Theodoreto (8).

§. II. Olim univerſae dioeceſis reditus in epiſcopi poteſtate fuerunt, a quo pro ſingularum eccleſiarum neceſſitate diſtribuebantur. Nimirum eccleſiae omnes dioeceſis ita inter ſe colligatae erant, ut unam ſub epiſcopo ſocietatem conſtituerent. Hinc in commune eccleſiae matricis ſeu cathedralis aerarium inferebantur reditus eccleſiarum omnium totius dioeceſis, ex quo ſinguli earum miniſtri alimenta accipiebant. Diſtincta tunc non fuere bona eccleſiae cathedralis a bonis eccleſiarum dioeceſanarum ſeu parochialium. Sane eccleſiae civitatis, ubi erat epiſcopalis cathedra, proprium presbyterum non habebant, ſed pro neceſſitate epiſcopus illarum curam committebat clericis ipſi cathedrali eccleſiae addictis: proinde reditus horum inferiorum titulorum in eccleſiam cathedralem confluebant, & ab epiſcopo diſtribuebantur (*a*). Quod vero ad eccleſias per dioeceſim erectas, etſi eis proprii presbyteri a primis temporibus praefecti ſint, reditus tamen ſeparatos non habuere, ſed omnes in eccleſiae cathedralis aerarium influebant, e quo epiſcopus ſingulis illarum miniſtris alimenta praebebat. In eccleſia CPolitana ad medium ſaeculum quintum omnes inferiorum eccleſiarum reditus in unam eccleſiam cathedralem confluxerunt. Hinc Gennadius patriarcha CPolitanus an. 460. Marcianum primum eius eccleſiae oeconomum con-

(8) *In Philotheo cap.* 12.

(a) Conf. Valeſ. *not. in Sozomen.* & Bingham. *lib. IX. orig. eccleſ. cap.* 8. §. 6.

conſtituit, ut cuiuſque eccleſiae oblationes clerici eiuſdem eccleſiae acciperent, quum *ad id tempus magna eccleſia ea univerſa accipere conſuevisset*, ἑως τυτυ της μεγαλης ἐκκλησιας παντα κομιζομενης, uti refert Theodorus Lector (9). In Latinis eccleſiis adhuc initio ſaeculi ſexti praedia paroeciis oblata, & tertia oblationum ad altare pars ſpectabat ad cathedralem eccleſiam, uti Concilium Aurelianenſe I. an. 511. (10) decrevit.

§. III. Initio ſolus epiſcopus plenam liberamque habebat rerum eccleſiaſticarum adminiſtrationem, nec niſi Deo rationes reddere tenebatur; abſurdum namque viſum eſt, rationem rei pecuniariae ab eo exigere, cui credita eſt cura animarum, quae multo pretioſiores ſunt. Hac ratione laudatus canon apoſtolicus XLI. epiſcopum adminiſtrare iubet res eccleſiae ὡς Θεϐ ἐφορωντος, *quaſi Deo intuente*. Ob eamdem epiſcopum a reddendis rationibus immunem pronuntiat Auctor conſtitutionum apoſtolicarum (11): Ἐχει γαρ λογιςην κυριον τον Θεον, *habet enim ratiocinatorem Deum*. Ita vero epiſcopus rerum eccleſiae poteſtatem habebat, ut eas in uſus congruos ſui, clericorum, & pauperum diſtribueret. Si enim illis abuteretur in rem ſuam, vel cognatorum, reddere provinciae Synodo rationes cogebatur, uti cavit Synodus Antiochena (12). Hinc Ibas Edeſſenus antiſtes, aliique in Synodis accuſati ſunt, quod bona eccleſiae diſſipaſſent. Ceterum epiſcopus in diſtribuendis eccleſiae reditibus opera diaconorum & presbyterorum utebatur (*b*).

(9) *Lib. I. p. 553. edit. Valeſ.* (10) *Can. 5.* (11) *Loc. cit.* (12) *Can. 25.*

(b) Olim epiſcopi per diaconos & presbyteros res eccleſiaſti-

§. IV. Nunc de redituum eccleſiaſticorum partitio-

ſticas clericis & pauperibus erogarunt. Ipſi Apoſtoli diaconorum opera in hac re uſi ſunt. Act.6. Epiſcopos per diaconos & presbyteros egentibus ſubminiſtraſſe, liquet ex Cypriano *lib.V. ep.2. ad cler.* & canone apoſtolico XLI. Penes diaconum erat cuſtodia & diſpenſatio ſacri aerarii, & apud eum viduarum & pupillorum pecunia ſecuritatis gratia deponebatur. Hinc Nicoſtratum Romanae eccleſiae diaconum de ſubreptis eccleſiae nummis, & viduarum, pupillorumqne depoſitis, ac fuga in Africam perſtringit Cyprianus *ep.* 49. Laurentium Sixti papae diaconum de fide in ſervandis tribuendiſque eccleſiae opibus collaudant Leo M. *ſerm. in nat. S. Laurent.* & Prudentius *hymn.* II. *περι ϛεφων*. Id negotii ei, qui e diaconorum numero magis induſtrius eſſet, demandabatur, & *archidiaconus* vocabatur. Sed ingraveſcente epiſcopatus onere, auctiſque eccleſiarum ſubſtantiis, ne epiſcopi a rerum ſpiritualium cura temporalium ſtudio avocarentur, neve omnia eſſent in poteſtate epiſcopi ſine arbitrio, omniſque abeſſet inſidae diſpenſationis ſuſpicio, conſtituti ſunt *οικονομοι* ſeu *diſpenſatores*, qui res eccleſiaſticas adminiſtrarent, ac inter clericos & pauperes epiſcopi ſententia diſtribuerent, ſive *vice epiſcoporum res eccleſiaſticas tractarent*, ut eos definit Synodus Toletana IV. *can.* 48. In pluribus Orientis eccleſiis iam ſaeculo IV. oeconomi conſtituti fuerant. In Concilii enim Chalcedonenſis *act.* 10. Ibas epiſcopus Edeſſenus ſpopondiſſe memoratur, ſe deinceps gubernaturum res & reditus eccleſiae ſuae ſecundum Antiochenae eccleſiae morem per oeconomos a ſe de clero ordinatos. In eiuſdem Synodi *act.*14. Athanaſius Perrhenorum epiſcopus queſtus eſt, ſe a clericis quibuſdam epiſcopatu eiectum, & oeconomos eccleſiae ab iiſdem propria auctoritate conſtitutos fuiſſe, pulſis prioribus. Poſtea Concilium Chalcedonenſe *can.*26. iuſſit, *omnem eccleſiam, epiſcopum habentem, habere etiam oeconomum de clero proprio, qui diſpenſet res eccleſiaſticas de ſententia ſui epiſcopi κατα γνωμην τε ἰδιε ἐπισκοπε*. Deligebatur itaque ab epiſcopo oeconomus ex proprio cuiuſque eccleſiae clero, & plerumque ex ordine presbyterorum: unde in Concilio Chalced. act. 1. *Fronto presbyter & oeconomus;* in epiſtolis epiſcoporum Aegypti ad Leonem Aug. *Ammonius presbyter Alexandrinus & oeconomus*, memorantur. Quamvis autem oeconomus ſub epiſcopi directione res eccleſiae tractaret, eique rationes ſtato tempore reddere teneretur; poterat tamen epi-

tione. Olim eos epiſcopus inter clericos erogabat pro cuiuſque neceſſitate ac meritis, eique integrum erat partem augere, aut imminuere, & iuſta de cauſſa quod presbytero, idem lectori dare. Hinc Cyprianus (13) iubet, ut Celerinus & Aurelius lectores *ſportulis iiſdem cum presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas aequatis quantitatibus partiantur.* Duplex autem erat diſtributio, nempe *quotidiana*, & *menſurna*. Illa pro quotidiana clericorum ſuſtentatione continebat certam quantitatem panis, vini, & reliqui alimenti, a fidelibus quotidie oblati. Haec vero aliquid pecuniae a fidelibus oblatae, inque gazophylacio adſervatae. Hinc clerici poenae nomine a *diviſione menſurna* abſtinere ſolebant, ut habes ex Cypriano (14). Huiuſmodi partes ad clericorum ſuſtentationem comparatae *ſportulae* dicebantur, quod in ſportulis dari conſueverint: unde clerici tali honore dignati *ſportulantes fratres* dicti ſunt eidem Cypriano (15). Non clerici modo, verum etiam eccleſia, & maxime pauperes in proventuum eccleſiaſticorum partem epiſcopi arbitrio veniebant; quin clerici, tamquam pauperes, eccleſiae reditibus alebantur. Ad epiſcopum praecipue ſpectare curam pauperum, quod bona eccleſiae, quorum is diſpenſator

 eſt,

(13) *Ep.* 34. *ad cler.* (14) *Cit. ep.* (15) *Ep.* 60.

epiſcopo male diſpenſanti obſiſtere. Hinc inter Theophilum Alexandrinum, & Iſidorum ſimultates obortae, quod hic *ex pecuniis, quae ad ipſum tamquam ad curatorem pauperum multae afferebantur, Theophilo aliquid accipere conanti, utpote aliis iam conſumtis in ſtructuras eccleſiarum, concedere noluiſſet*, ſatius ducens pecunias aegrotis reficiendis impendere. Sozomen. *lib. VIII. hiſt. eccleſ. cap.*12. Natalem Salonitanum antiſtitem *vaſa ſacra & velamina parentibus ſuis* dare prohibuit Honoratus archidiaconus, teſte Gregorio M. *lib. II. ep.* 14.

eſt, ſint pauperum, ſemper & ubique in eccleſia ratum fixumque fuit. A primis temporibus fidelium collectas ab epiſcopo inter pauperes diſtributas, teſtantur Iuſtinus (16), & Tertullianus (17). Mira eluxit Cypriani, Gregorii Nazianzeni, Baſilii, Epiphanii, Auguſtini, Gregorii M. aliorumque antiſtitum erga egenos pietas & liberalitas (c). In ſingulis epiſcopalibus eccleſiis erat *matricula* ſeu liber, in quo inſcripti erant orphani, viduae, pauperes, qui eccleſiae ſumtu alebantur: unde & *matricularii* audiebant. Hic mos quum alibi, tum in Regni eccleſiis viguit. *Matriculam* ſeu mulierem e matricula eccleſiae Tarentinae memorat Gregorius M. (18).

§.V. Saeculo quinto ob cupiditatem quorumdam epiſcoporum, parum recte ac ſincere adminiſtrantium (*d*), eccleſiaſtici proventus diſpeſci in quatuor aequa-

(16) *Cit. Apol.* (17) *Cit. loc.* (18) *Lib. III. ep.* 45. *ad Andream. epiſcop. Tarent.*, & *ep.* 46. *ad Ioannem epiſcop. Callipolit.*

(c) Vid. Launoium *de cura eccleſ. pro pauperib.* & Thierſium ſingulari de hac re libello.

(d) Hoc vitio laborarunt profani nonnulli epiſcopi. Cyprianus *lib. I. ep.* 64. *edit. Baluzii* deteſtatur quorumdam epiſcoporum cupiditatem, qui *ſtipes & oblationes, & lucra deſiderant, quibus prius inſatiabiles incubabant.* Paullus Samoſatenſis epiſcopus damnatus eſt, quod malis artibus divitias ſibi paraſſet, quaeſtum ducens pietatem, *πορισμον ἡγυμενος την θεοσεβειαν.* Nazianzenus *orat. V.* in eos, qui epiſcopatum optant quaeſtus cauſſa, invehitur *ὥσπερ ὐκ ἀρετης τυπον, ἀλλ᾽ ἀφορμην βιυ, non ut virtutis exemplum, ſed occaſionem parandae ſubſtantiae.* Ibas Edeſſenus metropolita, & Daniel Carrharum epiſcopus accuſati, quod bona eccleſiaſtica diſſiparent, ut habes ex fragmentis Concilii Tyrii an. 448. coacti, quae referuntur in Concilii Chalcedonenſis *act.* 9. Eodem crimine, etſi falſo, arceſſitus eſt Chryſoſtomus in Synodo ad Quercum, teſte Sozomeno *lib. VIII. H. E. cap.* 17. Ipſe ſanctiſſimus antiſtes Cyrillus Alexandrinus ſuos ditavit parentes, moleſteque tu-

aequales partes coeperunt; quarum prima epiſcopo; ſecunda clero, tertia pauperibus, quarta fabricae eccleſiae ceſſit. Eiuſmodi diviſio primum in Romana eccleſia prodiit. Eius vero auctor ignoratur. Primus huius partitionis meminit Simplicius, qui an. 468. pontificatum iniit (19); poteſtate namque reditus diſpenſandi Gaudentium Auſinienſem epiſcopum, ea abutentem, privavit, conceſſa eidem tantum parte, qua ipſe uti poſſet: *De reditibus eccleſiae*, inquit, *vel oblatione fidelium ſola epiſcopo ex his una portio remittatur: duae eccleſiaſticis fabricis, & erogationis peregrinorum & pauperum profuturae: ultima clericis pro ſingulorum meritis dividatur*. Iam ſi res ipſa ſpectetur, quadripartita haec diviſio ante Simplicium vigebat; quum inde ab antiquiſſimis temporibus epiſcopi univerſos eccleſiae reditus in honeſtam ſui, & clericorum ſuſtentationem, eccleſiarum reparationem, pauperum & peregrinorum neceſſitatem, alioſque pios uſus erogare tenerentur. Id Simplicius obſervari praecepit, & porro quantitatem harum partium,

(19) *Ep. ad Florentinum, Equitium. & Severum epiſcopos*, apud Gratian. *can.* 28. *cauſ.* 12. *q.* 2.

tulit conditos eccleſiae canones, quibus diſpenſationis ratio ab epiſcopis exigebatur: qua de re plura Baronius *ad annum* 445. *n.* 30. Praeſertim ſaeculo V., collapſa in Occidentis eccleſiis ob barbarorum incurſiones diſciplina, epiſcopi emolumenta omnia eccleſiae ſibi vindicabant, clero interim eſuriente: *Nunc epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur*, queritur Sulpicius Severus ſaeculi quinti ſcriptor *lib. II. hiſt. cap.* 33. Miſerrimam hac tempeſtate faciem eccleſiae deſcribit auctor *tractatus de ſeptem ordinibus eccleſiae*, inter Opera S. Hieronymi *tom. IV.*: *Eget*, inquit, *in ſede presbyter, in altari levita, in ſecretario ſubdiaconus, in lectione lector, & in templo oſtiarius*; propterea quod epiſcopus *ſolus incubat divitiis, ſolus miniſterio utitur, ſolus univerſa ſibi vindicat, ſolus partes invadit alienas:*

tium, quae antea deſignata non fuerat, primus definivit, ne redituum diſtributio ab epiſcopi arbitrio prorſus penderet. Idem deinde cavit Gelaſius I., qui ann. 492. ſedere coepit (20), dum eccleſiae reditus & oblationes in quatuor dividi partes praecepit, *ſicut dudum rationabiliter eſt decretum; quarum una ſit pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda*. Quadripartitae huius diviſionis auctorem aetate ſua vetuſtiorem ſupponit pontifex; at quiſnam is fuerit, tacet.

§. VI. A Romana eccleſia hic reditus diſtribuendi mos ad Occidentales alias ſenſim perrepſit; ſed non eadem ſemper & ubique de hac re fuit diſciplina. In Galliis ſaeculo VI. quadripartitam illam diſtributionem nondum receptam, conſtat ex Concilio Aurelianenſi I. an.511. (21), & Aurelianenſi III. an. 537. (22). At ſaeculo XI. eam partiendi rationem obſervatam fuiſſe, patet ex Concilio Nannetenſi (23). In Germania reditus eccleſiaſticos quadrifariam more Romanae eccleſiae diſtributos, evincunt Synodus Wormathienſis an.968. (24), & Triburienſis an. 895. (25). Eamdem partitionem in Anglia receptam, habes ex Gregorio M. (26). Obſervatam quoque in eccleſiis Italicis, ac nominatim Regni noſtri, adſtruunt Simplicius (27), Gelaſius I. (28), & Gregorius M. (29). In Hiſpania reditus

(20) *Ep. ad epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtit. cap.* 17. (21) *Can.* 16. & 17. (22) *Can.* 3.
(23) *Can.* 10. (24) *Can.* 7. (25) *Can.*13. (26) *Ep. ad Auguſtinum Anglorum apoſtolum, apud Gratian. can.* 30. *cauſ.* 12. *q.* 2. (27) *Cit. ep.* (28) *Cit. ep.* (29) *Lib. IV. ep.* 11. *ad Maximian. Syracuſan. epiſcop., lib. V. ep.* 12. *ad Petrum Tricalitan., lib.VIII. ep.*7. *ad Leonem Catanenſ., & lib.XIII. ep.* 44. *ad Io. Panormitan.*

tus eccleſiaſtici *ex antiqua conſuetudine in tres aeque partes* ſecti ſunt, quarum una epiſcopo, alia clero, tertia reparationi & luminariis eccleſiae adiudicata eſt, uti cavit Concilium Bracarenſe I. an. 563. (30). Cave tamen putes, pauperes in tripartita hac diviſione excluſos. Quamvis enim peculiaris portio iis attributa non ſit, ipſorum tamen cura clericis, & maxime epiſcopo, iniuncta fuit; epiſcopi enim onus & honos eſt, pauperibus ſedulo conſulere, quorum etiam patrimonium ſunt eccleſiarum bona. In Africa haud recepta quadripartita haec diviſio fuit; nam e communi maſſa epiſcopus, clerici, & pauperes alebantur (131). Nec eamdem admiſerunt Orientis eccleſiae, quae veteres canones, quibus epiſcopi arbitrio reditus eccleſiaſtici tribuebantur, perpetuo cuſtodiverunt (132). Redibit de hac re ſermo infra cap.24.

C A P. XXIII.

De rerum eccleſiaſticarum alienatione.

§. I. Rerum eccleſiaſticarum alienatio canonibus & legibus interdicta eſt. Intereſt enim religionis ac reipublicae, illaeſum eccleſiis patrimonium perpetuo ſervari, ne alias bonis exutae deſerantur, divinus cultus deſit, & clerici divino miniſterio addicti, ac pauperes unde alantur non habeant. Nomine *alienationis* latius accepto heic venit non modo omne pactum, quo plenum dominium transfertur, veluti *venditio*, *donatio*, *permutatio*, *legatum*, ſed etiam utile tranſit, ut *emphyteuſis*, *feudum*;

(30) *Can.* 25. (31) Vid. Chriſt. Lupum *ſchol. ad Concil. Toloſan. can.* 10. (32) Conf. Thomaſſin. *diſcipl. part. III. lib. II. cap.* 13.

dum; aut ius in rem quaeritur, ut *pignus*; aut rei uſus minuitur, ut *uſusfructus*, *locatio ad longum tempus* (a). Nomine autem *rerum eccleſiae*, quarum interdicta alienatio eſt, deſignantur eae, quae aut eccleſiae uſibus perpetuo deſerviunt, ut mobilia pretioſa Deo ſacra, aut ex quibus annui reditus colliguntur, ut praedia ruſtica & urbana, ac iura omnia; quibus adde arbores grandes, unde annui reditus proveniunt, nec caedi conſueverunt. Tandem nomine *eccleſiae* hoc loco continentur etiam monaſteria & pia loca, quorum bona alienari vetantur, uti Iuſtinianus (1) expreſſit.

§.II. Prioribus tribus ſaeculis, quibus eccleſia fidelium oblationibus fere vixit, nullo canone rerum eccleſiaſticarum alienatio interdicta eſt: id probitati epiſcoporum, quibus libera erat rerum temporalium procuratio, relictum erat. Parta ſub Conſtantino pace, auctiſque eccleſiarum reditibus & praediis, quum profani epiſcopi in rem ſuam aut propinquorum res eccleſiaſticas diſtraherent, earum alienatio iis interdicta eſt, aut certis ſaltem legibus ipſorum poteſtas hac in re coërcita. Primum inſtitutum eſt, *ut nullus res eccleſiae diſtrahat*, & neceſſitate impellente id ſententia metropolitae fiat. Deinceps in aliis eccleſiis rerum eccleſiaſticarum alienatio paſſim prohibita eſt, ut conſtat ex pontificibus Hilaro (2), Symmacho (3), Agapeto (4), Gregorio M. (5), Pſeu-

(1) *Nov. 7.* (2) *Ep. ad epiſcopos Galliar.* (3) *In Concilio Roman. IV. apud Gratian. can. 20. cauſ.12. q.2.* (4) *Ep. ad Caeſarium Arelatenſ.* (5) *Lib.I. ep.66., lib. III., ep.16., lib. VI. ep. 53., & lib. X. ep. 33.*

(a) Alienationis ſpecies cenſetur locatio *ad longum tempus*, hoc eſt ad decem annos. At ex Paulli II. *extravag. ambitioſae, de reb. eccleſ. non alienand.* ultra triennium res eccleſiarum locari vetantur.

Pſeudo-Leone I. (*b*), aliiſque. Hoc interdictum chriſtiani Caeſares confirmarunt. Primus omnium Leo Imp. (6) bona eccleſiae CPolitanae alienari vetuit ſub poena nullitatis contractus. Conſtitutionem hanc ad omnes patriarchatus CPolitani eccleſias produxit Anaſtaſius (7). Tandem Iuſtinianus (8), abrogata Anaſtaſii ſanctione, Leoninam ad omnes chriſtiani orbis eccleſias extendit.

§. III. Regula de rebus eccleſiae non alienandis ſuas habet exceptiones. Profecto eae iuſta de cauſſa, & ſervata forma, ſeu ſollemnitatibus per canones praeſcriptis, recte diſtrahuntur; non enim natura ſua eccleſiaſticae res extra commercium ſunt, ita ut earum alienatio intrinſecus vetetur. Iuſtae alienationis cauſſae ſunt *neceſſitas*, *utilitas*, & *pietas*. Neceſſitas, ut ad diſſolvendum aes alienum eccleſiae, ſi aliunde non poſſit. Utilitas, veluti ſi res eccleſiae alie-

ne-

(6) *L.* 14. *C. de ſacroſ. eccleſ.* (7) *L.* 17. *C. eod.*
(8) *Nov.* 7. *&* 120.

(b) Res eccleſiaſticas alienare vetuit etiam Leo P. *ep. ad epiſcopos Siciliae*, cuius fragmentum affert Gratianus in *can.* 52. *cauſ.* 12. *q.* 2. In ea inter alia decernitur, *ut ne quis epiſcopus de eccleſiae ſuae rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere, niſi forte ita aliquid horum faciat, ut meliora proſpiciat, & cum totius cleri tractatu, atque conſenſu id eligat, quod non ſit dubium eccleſiae profuturum*. Hanc epiſtolam ex antiquo codice MS. Card. Sirleri primus evulgavit Ger. Voſſius, eamque Leoni I. adſcripſit propter phraſim & conſulatus nomen, non quod illa Leonis nomen praeferret. Contra eamdem ſuppoſititiam eſſe, vel certe alterius eſſe Leonis, quam primi, nempe ſecundi, vel tertii, vel etiam poſterioris, contendit Queſnellus ob ſtili diverſitatem, notam conſularem, aliaque *νοθείας* indicia. Paria ſentiunt Eſpenius *part. II. tit.* 36. *cap.* 3. *n.* 7. *ſeq.* & Berardus *ad Gratiani canones part. II. cap.* 43. *p.* 348. *ſeq. tom. II.*

netur, ut melior & utilior ematur. Pietas, nempe pro redimendis captivis, alendiſve pauperibus tempore famis, ſi aliunde iis auxilium non ſuppetat. Hanc ob cauſſam Ambroſius, Auguſtinus, Acacius Amidenus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Hilarius Arelatenſis, aliique ſanctiſſimi praeſules bona eccleſiarum ſuarum, & ſacra etiam vaſa diſtrahere non dubitarunt (*c*).

IV. Quod ad alienationis ſollemnitates, varium pro diverſa temporum ratione ius fuit. Olim eccleſiaſtica bona ſola epiſcoporum religione divendebantur, quippe qui liberam illorum adminiſtrationem habebant, ut ab Acacio, Cyrillo, aliiſque factum eſt. Deinde, epiſcopis nonnullis ea poteſtate abutentibus, cautum eſt, ut in Synodo provinciae ſacri patrimonii alienatio iuſta ex cauſſa decerneretur. Concilium Carthaginienſe V. (9) iuſſit alienationis neceſſitatem *inſinuandam eſſe primati provinciae ipſius, ut cum ſtatuto numero epiſcoporum, utrum faciendum ſit, arbitretur*. Hilarius P. (10) praedia eccleſiae, cauſſa *apud Concilium* cognita & probata, divendi permiſit. Rareſcentibus vero provinciae Synodis, tractatus & conſenſus Concilii epiſcoporum fere deſiit; & res eccleſiae alienari coeperunt cum cleri conſenſu & ſubſcriptione, ac metropolitani venia. Ita etiam in eccleſiis Regni non licuit epiſcopo bona eccleſiaſtica alienare, niſi conſentiente & ſubſcribente clero, ac inde Romano pontifice, qui unicus noſtrarum eccleſiarum metropolita erat, confirmante, uti conſtat ex illuſtri Gregorii M. teſtimonio (11).

§. V.

(9) *Can.4.* (10) *Ep.8.* (11) *Lib.XIV. ep.3. ad Io.Panormit.*

(c) Vid.Theoph. Raynaudum *opuſc. de malis ac bonis eccleſiae.*

§. V. Nova poſterioribus temporibus invaluit diſciplina, ut res eccleſiaſticae *cum totius cleri tractatu, atque conſenſu* ab epiſcopo alienarentur: quod in decretali Leoni I. tributa proponitur. Nomine *cleri* poſt inſtitutos canonicos intelligitur capitulum eccleſiae, cuius bona alienanda ſunt, ſi illa collegium habeat: in monaſteriis vero cleri vice fungitur monachorum conventus. Nomine autem *tractatus* venit examen, an iuſta ſubſit alienationis cauſſa. Itaque in alienandis menſae epiſcopalis, Capituli, vel Collegiatae bonis, epiſcopus convocatis de more canonicis, ſimul in alienationis cauſſam, & rationem inquirat, nempe iuſtane ſubſit cauſſa, expediatne mobilia, an immobilia diſtrahere, & magis hoc, quam illud praedium, vendere potius, quam permutare, idque genus alia: tum canonicis conſentientibus, inſtrumentum conficiatur, in quo alienationis cauſſa & ratio nominatim exprimatur; eique omnes ſubſcribant. Quod ſi alienanda ſint bona eccleſiae, capitulum vel collegium non habentis, veluti paroecialis, ſat eſt, epiſcopum cauſſa cognita adſenſum praeſtare. Si eccleſia vel monaſterium Sedi Apoſtolicae *immediate* ſubſit, peculiari Romani pontificis venia eſt opus. Si vero ad monachos, aut praelatos pertineat, alienatio facienda eſt auctoritate antiſtitis provincialis vel generalis, aut praelati iuriſdictionem quaſi epiſcopalem habentis, cum tractatu & ſollemnitatibus ſuperius expreſſis (*d*).

§.VI. Celebris de hac re eſt conſtitutio Paulli II. ann. 1468. edita (12). Hac primum, confirmatis canonibus & conſtitutionibus, quae de rebus eccleſiae

(12) *In extravag. ambitioſae, de reb. eccleſ. non alienand.*

(d) Fuſe de hac re diſſerit Rebuffus *in compendio alienat. rerum eccleſ.*

ſiae non alienandis editae ſunt, edicit, alienationis nomine deſignari omne pactum, quo dominium transfertur, aut ius in rem quaeritur, aut eius uſus imminuitur, ut *venditio*, *permutatio*, *emphyteuſis*, *feudum*, *uſusfructus*, & *locatio ultra triennium*. Deinde vetat res eccleſiae aut pii loci *inconſulto Romano pontifice* alienari. Tandem nullam pronuntiat ſecus factam alienationem, & tum alienantes, tum recipientes excommunicat: qua excommunicatione epiſcopi & abbates ingreſſu eccleſiae arcentur, ac ſi per menſes ſex ab ea abſolvi differant, ab adminiſtratione eccleſiae in ſpiritualibus & temporalibus ſuſpenduntur: inferiores autem praelati, eccleſiarumque rectores & adminiſtratores, beneficiis, quorum alienarunt bona, ipſo iure privantur, eaque tamquam vacantia aliis libere conferri poſſunt. Sed vel poſt Paullianam conſtitutionem terrulae minus utiles, res in emphytheuſim aut feudum dari ſolitae, & immobilia, quae ſervando ſervari nequeunt, ſola epiſcopi auctoritate recte alienantur. Etenim canoni *terrulas* 53. *cauſ.* 12. *q.* 2. (quo iuſta cauſſa *terrulas*, *aut vineolas exiguas*, & *eccleſiae minus utiles*, *aut longe poſitas parvas*, *epiſcopo ſine conſilio fratrum* alienare permittitur) nec per conſtitutionem Paulli II., nec per Concilium Tridentinum fuiſſe derogatum, Sacra Congregatio declaravit (13).

C A P. XXIV.

De beneficiis eccleſiaſticis.

§. I. A Bonis eccleſiaſticis ad beneficia progrediamur. Beneficii vox e civili in eccleſiaſticam

(13) Vid. Fagnanum *ad cap.* nulli 5. *de reb. eccleſ. non*

cam rempublicam perrepſit. Apud Romanos beneficium deſignabat praemium, quod bene de rep. meritis ex aerario pendebatur; mos enim fuit, magiſtratus e provincia reverſos ad aerarium deferre nomina eorum, quorum opera in republica adminiſtranda uſi fuerant: unde formula *deferre in beneficiis* apud Tullium (1). Poſtea praedia, quae Imperatores militibus, aliiſve largiebantur, *beneficia* dicta ſunt, ac liber, in quo ea deſcribebantur, *liber beneficiorum*, cuius meminit Hygenus (2). Pari modo *beneficium* ſcriptoribus mediae aetatis dicitur praedium, a principe, aliiſve utendum alicui datum, quod ſaeculo XI. *feudum* dici coepit. Ab iure feudali nomen *beneficii* in eccleſiam migravit ad ſignificandum praedium, quod clericis ad vitam utendum datur ſub eccleſiaſtici ſervitii onere. Quandonam vero beneficii vox hoc ſenſu in eccleſia prodierit, incertum eſt. Occurrunt quidem *beneficia eccleſiaſtica* in Capitularibus Caroli M. (3), Concilio Sueſſionenſi ſub Carolo Calvo (4), aliiſque Gallicanae eccleſiae monumentis. At ea univerſim ſunt eccleſiarum praedia, quae vel eccefiae rector, vel Princeps, precariae nomine laicis, aut clericis dabat ſub onere annui cenſus; horum enim beneficiorum poſſeſſores tenebantur *nonas & decimas* iiſdem eccleſiis quotannis perſolvere, & *reſtaurationes earum facere*, ut ex Capitularibus Caroli M. (5) colligitur; ſicque ab hodiernis beneficiis plurimum differunt. Hincmarus (6) etiam meminit *clericorum habentium beneficia;* quae tamen proprie beneficia fuiſſe non videntur. Vox illa pro praedio clericis utendum ab epiſco-

(1) *Pro Archia*. (2) *De limitib. agror.* (3) *Lib.V. cap.92.*
(4) *Cap. 2.* (5) *Lib. V. cap.* 145. *ſeq.* (6) *Opuſc.* 2[illegible]

ſcopis dato, tamquam vulgo recepta, occurrit in Concilio Andegavenſi ſub Nicolao II. an.1050. (7).

§. II. Beneficium eſt *ius ſpirituale utendi ad vitam fructibus bonorum, quae titulis & miniſteriis perpetuo adnexa ſunt, ſacri miniſterii cauſſa ab eccleſia conſtitutum*. Dicitur *ius ſpirituale* non per eſſentiam, ſed quatenus ab officio ſpirituali, ob quod exercendum datur, pendet. Quamvis enim profani ſint proventus, ſacro tamen muneri ita cohaerent, ut ſeiungi ab eo nequeant. Additur *utendi*. Beneficiarii enim nec domini, nec uſufructuarii, ſed meri uſuarii ſunt eccleſiaſticorum redituum, tantumque moderato victu & veſtitu contenti ſint. Sequitur *ad vitam*, puta beneficiarii, non in menſem, vel annum. Quemadmodum enim clericus non ordinatur ad tempus, ita nec alicui eccleſiae ad tempus, ſed in perpetuum addicitur: eccleſiae autem addictio, ſeu miniſterium eccleſiaſticum eſt beneficii cauſſa. Inde a perantiquis temporibus nemo ordinabatur ſine titulo, hoc eſt, quin certae deputaretur eccleſiae, cui perpetuo deſerviret, eoque nomine alimenta acciperet. Hinc beneficia proprie non ſunt capellaniae laicales, legata pia, commendae ad tempus, quia perpetuae non ſunt. Nec etiam clerici removeri a beneficiis poſſunt, niſi iuſta & probata cauſſa. Quae vero excipiunt verba, ſignificant, ius percipiendi fructus iure tituli competere, ita ut ſtatim ac quis eccleſiae alicuius miniſterio addictus eſt, ius percipiendi reditus ipſi titulo adfixos adquirat. Sequitur *ſacri miniſterii cauſſa*. Beneficii ergo cauſſa eſt ſacrum officium, hoc eſt iuge ſervitium eccleſiae impendendum; nec dari beneficium poteſt ſine ſpirituali offi-

cio.

(7) *Can.* 1.

cio. Appoſite Innocentius III. [8] ait, *beneficia conſtituta fuiſſe, ut per beneficiarios in eccleſiis devotum ſervitium iugiter impendatur*. Et Bonifacius VIII. (9): *Beneficium*, inquit, *datur propter officium*. Quumque beneficium detur ob ſpirituale miniſterium, quo excluduntur laici, ſoli clerici, etiam tonſurati, beneficiorum capaces ſunt. Tandem adnectitur *ab eccleſia conſtitutum*. Beneficium itaque auctoritate epiſcopi vel pontificis fundari debet. Dum ea exſpectatur auctoritas, non eſt beneficium, ſed res ſtat in pendenti. Hinc *capellaniae laicales*, & *legata pia* non beneficia, ſed ſtipendia & eleemoſynae ſunt, licet voluntate teſtatoris in perpetuum dentur, niſi auctoritate epiſcopi in titulum beneficii erigantur, eorumque reditus, donec ſacra acceſſerit auctoritas, ipſi patroni adminiſtrabunt, cum onere implendi officia iniuncta per idoneas perſonas, niſi aliud teſtator expreſſerit.

§.III. Sic proprie deſcripta beneficia, qualia hodie ſunt, poſt ſaeculum X. prodierunt. Sane varia pro temporum & eccleſiarum diverſitate fuit diſtribuendorum eccleſiae redituum ratio. Olim ii in communem maſſam influebant, & epiſcopi arbitrio inter clericos tribuebantur. Tum ſaeculo V. in quatuor diſpeſci partes coeperunt, ex quibus una epiſcopo, altera clero cedebat. Saeculo VI., ſtante adhuc quadripartita illa eccleſiaſticorum redituum diviſione, coeperunt epiſcopi velut extra ordinem praediola clericis nonnullis bene de eccleſia meritis ad tempus utenda dare, ut finito conceſſionis tempore ad communem maſſam redirent, nec adeo praediola illa alienare poſſent, ceu conſtat ex Concilio Agathen-

(8) *Ep. 82. ad Auxitan. Archiepiſcop.* (9) *Cap. ult. de reſcript. in 6.*

thenſi an. 506. (10), Aurelianenſi I. an.511. (11) & Symmacho P. qui an. 514. obiit (12). Clerici itaque potius iure perſonali, quam iure tituli praediola illa utenda accipiebant, iiſque mortuis in commune eccleſiae aerarium revertebantur, non in clerici ſucceſſorem tranſibant: proinde potius imago quaedam beneficiorum, quam vera & propria beneficia, uti nunc ſunt, hactenus comparet. Poſtea vero quum incommodum eſſet viſum, mortuo presbytero, eius ſucceſſorem ius percipiendi proventus ab epiſcopo rurſus accipere, portio bonorum ſingulis eccleſiis adnecti coepit; ita ut clerici non reciperent *αμεσως immediate* ab ipſo epiſcopo ius percipiendi proventus ex bonis eccleſiaſticis, ſed ordinabantur ſub hoc, vel illo titulo, cui bona adnexa erant. Haec bonorum ſingulis eccleſiis unio non uno eodemque tempore, ſed citius alibi, alibi ſerius recepta eſt. Saeculo circiter nono quum plerique epiſcoporum communem inter clericos vitam inſtituere vellent, & eccleſiarum cathedralium canonicos in unum corpus cogere, adſignarunt iis quidquid ad ſuſtentationem opus erat, tam per unionem paroeciarum cum iure in oblationes & decimas, quam tradendo in perpetuum varios eccleſiae fundos. Tractu temporis quum omnia fere capitula communem vitam & menſam reliquiſſent, praebendae diviſae fuerunt inter canonicos, aliosque clericos eccleſiae inſervientes: & hoc modo plura erecta fuerunt beneficia cum reditibus propriis ac perpetuis, & diſtributionibus pro cuiuſque dignitate ac ſervitio eccleſiae. Itaque propria beneficia, qualia hodie ſunt, prodierunt.

§.IV. Summa beneficiorum diviſio eſt in *maiora*, & *mi-*

(10) *Can.7. & 22.* (11) *Can.23.* (12) *Ep. 5.* apud Gratian. *can. 61. cauſ. 19. q. 1.*

& *minora*. Maiora ſunt pontificatus, patriarchatus, epiſcopatus, cardinalatus; qui tamen nec communi beneficii nomine veniunt, nec etiam dignitatis, quum ſint dignitatum apices. Minora vero ſunt cetera recenſitis inferiora; quorum quaedam maiora dici poſſunt, relatione facta ad alia. Ex minoribus beneficiis alia ſunt *curata*, alia *duplicia*, alia *ſimplicia*. Curata proprie dicuntur, quae animarum curam in foro interno adnexam habent, uti paroeciae. Duplicia vero, quae eam curam habent quoad forum externum ſeu contentioſum, vi cuius beneficiarius ſpiritualem iuriſdictionem beneficio adnexam exercet. Simplicia tandem, quae in neutro foro curam habent animarum. Praeterea ex diverſa collationis ratione alia ſunt *reſervata* & *adfecta*, alia non *reſervata* nec *adfecta*; quorum illa ad pontificiam collationem, haec ad alium a ſummo pontifice collatorem ſpectant. Item alia *collativa* ſunt, quae per collationem epiſcopi, alteriusve praelati dantur; alia *electiva*, quae per electionem a ſuperiore confirmandam providentur; alia *patronata*, quae ad patroni praeſentationem conferuntur.

§.V. Spectatis beneficiariorum perſonis dividuntur beneficia in *ſaecularia*, & *regularia*. Saecularia ad ſtatum eccleſiaſticum pertinent, ut epiſcopatus, canonicatus, archipresbyteratus. Regularia vero monaſticam diſciplinam ſpectant, veluti abbatia regularis, prioratus, aliaque officia clauſtralia reditibus inſtructa. Regulariter ſaecularia beneficia clericis ſaecularibus, h. e. monaſticam vitam non profeſſis; regularia vero monachis & regularibus conferenda ſunt (13).

(13) *Cap.* 37. *& ſeq. de elect.*, *cap.* 5. *de praebend. in VI.* Trident. *ſeſſ.* 14. *de ref. cap.* 10.

alia enim clericorum, alia monachorum vitae ratio eſt. Omnia beneficia ſaecularia cenſentur, niſi contrarium probetur; nam primus clericorum ſtatus ſaecularis fuit, & regularia beneficia ex diviſione bonorum a monachis contra regulas monaſticas facta emerſerunt: quod potius tolerandum, quam promovendum eſt. Probatur autem contrarium, ſi beneficium monaſticam diſciplinam ſpectet, aut in fundatione ita ſit cautum, aut ſpatio quadraginta annorum pacifice per monachos fuerit adminiſtratum. Praeſumitur etiam regularis capellania fundata in monaſterio per regulares regi ſolita.

§.VI. Iam ex collapſa inter monachos diſciplina regularia beneficia prodierunt. Ex regulis enim monaſticis omnia monaſteriorum officia merae obedientiae & adminiſtrationes erant, quae nutu abbatum delegabantur & auferebantur: monachi omnes, etiam abbates & officiales, ex communi monaſterii reditu vivebant. Saeculo XII. diviſa ſunt monaſterii bona inter abbates & monachos: unde *menſa abbatis*, & *menſa communis*; quarum illa reditus abbatis officio perpetuo adnexos, continebat, haec monachis alendis comparata erat (14). Inde exemplo abbatum officiales partem ſuam a communi menſa decerpſerunt; quin ipſae monachorum praebendae in beneficia deſciverunt. Eiuſmodi beneficia non in omnibus monaſteriis recepta ſunt, eaque Mendicantes prorſus abiecerunt; nam ſeparati reditus monaſticis officiis perpetuo adnexi adverſantur monaſticae paupertati, qua omnia inter monachos communia eſſe debent. Hinc Tridentinum (15) ſancivit, inter monachos nulla am-

(14) Conf. Thomaſſin. *diſciplin. part. III. lib. 2. c. 26. n. 4.* (15) *Seſſ. 25. de regularib. cap. 2.*

amplius inſtitui beneficia; recepta vero toleraſſe videtur: quo factum, ut multa adhuc ſuperſint. Porro non ſolum regularia, ſed & ſaecularia beneficia poſſident monachi. Ea tribus modis ſibi quaeſiverunt, nempe *fundatione*, quum fundator expreſſit ſe regulare beneficium, vel ſolis regularibus conferendum inſtituere; *incorporatione*, quum beneficia monaſteriis adnexa ſunt, & *praeſcriptione*, quum per annos quadraginta pacifice a monachis adminiſtrata ſunt; nam praeſcriptione quadragenaria ſtatus beneficii mutatur, ut ex ſaeculari regulare fiat, & viciſſim (16).

§. VII. Ex beneficiis quaedam *dignitatem*, quaedam *perſonatum* habent adnexum. Dignitas hoc loco eſt *quaedam praeeminentia cum iuriſdictione*. Beneficium ergo, cui huiuſmodi praeeminentia adiuncta eſt, *dignitas* appellatur, ut praepoſitura, decanatus, archidiaconatus. Hoc ſenſu dignitatis nomen veteribus ignotum fuit, apud quos dignitas in eccleſia aeſtimabatur ratione ordinis, iſque maior in eccleſiaſtico miniſterio cenſebatur, qui ordine maior eſſet. Quae nunc *dignitates* dicuntur, eae, ſtante communi canonicorum vita, erant plerumque ſimplicia officia, quae ſuperiorum nutu committebantur, & adimebantur. Abiecta vero communi vita, quae primitus erant mera officia, ſenſim dignitates evaſerunt. Perſonatus heic eſt *praeeminentia ſine iuriſdictione*. Itaque beneficia, quae praeeminentiam habent ſine iuriſdictione, *perſonatus* dicuntur, veluti honorificum locum in choro, proceſſionibus, ſuffragiis: ut Cantoria, Poenitentiaria, Theſauraria, & ſimilia.

(16) *Cap. 5. de praebend. in 6., Clement. 1. de ſupplend. neglig. praelat.*

§. VIII. Haud hic praetereundum, prioribus decem ſaeculis beneficia ordinationi adnexa fuiſſe; ubi enim quis ordinabatur, ius adquirebat vivendi de bonis eccleſiae, cui fuerat addictus. Huc ſpectat Hieronymus (17), adfirmans, epiſcopos beneficium facere, dum presbyteros conſtituunt. Ita beneficia in ipſa ordinatione canonice obtinebantur. Erectis deinde beneficiis, etiam per ordinationem beneficia collata ſunt; ea enim clerici miniſterio eccleſiae adſcribebantur, iuſque adeo vivendi ex ipſius reditibus adquirebant. Hinc factum, ut in priſcis canonibus nihil occurrat de ordine, aetate, & qualitate promovendorum ad beneficia, ſed tantum ordinandorum, nihil de ſimonia in beneficiis, ſed in ordinationibus. At circa ſaeculum XI. ordinatio a beneficiis ſeiuncta eſt; & ordinatione tantum poteſtas obeundi ſacra data eſt, beneficiis vero officia cum ſuis fixis reditibus perpetuo demandata. Huic mutationi cauſſam forte dederunt diviſa inter canonicos bona eccleſiarum; nam cum novi clerici, qui ſupra numerum praebendarum ordinabantur, ab altari alimenta accipere non poſſent, meram ſacris operandi poteſtatem accipiebant. Seiunctis a ſacra ordinatione beneficiis, novae invaluerunt regulae in re canonica, & mala multa eccleſiam pervaſerunt. Hinc enatae variae beneficiorum diviſiones, novae regulae de iure collationis, de modo, forma, item aetate, & qualitate beneficiariorum procuſae ſunt. Hinc deſpecti ordines, qui ius non habent ad proventus; contra magni facta ſunt beneficia uberrimis reditibus praedita: inde multi ſine beneficio ordinati, crevitque clericorum numerus, qui, quod congrua ab eccleſiis ali-

(17) *In ep. ad Tit.*

alimenta non haberent, incerti vagabantur, & vilibus officiis vacabant. Pulcre Duarenus (18) obſervavit, *veteres ita hoc argumentum tractaſſe, ut miniſterii fere mentio fiat, non proventus, aut ſtipendii alicuius. At poſtquam bonos, non onus affectari coepit, & quaeſtus eſt habita ratio magis, quam muneris atque officii, una cum moribus hominum mutata eſt loquendi ratio. Ut exempli gratia: ſolebant ita diſputare antiquiores, ut quaererent, quis eccleſiae miniſtrum ordinare, & quis ordinari deberet. Recentiorum vero quaeſtiones hae ſunt vulgo uſitatae, quis beneficium conferre, cui conferri poſſit &c. Quod igitur primarium ac praecipuum merito habebatur quondam, id nunc acceſſionis cuiuſdam locum vix obtinet . . . Hoc autem ideo hic adiicere volui, ut oſtenderem, veteres canones de miniſteriis loquentes, quamvis aetatem, ut ita dixerim, non ferant, & magna ex parte antiquati ſint, tamen ad hanc diſputationem de beneficiis plerumque trahi poſſe*. Utinam priſca beneficiorum politia aliquando erigatur & revocetur! Profecto corruptis moribus, ac tempore, quo abuſuum deformitas reformationem fugit, animoſae fortitudinis erit vetuſtae integritatis, & chriſtianae ſeveritatis exempla ſuſcitare.

C A P. XXV.

De beneficiorum fundatione, & erectione.

§.I. Beneficia *fundatione* naſcuntur, *erectione* perficiuntur. De utraque iam agendum. Sola fundatoris voluntas parit fundationem. Fundator autem eſt, qui & fundum ad extruendam eccleſiam, & congruam dotem pro ea aedificanda, miniſtris exhibendis, ceteriſque ad divinum cultum neceſſariis tri-

(18) *Lib. II. de ſacr. eccleſ. miniſtr. c. 3.*

tribuit. Publico inſtrumento conficienda fundatio eſt, quo exponit fundator, ſe certis de cauſſis beneficium ſub invocatione alicuius Sancti fundare; certum fundum pro congrua dote *irrevocabiliter* donat; onera & conditiones praeſcribit. Quaſcumque vero leges is dicere poteſt, etiam canonibus contrarias, veluti clericum etiam ſeptennem beneficio donari, quum canones annos quatuordecim exigant. Reiiciuntur vero quae divino iuri, bonis moribus, ac ipſi beneficiorum naturae adverſantur, veluti ſi fundator beneficium conferri velit laico, vel ad certum tempus.

§. II. Fundationem beneficii eccleſiaſtici perficit *erectio*, h. e. adſenſus & adprobatio epiſcopi, vel ordinarii. Clemens III. (1) *eccleſiam non niſi cum adſenſu dioeceſani* conſtructam probat. Generatim Iuſtinianus (2) vetat aedificari eccleſias, *niſi epiſcopus orationem antea in loco faciat, & crucem figat*. Sine conſenſu Ordinarii fundatum beneficium non eccleſiaſticum, ſed profanum eſt, & *capellania laicalis*, vel *legatum pium* vocatur. Diſerte Hormiſdas P. (3) cavit, ut *nullus presbyter in eccleſia conſecrata aliud altare erigat, niſi quod ab epiſcopo loci ſanctificatum eſt, vel permiſſum, ut ſit diſcretia inter ſacrum & non ſacrum*. Porro erectio beneficii eccleſiaſtici conſiſtere nequit ſine *titulo*, h. e. capella, vel ara alicui Sancto dicata. Id adeo verum eſt, ut capellania ad certum altare fundata in dubio praeſumatur eccleſiaſtica, verumque beneficium; quum capellaniae laicali, & legato pio repugnet erectio facienda in altari (4). In eodem autem altari erigi poſſunt plura beneficia etiam diverſae naturae, nempe alia libera, alia patro-

(1) *Cap.* 25. *ext. de iur. patronat.* (2) *Nov.* 67. *cap.* 1. (3) *Can.* 25. *diſt.* 1. *de conſecr.* (4) Rota *dec.* 1100. & Pitonius *de controverſ. patronat. alleg.* 49. *n.* 1.

tronata, quae plures perſonae cum diverſis oneribus & legibus obtineant (5).

§. III. Iam vero fundator, eiuſve heres, exhibito authentico fundationis inſtrumento, debet libello adſenſum ordinarii poſtulare. Hic autem, interpoſito decreto, eccleſiam ſub invocatione alicuius Sancti recens erectam, vel capellaniam certo altari iamdiu relictam erigit in titulum eccleſiaſtici beneficii, conſtitutam ipſi dotem adiudicat, & conditiones a fundatore praeſcriptas, exploſis reiiciendis, probat. Si ordinarius ſine cauſſa conditiones reiiciat, a metropolitano, aliove ſuperiore cogetur, vel denegatus adſenſus re cognita ſupplebitur. Quumque adſenſus ordinarii formam fundationi & erectioni tribuat, potius tenor ipſius adſenſus in erectione dati, quam nuda fundatoris voluntas, attendi debet. Semel vero in fundatione & erectione dictae leges immutari nequeunt, quum ius eccleſiae libertati, vel certis perſonis iam quaeſitum, intercipiendum non ſit. Pelagius P. (6) ſervari iuſſit eas conditiones, quae inter Cardellum epiſcopum, & matrem Eleutherii epiſcopi fundatricem cuiuſdam monaſterii tempore dedicationis convenerant. Quare minor annis quatuordecim nequit poſt fundationem a dioeceſano confirmatam idoneus ad beneficium fieri nova fundatoris conditione: nec patronatus certae familiae, vel perſonae in ea reſervatae adimi poſteriori voluntate poteſt. Novae autem conditiones mutationeſve, quae canonibus conſonent, & praeiudicium nemini creent, fieri poſſunt auctoritate ordinarii, & patronorum voluntate (7). Ceterum fundationum leges ſancte cuſto-

(5) Vid. de Luca *de iurepatronat. diſc.* 17. *n.* 1.
(6) In *can. Eleutherius* 30. C. 18. *q.* 2.
(7) Conf. Vivian. *lib. II. de iurepatronat. c.* 8. *n.* 10.

ſtodiendae ſunt. Concilium Tridentinum (8) quidquam derogari vetuit qualitatibus aut oneribus in beneficiorum erectione ſeu fundatione iniunctis.

§. IV. Nonnumquam inferiora beneficia eriguntur in maiora, ut in paroeciam, collegiatam, cathedralem. Novam paroeciam ſive filialem, ſive matricem epiſcopus iuſta ex cauſſa erigere poteſt ob divini cultus incrementum, ſi ex antiquae paroeciae reditibus novae miniſter commode exhiberi queat (9). Collegiatam quoque eccleſiam cum iure capituli canonicorum ſaecularium erigi ab epiſcopo poſſe, colligitur ex Clemente III. (10). At S. Congregatio Concilii an. 1623. (11) declaravit, ad Romanam tantum Sedem pertinere collegiatarum erectiones. Hinc ſolas collegiatas ante dictum annum erectas auctoritate dioeceſani iure collegiorum frui, ſcribit Rigantius (12). Erectio cathedralis inde a ſaeculo XII. uni Pontifici ceſſit (13). Tantum licet epiſcopo officium ſimplex in cathedrali eccleſia erigere, veteremque dignitatem, quae intercidit, conſentiente Capitulo, redintegrare: novam vero inſtituere dignitatem ad Summum Pontificem ſpectat (14).

C A P. XXVI.

De beneficiorum collatoribus.

§. I. Beneficiorum collatores ordinarii, qui iure ſuo conferunt, ſive id habeant a iure, ſive

(8) *Seſſ. 25. de ref. cap. 5.* (9) Alexand. III. *cap. 3. ext. de eccleſ. aedif.* Tridentin. *ſeſſ. 26. de ref. cap. 4.* (10) *Cap. 25. de iurepatr.* (11) Pitonius *tom. IV. diſcept. eccleſ.* 116. *n.* 30. (12) *In regul. 4. Cancellar.* §. 2. *n.* 45. *tom. I.*
(13) Innocent. III. *cap. 4. de offic. legat.*, & *cap. 1. ne ſede vacant.* (14) Fagnan. *ad cap. dilecto de praebend. n. 7.*

ve a pontifice, ſive a conſuetudine, ſunt epiſcopi, capitula canonicorum, praelati inferiores, aliique. Olim beneficia ſoli epiſcopi in dioeceſi ſua conferebant; ea enim adnexa erant ordinibus, quae non niſi ab epiſcopo dabantur. Deinde ſeiunctis ab ordinatione beneficiis, idem ius ſtetit, & beneficiorum collatio veluti pars voluntariae iuriſdictionis epiſcopalis haberi coepit. Conſtat enim beneficium eccleſiaſtico miniſterio, & iure percipiendi reditus adnexos: epiſcopi autem iure ſuo committunt eccleſiaſtica munera; & porro ex vetuſtiſſima diſciplina curam & adminiſtrationem habent redituum eccleſiarum, ut ex Cypriano (1), Synodo Antiochena (2), Gangrenſi (3), aliiſque conſtat. Vere Concilium Lateranenſe I. (4) tradit, *ſecundum Apoſtolorum canones* beneficia *ſine iudicio vel conſenſu epiſcopi* tribuenda non eſſe. Et Alexander III. (5) *a ſanctorum patrum inſtitutionibus alienum eſſe* ait, *beneficia ſine conſenſu epiſcopi dioeceſis recipi*. Epiſcopali ergo poteſtati innata eſt beneficiorum collatio: proinde, niſi conſtet de iure conferendi alteri conceſſo, vel de pontificia reſervatione, libere illa conferunt epiſcopi, qui in collatione beneficiorum ſuae dioeceſis fundatam in iure intentionem habent. Cumque beneficiorum collatio pars ſit iuriſdictionis, epiſcopi ſtatim ac confirmati ſunt, licet nondum conſecrati, ea conferre poſſunt (6). Rurſus, cum eiuſmodi collatio voluntariae ſit iuriſdictionis, quae extra territorium rite exercetur (7), epiſcopi etiam extra dioeceſim ſuam poſiti beneficia conferre queunt.

§.II.

(1) *Ep. II. & 41.* (2) *Can. 21. & 24.* (3) *Can. 7. & 8.* (4) *Can. 3. & 7.* (5) *Cap. 3. ex. de inſtit.* (6) *Cap. 15. de elect. & electi poteſt.* (7) *L. II. D. de offic. proconſul.*

§. II. Olim epiſcopi in eligendis eccleſiae miniſtris conſilium *presbyterii* ſui adhibuerunt. At ſaeculo XII. canonici cathedralium ſoli *ſenatum epiſcopi* conſtituerunt, adeoque eorum conſenſu beneficia ab epiſcopis collata ſunt (8). Mox, diſſociata inter epiſcopos & canonicos communi vita, & reditibus inter eos diviſis, varii mores & inſtituta in diverſis eccleſiis invaluerunt. Quod pertinet ad praebendas & canonicatus eccleſiarum cathedralium, alibi eas confert ſolus *epiſcopus*, alibi ſolum *capitulum*, alibi *epiſcopus* ſimul & *capitulum*. Ita Caeleſtinus III. (9) reſcripſit, *ex antiqua & probata conſuetudine, vel conceſſa libertate* poſſe praelatos in *beneficiorum collationibus nullum collegii ſeu capituli conſenſum requirere.* Innocentius III. (10) liberas praebendarum collationes ad Capitulum Cameracenſe pertinere ait. Idem Pontifex (11) ſervari iuſſit *generalem in Tuſcia conſuetudinem, ut in cathedralibus eccleſiis ſolum Capitulum irrequiſito epiſcopo eligendi canonicos habeat facultatem*. Cum collatio pertinet ad epiſcopum & Capitulum ſimul, & ille ab hoc diſſentit, controverſia variis cuiuſque loci ſtatutis, vel conſuetudine dirimenda eſt. Si epiſcopus concurrit tamquam canonicus, unum habet votum; ſi vero ut praelatus, eius ſuffragium totius collegii voto aequivalet. Huc ſpectaſſe videtur Innocentius III. (12), dum agens de collatione praebendarum ad Capitulum ſimul & Archiepiſcopum Ebrodunenſem ſpectante, diſtinxit, num Archiepiſcopus ut canonicus, an ut praelatus ius conferendi cum Capitulo haberet. Praebendas quoque ec-

(8) *Cap.* 4. & 8. *de his quae ſiunt a praelat.* (9) *Cap.* 6. *eod.* (10) *Cap.* 4. *de conceſſ. praebend.* (11) *Cap.* 31. *de elect.* (12) *Cap.* 15. *de conceſſ. praebend.*

eccleſiarum collegiatarum vel ſolus epiſcopus, vel capituli praelatus pro varietate locorum confert. Poenitentiarii, & theologi praebendae a ſolo epiſcopo conferuntur; & quidem praevio concurſu coram epiſcopo & quatuor examinatoribus etiam non ſynodalibus, uti ſancivit Benedictus XIII. (13).

§. III. Capitulum ſede vacante ſeu Vicarius capitularis conferre nequit beneficia, quae ad liberam ſolius epiſcopi collationem pertinent. Quamvis enim epiſcopo ſuccedat in omnibus, quae ordinariae iuriſdictionis ſunt (14); non tamen in beneficiorum collatione, quae futuro epiſcopo reſervanda eſt. Apposite Honorius III. (15) ſcribit, *nuſquam in iure cautum inveniri, quod Capitulum vacante ſede fungatur epiſcopi vice in collationibus praebendarum*. Recte autem capitulum vacante ſede confert beneficia, quae ad epiſcopum & capitulum ſimul pertinebant, quia per ſedis vacationem epiſcopi ius capitulo adcreſcit; multoque magis beneficia, quorum collatio, vivo epiſcopo, ſolius erat capituli. Praeterea de iure electos confirmat (16), & praeſentatos inſtituit (17).

§. IV. Vicarius generalis epiſcopi beneficia liberae collationis ſine ſpeciali mandato conferre nequit; generali enim mandato, quo is adſumitur, non venit collatio beneficiorum. Bonifacius VIII. (18) ſcribit: *Cum in generali conceſſione nequaquam illa veniant, quae quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus . . . officialis aut vicarius generalis epiſcopi beneficia conferre non poſſunt, niſi beneficiorum collatio ipſis*

(13) Conſt. *paſtoralis* edita 14. Kal. Iunii 1725.
(14) *Cap.* 11. *&* 14. *de maiorit. & obedient.*, *cap. ult. & penult. de ſuppl. neglig. praelat. in* 6. (15) *Cap.* 2. *ne ſede vacante aliquid innovet.* (16) *Cit. cap.* 14. *de maiorit. & obed.*
(17) *Cap.*1. *de inſtit. in* 6. (18) *Cap.*3. *de offi. vicar. in* 6.

ipſis ſpecialiter ſit commiſſa. Poteſt vero vicarius generalis iure ſuo electos confirmare, & inſtituere praeſentatos (19); nam inſtitutio eſt actus iuſtitiae, quum in praeſentato ius petendi ſupponatur.

§. V. Archidiaconi, qui diu perpetui epiſcoporum vicarii fuerunt, beneficia delegato iure dederunt. At ſaeculo XII. iure veluti ſuo ea contulerunt; quod & archipresbyteri in quibuſdam locis fecerunt. Alexander III. (20) reſpondit, eccleſiae inſtitutionem ordinariam ad epiſcopum, archidiaconum, vel archipresbyterum pertinere. Rurſus (21) ſe accepiſſe ait, archidiaconum unam ex duabus eccleſiis a quodam presbytero retentis ei ademiſſe, & alteri presbytero dediſſe. Sed ordinaria haec archidiaconorum poteſtas fere interiit, & epiſcopi ad exercendam iuriſdictionem ſuam *vicarios generales* pro arbitrio amovibiles crearunt.

§. VI. Inferiores praelati, iuriſdictionem quaſi epiſcopalem habentes ſunt etiam ordinarii collatores beneficiorum in ſuis eccleſiis. Innocentius III. (22) reſpondit, ad abbatem quemdam ratione abbatiae pertinere collationem tam cuſtodiae, quam aliarum dignitatum ac praebendarum in eccleſia Patrinenſi. Eamdem poteſtatem inferioribus praelatis adſerit Bonifacius VIII. (23).

§. VII. Monachi & capitula canonicorum conferunt paroecias, quas *pleno iure*, ideſt in ſpiritualibus & temporalibus, ſibi ſubiectas habent. Eiuſmodi paroecias ii adquiſiverunt vel beneficio epiſcoporum aut pontificum ad monaſticam aut canonicam vi-

(19) *Cap. 3. de inſtit.* (20) *Cap. 15. de offic. delegat.* (21) *Cap. 3. de inſtit.* (22) *Cap. 7. eod.* (23) *Cap 3. de offic. ordin. in 6.*

vitam promovendam, vel largitionibus laicorum, qui mediis ſaeculis complures eccleſias iure feudi poſſidebant (24). Translatis autem ad monachos & canonicos paroeciis pleno iure, earum ordinatio & cura ipſis etiam conceſſa videtur, ſicque ius eas conferendi quaeſitum. Sed cum beneficia conferuntur a perſonis ſpirituali iuriſdictione carentibus, ab epiſcopo danda eſt *inſtitutio auctorizabilis*, ſeu *miſſio*, per quam proviſi poteſtatem praedicandi & ſacramenta adminiſtrandi adquirunt. Quare monachi paroeciarum collatores, niſi habeant populum exemtum, inque eo quaſi epiſcopalem iuriſdictionem, nequeunt dare ipſam curam animarum, ſed ab epiſcopo impertienda eſt.

§. VIII. Sed & ſummi Imperantes conferunt beneficia multa, praeſertim aere regio fundata. Reges Angliae in regiae fundationis eccleſia S. Petri de Curia Cenomanenſi ſine conſenſu epiſcopi decanum creabant, & praebendas elargiebantur, teſte Innocentio III. (25). Galliae quoque reges, donec epiſcopatus vacant, *iure regaliae* conferunt beneficia omnia epiſcopalis collationis, exceptis paroeciis (26). Reges noſtri pleno iure conferunt multa beneficia ſimplicia, & curata, in variis Regni dioeceſibus poſita; itemque creant Archipresbyterum Altamurae, Priorem S.Nicolai Barienſis, & Abbatem S.Aegidii Altavillae, quaſi epiſcopali dignitate praeditos (27).

§. IX. At qui poſſunt Reges ſuapte natura be-

(24) Vid. Thomaſſin. *diſcipl. part. II. lib. I. cap.* 55. & Petr. de Marca *not. in can.* 7. *Conc. Claromont.* (25) *Cap.* 4. *de conſuetud. in* 3. *collect. ap. Ant. Auguſtin.* (26) Vid. Petr. de Marca *de C.S. & I. lib.VIII. cap.*25. (27) Conf. Chioccarell. *Archiv. tom.IV.* & Troylum *hiſt. Regn. Neap. tom.IV. part. II. cap.* 3.

neficia conferre, & ſacra miniſteria diſpenſare, inconſulto epiſcopo? Nodus vindice dignus. Ad verum propius accedit, Reges beneficia conferre tamquam epiſcoporum vicarios ex expreſſa vel tacita eccleſiae conceſſione (28). Sane, collatione beneficiorum ab ordinatione ſeiuncta, nihil impedimento fuiſſe videtur, quin illa inferioribus clericis & laicis, immo feminis deferretur, haerente penes epiſcopos collatione ordinum. Conſenſus expreſſus adeſt, ſi Summi Pontificis privilegio beneficiorum datio Regibus conceſſa ſit; tacitus vero, ſi ex longa conſuetudine, cuius non extat memoria, Reges, ſcientibus & prudentibus epiſcopis, beneficia contulerint. Quin hac in re conſuetudinem *immemorabilem* privilegii vim habere, oſtendit prae ceteris Marca (29). A privilegiis Pontificum collationem beneficiorum Regibus noſtris adſerunt Gloſſa in Gratianum (30), Andreas Iſernienſis (31), aliique. Sed illi etiam ante expreſſa privilegia tacito eccleſiae conſenſu beneficia dederunt. Interim e re chriſtiana eſſet, ut poſt collata a Regibus beneficia, praeſertim curam animarum vel ſpiritualem iuriſdictionem habentia, beneficiarii miſſionem ab epiſcopis acciperent.

C A P. XXVII.

De pontificiis mandatis, reſervationibus, & praeventionibus.

§. I. SUmmi Pontifices aut ordinario, aut extraordinario iure beneficia conferunt. Et iure quidem ſuo beneficia ſuae dioeceſis; extra ordinem vero

(28) Vid. Nat. Alexand. *diſſ. VIII. in saec. 13. & 14. art. 6.*
(29) *Lib. III. de C. S. & I. cap. 9. n. 6.* (30) *Can. 1. C. 16. q. 7.* (31) *In prooem. Conſt. Regn. n. 59.*

ro in aliorum dioeceſi ſita. Olim clericos conſtituerunt in ſua peculiari paroecia; tum a ſaeculo ſexto in eccleſiis Romanae metropolis ſubiectis poteſtatem hanc parce & non ſine cauſſa exercuerunt. Gregorius M. (1) epiſcopos & clericos e ſuis eccleſiis barbarorum incurſionibus eiectos alienis praefecit; ac deficientibus crebro idoneis clericis, quos alicubi offendebat egregiis dotibus praeditos, alienis praeficiebat eccleſiis, aut eccleſiae ſuae clericos a plebibus poſtulatos in paſtores concedebat. Extra Romanam metropolim beneficia nulla fere contulerunt: liberam epiſcopis eccleſiarum ſibi commiſſarum adminiſtrationem reliquerunt ſecundum canones. Idem S.Gregorius (2) ſolo pietatis & caritatis ſtudio vacantes eccleſias in Gallia, & aliis provinciis quandoque providit. Ita res proceſſit ad ſaeculum uſque XII. Poſt id tempus Romani Pontifices beneficia fere omnia per univerſum Occidentem collationi ſuae ſenſim ſubiecerunt per *mandata*, *reſervationes*, & *praeventiones*; de quibus ſingulatim.

§.II. Mandata *de providendo* erant pontificum reſcripta, quibus imponebant collatoribus, ut beneficium aliquod deſignato clerico darent. Haec expediebantur aut pro beneficio vacante, aut primo vacaturo; quae etiam *gratiae expectativae* dicebantur. Nullum eiuſmodi mandatorum veſtigium in Decreto Gratiani circa an.1150. emiſſo. Primus videtur Hadrianus IV. (3), qui ab an. 1154. ad 1159. ſedit, mandata haec ad beneficia clericis impetranda eccleſiis dediſſe. Idem deinde fecerunt Alexander III. In-

(1) *Lib. I. ep. 32. & lib. II. ep. 10.* Conf. Thomaſſin. *diſcipl. part. II. lib. I. cap. 41. n. 12.* (2) *Lib. IX. ep. 65.*
(3) *Ep. 10. 11. 12. & 24.*

nocentius III. aliique ſucceſſores. Initio mandata haec & honeſta de cauſſa, & parce dabantur, & non niſi preces continebant. Optimus nempe fuit Pontificum animus in his gratiis elargiendis. Uſum huius diſciplinae paullatim inductum ex eccleſiae neceſſitate, precibus Principum, & ſolicitatione virorum piorum, tradit Thomaſſinus (4). Cum enim epiſcopi conſanguineos aliosve indignos idoneis praeferrent, & clericos ſine titulo ordinarent; Romani Pontifices pro litteratis & honeſtis clericis, praeſertim iis, qui beneficio deſtituti vix unde viverent habebant, mandata haec ad epiſcopos dederunt: quod epiſtolae Alexandri III. (5), Innocentii III. (6), & Lucii III. (7) evincunt. Adhaec eamdem eccleſiam pluribus mandatis non gravabant: quod Honorius III. (8) facere conſuevit. Verum, ut pro miſera rerum humanarum conditione res ſancte inſtitutae in deterius dilabuntur, mandata eiuſmodi a priſtina origine ſenſim degenerarunt. Ea enim evaſerunt frequentiora, & ſaepe clerici male feriati a Pontificibus importune extorſerunt. Hinc cum ordinarii mandatis parere detrectarent, triplex litterarum genus prodiit, *monitoriae*, *praeceptoriae*, & *executoriae*. Harum primae continebant monita, quibus Pontifex monebat ordinarios, ut beneficium vacans, vel primo vacaturum deſignato clerico conferrent; ſecundae praecepta, quibus monita in iuſſiones abibant; tertiae executionem, quibus deputabat executores, qui cogerent conferre ordinarios (unde *executores ad compellendum* dicti), vel recuſantibus ordinariis ipſi confer-

(4) *Diſcipl. part. II. lib. I. cap. 43. ſeqq.* (5) *Ep. 43.*
(6) *Cap. 16. ext. de praeb.* (7) *Cap. 6. ext. eod.*
(8) *Cap. 30. & 38. ext. de reſcript.*

ferrent (unde *executores ad providendum* vocati). Tandem mandata de providendo, quod multa in eccleſiam mala intuliſſent, penitus a Conciliis Baſileenſi (9) & Tridentino (10) ſublata ſunt.

§. III. Mandatis affines ſunt reſervationes, h. e. *decreta, quibus Pontifices collationi ſuae vacantia vel vacatura beneficia, excluſis ordinariis collatoribus, adicunt, & conferunt*. Beneficia reſervata vocantur etiam *adſecta*; quamvis adſecta ſtricte ſumta ſint beneficia non reſervata, quibus conferendis ſe immiſcuit Pontifex, aut alias manum appoſuit, qui actus collationem pro ea vice Pontifici addicit. Dividuntur reſervationes in *ſpeciales*, & *generales*, prout Pontifex unum vacans vel vacaturum beneficium, aut plura ſibi reſervat.

§.IV. Mandata de providendo originem dederunt reſervationibus ſpecialibus. Crediderunt enim Pontifices, ſi ius ſibi eſſet praecipiendi collatoribus, ut beneficium primo vacaturum deſignato clerico conferrent, non minus poteſtatem ſibi competere, illud collationi ſuae reſervandi. Ex ſpecialibus autem reſervationibus generales promanarunt. Quum enim par ſit ratio unius beneficii reſervandi, atque plurium, inde intulerunt, eodem iure quo ſibi reſervabant collationem unius, poſſe etiam reſervari collationem duorum, pluriumve. Rem promovit opinio circa medium ſaeculum XIII. enata, *omnium eccleſiarum & beneficiorum plenariam diſpoſitionem ad R. Pontificem pertinere*: quam ipſi Pontifices mox arripuerunt. Hac recepta doctrina beneficiorum reſervationes paullatim creverunt.

§.V. Generalem reſervationem primus invexit Clemens

(9) *Seſſ.12. & 23. cap.5. & 6.* (10) *Seſſ.24. de ref. cap.19.*

mens IV. (11), pontifex an.1265. renuntiatus, qui collationi ſuae addixit quaecumque beneficia *apud Sedem Apoſtolicam* ſeu *Romanam Curiam* vacarent, h. e. beneficiarii in loco, ubi curia morabatur, obirent (*a*). Eius ſucceſſor Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi an. 1274. (12) permiſit ordinariis eiuſmodi beneficia conferre poſt menſem a die vacationis, ſi a Pontifice nondum collata ſint, ne diuturna vacatio eccleſiis obſit. Inde Bonifacius VIII., pontifex an. 1294. deſignatus (13), *apud Sedem* vacare declaravit beneficia omnia curialium, & accedentium vel diſcedentium a Romana Curia, qui intra duas dioetas, ſeu quadraginta milliaria, ab illa diſſitas decederent. Non multo poſt Clemens V. (14) Pontifici reſervavit epiſcopatus in partibus infidelium clero populoque carentes. Eius ſucceſſor Ioannes XXII.(15) pontificiae collationi adiunxit omnes eccleſias cathedrales, monaſteria & regulares eccleſias, & cetera beneficia, quae in curia vacarent depoſitione, privatione, ceſſione beneficiarii, electione reſciſſa aut poſtulatione reiecta, translatione, collatione, conſecratione & benedictione: item beneficia Cardinalium, legatorum, officiariorum Curiae, capellanorum commenſalium Pontificis, quocumque loco decederent. Qui

(11) *Cap. 2. de praebend. in 6.* (12) *Cap. 3. eod.*
(13) *Cap. 34. eod.* (14) *Clement. in pleriſque de elect.*
(15) *Extravag. ex debito 4. de elect. int. commun.*

(a) Id ab eccleſiaſtica vetuſtate haud alienum videtur Chriſt. Lupo *diſſ. de Romana epiſcopor. conſecrat. cap. 2.* Concilium enim Nicaenum I. Euſtathium ad patriarchatum Antiochenum, mortuo apud ipſam Synodum S. Philogonio, evexit. Eodem iure uſus eſt Dioſcorus, uſurpans iura legatorum, & praeſidentiam in Concilio Epheſino, degradando S. Flavianum, in cuius locum ſuffecit Anatolium.

Qui Ioanni ſucceſſit Benedictus XII. (16) recenſitas reſervationes innovavit, novaſque etiam addidit. Omnem exinde modum exceſſerunt reſervationes furente ſchiſmate Avenionenſi, quod ſub Urbano VI. an. 1378. obortum chriſtianam rem uſque ad an. 1424. foede dilaceravit. Uterque enim Pontifex, qui Romae, & Avenione ſedebat, beneficiis opus habebat ad bene de Cardinalibus & clericis ſuarum partium merendum.

§. VI. Permulta mala & incommoda reſervationes eccleſiae attulerunt. Eae enim nativam beneficiorum conferendorum poteſtatem epiſcopis adimunt, hierarchiam divinitus conſtitutam turbant, votum continent alienae mortis, dignioribus aditum ad beneficia intercipiunt, diuturnis litibus cum gravi fidelium pernicie & ſcandalo cauſſam praebent. His malis, quoad fieri licuit, paſſim obviam itum eſt. In Concilio Conſtantienſi moderatio reſervationum fruſtra expetita eſt. Inde in Concilio Baſileenſi (17) ſublatae ſunt expectativae & reſervationes omnes, demtis in *corpore iuris expreſſe clauſis*, & his, quas Pontifices in dominio temporali Sedis Apoſtolicae facere vellent. Sed quum decreta Baſileenſia non ubique recepta fuiſſent, reſervationes a priſtino ſtatu non declinarunt. Tandem Tridentina Synodus (18) tantum *mandata de providendo*, *reſervationes mentales* (b),

(16) *Extravag. ad regimen de praebend. int. commun.*
(17) *Cit. ſeſſ.* 12. *&* 23. *cap.* 5. *&* 6. (18) *Cit. ſeſſ.* 24. *de ref. cap.* 19.

(b) Reſervatio mentalis eſt, quum Pontifex certum beneficium reſervat, ut det perſonae ſibi gratae, cuius nomen non exprimit. Eiuſmodi reſervationes Iulius II. & Leo X. invexerunt.

& alias quaſcumque gratias ad vacatura ſuſtulit; at reſervationes, & praeventiones integras reliquit. Contenderunt quidem cordatiores in ea patres, cum mandatis prorſus deleri reſervationes omnes: quod antea delectis theologis ſub Paullo III. (19) viſum fuit. At iniqua temporum conditio ne moderationem quidem aliquam reſervationum eſt paſſa. Hinc in pleriſque eccleſiis adhuc vigent, certis tamen conditionibus coërcitae ſecundum peculiares eccleſiarum mores, vel pacta cum Principibus conventa.

§. VII. Mirum itaque videri non debet, ſi poſt Tridentina Comitia novae reſervationes a Pontificibus inſtitutae ſint. Pius V. Romanae Sedi reſervavit beneficia ob haereſim vacantia (20): item recepta *in confidentiam*, ideſt cum pacto, ut beneficiarius ea aliquando reſignet alteri, vel penſionem aut fructus aliquot inde praeſtet (21): ac paroecias non collatas per *concurſum* ad formam Concilii Tridentini (22). Gregorius XIII. (23) reſervavit beneficia vacantia ob reſignationem omiſſa ipſius publicatione. Sixtus vero V. (24) beneficia, quae ob non geſtationem veſtis & tonſurae clericalis vacant. Tandem Benedictus XIII. (25) praebendas canonici Poenitentiarii, & Theologi ob neglectum concurſum Pontifici reſervavit.

§. VIII. Veteres ac novae reſervationes regulis *Cancellariae Romanae* continentur, quibus opus illud tantae molis veluti abſolutum eſt. Pontifices enim mox poſt electionem beneficiorum collationem ad vi-

(19) *In conſultat. de reformand. eccleſ.* (20) Conſt. *cum ex apoſtolatus* 24. *Bullar. tom. XII.* (21) Conſt. *Romanum Pontificem* 85. *Bullar. tom. II.* (22) Conſt. *in conferendis* 32.
(23) Conſt. *humano vix iudicio* 85. (24) Conſt. *cum ſacroſancta* edita 18. Ianuar. 1589. (25) Conſt. *paſtoralis* &c.

vitam ſibi reſervare, certiſque regulis includere conſueverunt. Eorum morte expirabant reſervationes: proinde ſede vacante Ordinarii collatores libere ius ſuum exercebant. Inde novo electo Pontifice non ſine additionibus, detractionibus, aut mutationibus publicatae reviviſcebant. Ita *regulae Cancellariae* natae ſunt, quas ad memoriam in ſcripturam redigebat *Cancellarius*, vel *Vicecancellarius* Papae (26). Eas cum commentariis ediderunt Gonzalez, Chockier, Rigantius, aliique ſexcenti.

§. IX. Regulas Cancellariae omnes veluti abſorbet *nona*, quae Pontifici reſervat beneficia omnia, alias quam per reſignationem ubique vacantia in octo menſibus, nempe Ianuario, Februario, Aprili, Maio, Iulio, Auguſto, Octobri, & Novembri: in quatuor enim menſibus, qui his octo ſuperſunt, collatores pro iure ſuo conferunt. Menſis autem terminatur media nocte ultimi diei. Laudata Cancellariae regula locum non habet in beneficiis iuriſpatronatus laici, & mixti; haec enim quovis menſe vacantia libere confert Ordinarius. Quod ſi epiſcopus reſideat in dioeceſi ſua, beneficio Pii V. habet *alternativam*, nempe ſex menſibus alternis cum Summo Pontifice beneficia confert, ita ut Ianuarius ad Papam, Februarius ad epiſcopum ſpectet, & ſic deinceps; exceptis tamen beneficiis, quae ex aliis capitibus a Pontifice conferenda ſunt. Hanc alternativam tantum epiſcopis, qui eam petierint, non aliis inferioribus collatoribus, Pontifex elargitur.

§. X. Sed & praeventionibus Pontifices beneficia chriſtiani orbis impertierunt. Praeventio autem eſt, qua

(26) Vid. Monumentum an. 1316. ap. Baluz. *in vit. Papar. Avenion.* p. 712.

qua Pontifex ordinarium collatorem praeveniens beneficium ab illo nondum collatum elargitur. Quo autem fundamento mandata de providendo, eodem praeventio nititur: at illis longe recentior eſt; vix enim in Sexto Decretalium eius veſtigia comparent (27). Quum vero paullo poſt nimium invaluiſſet, & ad ordinarios praeveniendos multae in curia fraudes admitterentur; condita eſt regula Cancellariae *de veriſimili notitia*, qua nullae declarantur pontificiae collationes iure praeventionis factae, niſi a die mortis beneficiarii tantum ſpatium effluxerit, ut probabile ſit, Pontificem de ea certiorem fieri potuiſſe eo die, quo libellus Romam venit. Eadem poena locum habet, ſi nuntium ante mortem iter Romam ſuſcepiſſe probetur, quod *curſum ambitioſum* vocant. Ceterum praeventio locum non habet in locis, ubi per menſes collatio beneficiorum inter Sedem Apoſtolicam & Ordinarios tributa eſt; per hanc enim diviſionem Pontifex Ordinariis in ſuis menſibus liberam collationem tacite reliquiſſe videtur.

C A P. XXVIII.

De beneficiis legitimo tempore conferendis, & iure devolutionis.

§. I. Beneficiorum collatores intra legitima tempora conferre debent, ne ob diuturnam vacationem eccleſiae in ſpiritualibus & temporalibus detrimentum patiantur; ſecus devolutioni fit locus. Dignitates & praebendas capitulorum, omniaque inferiora beneficia intra *menſes ſex* conferri iuſſit Concilium Lateranenſe III. ſub Alexandro III. an. 1179.

(27) *Bonifacius VIII. cap. 31. de praebend. in 6.*

1179. (1). Inde epiſcopatus, abbatias aliaſque regulares praelaturas intra *menſes tres* provideri cavit Synodus Lateranenſis IV. ſub Innocentio III. an. 1215. celebrata (2). Brevius quidem tempus electioni antiſtitum, quam aliarum dignitatum praeſtitutum eſt, quod eorum defectus pernicioſior ſit eccleſiae. Semeſtre autem ſpatium utile eſt, curritque non a die vacationis, ſed a die ſcientiae; praefixum enim eſt ad coërcendam collatorum negligentiam, quae ſine ſcientia dari nequit (3). Hinc etiam non currit legitime impeditis, ut idem reſcripſit Innocentius III. (4): ſive impedimentum ſit *iuris*, veluti excommunicatus ſit collator, ſive *facti*, ut ſi abſens ſit. Quum enim ſemeſtre definitum ſit contra negligentes, qui experiundi poteſtatem non habet, nec per eum ſtat, quominus conferat, negligens dici nequit (5). Porro ſemeſtre hoc tempus currit de momento in momentum, ut in decennio ad appellandum praefixo, in confirmatione electionis petenda, in anno ad profeſſionem definito, aliiſque terminis a iure adſignatis ſtatutum eſt (6).

§. II. Elapſo ſemeſtri, ſi Ordinarius conferre neglexerit, pro ea vice collatione beneficii cadit ipſo iure, & devolutio fit ad proximum ſuperiorem: unde nulla eſt collatio ab eo poſtea facta, utpote a non habente poteſtatem facta (7). Iuri itaque devolutivo ſeu caduco locus eſt, quum collator ius conferendi amiſit, ſive ob negligentiam, non conferendo intra tempus legitimum, ſive ob delictum, conferendo indi-

(1) *Cap. 2. ext. de conceſſ. praeb.* (2) *Cap.* 41. *ext. de elect. & electi poteſt.* (3) Cap. 2. *ext. de conſtit.* (4) *Cap.* 5. *ext. de conceſſ. praebend.* (5) *Cap. ult. de elect., & L. annua D. de calumniat.* (6) Conf. Cironium *ad tit. decretal. de praeſcript.* (7) *Ob regulam in cap. 26. de R. I. in 6.*

dignis, vel contra formam iuris. Prius enim eccleſiae viduatae damnum; poſterius etiam dedecus affert. Devolutio in omnibus dignitatibus & beneficiis tam ſaecularibus, quam regularibus obtinet (8). Ea vero gradatim procedit, veluti ab epiſcopo ad metropolitanum, & ab hoc infra legitimum tempus negligente ad alios ſuperiores antiſtites uſque ad Romanum Pontificem.

§. III. Diſpiciendum nunc, ad quem ex ſuperioribus devolvantur beneficia. Hac in re varii caſus diſtinguendi ſunt. Si collatio ſpectet ad ſolum capitulum cathedralis eccleſiae, eo negligente, devolvitur ad epiſcopum, tamquam immediatum ſuperiorem (9). Sin ad capitulum & epiſcopum ſimul pertineat, intereſt, num epiſcopus ut *canonicus*, an ut *praelatus* concurrat. Priore caſu collatio devolvitur ad ipſum epiſcopum (10); poſteriore autem ad metropolitanum, non ad epiſcopum, qui quum unum cum capitulo corpus tamquam ipſius praeſes cenſeatur, negligentia utrique imputatur (11). Quod ſi collatio ad ſolum epiſcopum ſpectet, diſtinguendum eſt, num proprio, an devoluto iure ipſius ſit. Si proprio iure, eo negligente, collatio devolvitur ad Capitulum ob communionem, quae inter illud & epiſcopum eſt: ſicque ad inferiorem quandoque fit devolutio, quia ita in iure expreſſum eſt (12). Sin iure devoluto, transfertur ad metropolitanum. Quod ſi epiſcopus ſit exemtus, ius conferendi devolvitur ad Summum Pontificem (13). Inferior praelatus ſi con-

(8) *Clement. unic. de ſupplend. neglig. praelat.* (9) *Cap. 2. ext. de conceſſ. praebend.* (10) *Cap. 15. eod.* (11) *Cap. 4. ext. de his quae fiunt a praelat.* (12) *Cit. cap. 2.* (13) *Cap. 3. ext. de ſupplend. neglig. praelat.*

conferre neglexerit, collatio devolvitur ad loci, in quo beneficium vacat, epiſcopum, tamquam ad proximum ſuperiorem (14), non vero ad epiſcopum, ſi vacet ſedes (15). Regulares etiam collatores ſi legitimo tempore non contulerint, ad epiſcopum loci collatio devolvitur. Quod ſi illi exemti ſint, devolutio fit ad R. Pontificem (16), vel ad epiſcopum, tamquam Sedis Apoſtolicae delegatum (17). Tandem in beneficiis iuriſpatronatus, ſi patronus laicus intra quadrimeſtre, eccleſiaſticus intra ſemeſtre a die ſcientiae praeſentare neglexerit, collatio defertur ad eum, qui ius inſtituendi habet, tamquam ad proximum huius negotii ſuperiorem (18). Quare ſi alius, quam epiſcopus dioeceſanus inſtituendi ius habeat, ad illum, non ad epiſcopum devolutio fit (19).

§. IV. Non ſolum ob *negligentiam* devolutio datur in re beneficiaria, verum etiam propter *delictum*, cum nempe ii, ad quos ſpectat, conferunt indignis, ſeu inhabilibus & incapacibus, vel non obſervant formam a Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. praeſcriptam (20). Qui eligunt indignum, privantur poteſtate eligendi pro ea vice, & beneficiis obtentis triennio ſuſpenduntur: ac ius eligendi devolvitur ad capitulum, & contra; capitulo autem non conſentiente, devolvitur ad metropolitanum (21). Sed intereſt, num omnes de capitulo, an maior pars indignum elegerit. Si omnes, electio devolvitur ad R. Pontificem (22): ſi vero maior pars deliquit, ad

(14) *Cit. cap. 2. de conceſſ. praeb.*, & *Clement. unic. de ſupplend. neglig. praelat.* (15) *Cap. unic. ne ſede vacante in 6.*
(16) *Cit. cap. 3.* (17) *Dict. Clement. unic.* (18) *Cap. 3. ext. de iurepatronat.*, & *cap. unic. eod. in 6.* (19) Dartis *de beneſic. cap. 5.* (20) *Cap. quia propter 42. ext. de elect. & electi poteſt.* (21) *Cap. 7. §. ult. eod.* (22) *Cap. 5. §. ſi tamen, ext. de conceſſ. praebend. & cap. 18. de elect. in 6.*

ad minorem electio devolvitur, quum ea iure eligendi ſine facto proprio privari non debeat (23). Quod ſi vicarius epiſcopi contulit indigno, devolutioni locus non datur, nec epiſcopus conferendi iure cadit, niſi collationem habeat ratam (24).

C A P. XXIX.

De beneficiorum conferendorum ratione.

§. I. Canonica eſſe debet beneficiorum collatio. Talis eſt, non modo ſi a legitimo collatore, & idoneo clerico ſine pretio & gratia, ac intra legitima tempora fiat; ſed etiam ſi vacante beneficio, ſine ulla deminutione, & legitima forma expediatur. Ad beneficium itaque rite providendum opus eſt, ut vacet, nempe ut in eo non ſit titularis clericus, qui iure illud poſſideat (1). Nec refert, an beneficium vacet de iure, non de facto, ut quia aliquis eſt in poſſeſſione ſeu intruſus; ſatis enim eſt in ea cauſſa eſſe, ut iure vacans dici poſſit (2). Viventis beneficium dari, aut promitti nequit, ne votum mortis alienae ingeratur, aut eius captandae occaſio tribuatur, uti ſancivit Synodus Lateranenſis ſub Alexandro III. (3). Conſonant duae regulae Cancellariae; altera XXI. *de impetrantibus beneficia viventium*, qua nulla pronuntiatur proviſio beneficii, tamquam vacantis per obitum alicuius tunc viventis, etiamſi poſtea per obitum vacet; altera eſt XXX. *de veriſimili notitia*, qua irrita declaratur colla-

(23) *Cap. 53. ext. de elect.*, & *cap. 2. de poſtulat. praelat.*
(24) Barboſa *lib. III. iur. eccleſ. cap. 13. n. 114.* (1) *Cap. 1. ext. de praeſcript.* (2) *Cap. 28. de praeb. in 6.* (3) *Cap. 2. ext. de conceſſ. praeb.*, *cap. 1. §. ſacri, de homicidio in 6.*

latio beneficii per obitum vacantis, niſi congruum tempus praeceſſerit, intra quod veriſimilis notitia obitus pervenire ad Pontificem potuerit. Nonnullis vero caſibus valet collatio vel promiſſio beneficii nondum vacantis: nempe ſi canonicatus alicui detur ſub promiſſione praebendae primo vacaturae (4): ſi generaliter promittatur beneficium primo vacaturum (5). Eſt etiam caſus, quo beneficium vacans conferri nequit, nempe quando non eſt liberum, ut quia abſenti collatum, qui nondum acceptavit (*6*).

§.II. Vacantia porro beneficia integre & ſine ulla deminutione conferenda ſunt. Beneficiorum & dignitatum ſectionem proſcripſit Synodus Turonenſis ſub Alexandro III. (7). Interdicti ratio poſita eſt in beneficiorum natura, quae unum poſtulant beneficiarium, ſicut una dioeceſis unum requirit epiſcopum, ne capita duo ſint in uno corpore. Et Synodus Lateranenſis ſub eodem Alexandro celebrata (8) vetuit, ne antiſtites conferendo beneficium partem redituum ſibi retineant. Regula vero Concilii Turonenſis exceptionem hanc admittit, niſi iuſta ſubſit cauſſa praebendas dividendi, & plures ex una conſtituendi. Hinc, auctis beneficiorum reditibus, licet epiſcopis ob eccleſiae utilitatem vacans beneficium in duo partiri (*9*): inde etiam iuſta de cauſſa penſio alicui clerico adſignari poteſt.

§.III. In collatione beneficiorum ſervanda eſt forma a iure praeſcripta. Paroeciae omnes providendae ſunt ſecundum formam a Concilio Tridentino (10) de-

(4) *Cap. 9. ext. de praeb.* (5) *Cap. 19. ext. de conceſſ. praeb.* (6) *Cap. 17. de praeb. in 6.* (7) *Cap.8. ext. de praeb.* (8) *Cap. 7. ext. de cenſib.* (9) *Cap. 26. ext. de praeb.* (10) *Seſſ. 25. de ref. cap. 21.*

definitam. Nempe vacante eccleſia paroeciali, *quomodocumque contigerit* (ſive in Curia, ſive extra) vacatio, *etiamſi reſervata vel affecta fuerit generaliter vel ſpecialiter*, eius notitia habita epiſcopus ſtatim, ſi opus fuerit, in ea vicarium idoneum cum fructuum portionis aſſignatione congrua conſtituat, qui interim onera ſuſtineat. Deinde *concurſum indicat per edictum publicum*, *& tranſacto conſtituto tempore*, h.e. dierum decem, examinentur candidati ab epiſcopo, aut, eo impedito, a vicario generali, & examinatoribus ſaltem tribus, ſecundum eiuſdem Concilii formam in Synodo electis. Peracto examine renuncientur, qui *ab examinatoribus idonei iudicati fuerint aetate*, *moribus*, *doctrina*, *prudentia*, *& aliis rebus ad vacantem eccleſiam gubernandam opportunis*: *ex hiſque epiſcopus eum eligat*, *quem magis idoneum iudicaverit*, eique ab eo, cuius eſt conferre, paroecia detur. Quod ſi paroecia ſit *iuriſpatronatus eccleſiaſtici*, *& inſtitutio ad epiſcopum pertineat*, *is quem* patronus digniorem *inter probatos ab examinatoribus cenſuerit*, *epiſcopo* praeſentabit, *ut ab eo inſtituatur*. Si vero ad alium ſpectet inſtitutio, *epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem*, *quem patronus ei praeſentet*, *ad quem inſtitutio pertinet*. Quod ſi patronus ſit laicus, praeſentatus a patrono *ab iiſdem deputatis ut ſupra examinari debet*, *& non niſi idoneus repertus fuerit*, *admitti*; ſecus inſtitutio nulla eſt. Tridentina vero lex de paroeciis praevio *concurſu* conferendis ceſſat, ſi perexigui ſint earum reditus, aut nemo examini ſe ſiſtat, aut in locis ſint apertae factiones, quae in tumultus abirent: his enim caſibus licet epiſcopo privatum examen inſtituere. Quin Romanus Pontifex ſine concurſu paroecias in favorem reſignatas conferre ſolet in forma *dignum* ſub condi-

ditione, ſi idoneus ab epiſcopo reperiatur in examine coram examinatoribus ſynodalibus obeundo. At hodie in Regno eiuſmodi collationibus regium placitum denegatur. Porro beneficia curata regiae collationis a Rege dantur uni ex tribus per Capellanum M. praevio ſaepe concurſu adprobatis & propoſitis: cui collatio primum regio reſcripto conceditur, deinde diploma in forma regiae Cancellariae per Cameram S. Clarae expeditur.

§. IV. Tridentinam de concurſu ad curata beneficia ſanctionem Summi Pontifices paſſim explicuerunt, & ampliarunt. Pius V. (11) ſtatuit, epiſcopum paroeciam in menſe ſuo vacantem conferre intra menſes ſex, ſecus collationem devolvi ad Apoſtolicam Sedem; vacante vero in menſe apoſtolico, ordinarium intra menſes quatuor renuntiare Pontifici, eiuſve Datario magis idoneum ex candidatis, alias collationem a Pontifice fieri ſine concurſu Ordinarii. Expreſſit etiam, patronos legitimo tempore praeſentare idoneum, & hunc intra duos inde menſes inſtitutionem petere. Tandem digniori poſthabito permiſit appellare ab irrationabili iudicio epiſcopi & examinatorum ad metropolitanum, & R. Pontificem; aut ſi metropolitanus, vel exemtus fuerit epiſcopus, ad viciniorem tamquam Sedis Apoſtolicae delegatum, non impedita interim exſecutione praeelectionis ab antiſtite factae. Piana haec conſtitutio apud nos recepta non eſt in iis capitibus, quae iura patronorum imminuunt, & concurſum adimunt in collationibus, vel inſtitutionibus paroeciarum ad Sedem Apoſtolicam devolutis, vel devolvendis vi eiuſdem conſtitutionis; ſecus vero quoad alia capita,

 quae

(11) *Conſt.* in conferendis 33. *data* 15. *kalend. April.* 1567.

quae cum Tridentino & canonibus conſonant (12).

§. V. Deinde Sacra Congregatio Concilii iuſſu Clementis XI. (13) cavit, concurrentibus uno conclavi clauſis eaſdem tempore uno adſignari quaeſtiones & evangelii textus, quibus praeſtituto congruo horarum ſpatio latine reſpondeant, conciuncula vulgari ſermone conſignata, eaque ſinguli manu ſua ſcribant, & ſubſcribant. Adhaec infra dies decem a die collationis digniori reputato factae appellari permiſit a mala relatione examinatorum, & irrationabili iudicio epiſcopi: quo caſu ad iudicem appellationis tranſmittantur clauſa & obſignata acta concurſus originalia, vel exemplaria rite collata coram Vicario generali, vel alio per Ordinarium deputato, ac ſubſcripta per cancellarium, & ipſos examinatores ſynodales: ex quibus ſi gravamen quoad doctrinam appareat, novum inſtituatur examen. Denique Benedictus XIV. (14) expeditiorem concurſus celebrandi ordinem, aliaque in rem hanc provide conſtituit.

§. VI. Canonici theologi munus non niſi ei, qui ab epiſcopo examinatus & adprobatus eſt, committi iuſſit Tridentina Synodus (15). Poenitentiarii quoque officium & praebendam ei conferendam cavit (16), qui *magiſter ſit, vel doctor, vel licentiatus in theologia, vel iure canonico, & aetatem habeat annorum quadraginta, vel alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur epiſcopali iudicio*. Tandem Benedictus XIII. (17) Theologi, & Poenitentiarii munus conferri decrevit, praevio concurſu coram epiſcopo, & quatuor ſaltem exa-

(12) *Reg. reſcript. ad Camer. S. Clarae die* 8. *Iulii* 1747.

(13) *In litteris die* 10. *Ianuar.* 1721. *emiſſis*. (14) *Conſt.* cum illud 68. *Bullar. ſui t.* 1. (15) *Seſſ.* 5. *de ref. cap.* 1.

(16) *Seſſ.* 24. *de ref. cap.* 8. (17) *Conſt.* paſtoralis.

examinatoribus, quamvis ſynodales non ſint, ab eodem epiſcopo deputandis, ſive *ſaecularibus*, ſive *regularibus*, *in theologica facultate licentiatis*: ut collatio fiat digniori ab examinatoribus renuntiato, in menſibus quidem ordinariis ab epiſcopo, in reſervatis vero ab Apoſtolica Sede, ad quam acta concurſus tunc tranſmittenda ſunt.

§. VII. Iure communi collatio beneficii verbo fieri poteſt: ſcriptura opus non eſt. Sed ad fraudes amoliendas receptum eſt, ut ſcripto fieret, nec niſi expeditis litteris, quas *Patentes* dicunt, poſſeſſio beneficii detur. Formulam collationis Ordinariorum exhibent Rebuffus (18), & Barboſa (19). Ea quinque partibus conſtat. In prima collator ſalutem beneficiario dicit, eiuſque meritis ſe excitatum ſignificat ad dandum beneficium. In ſecunda exponit vacationis modum, tempus, titulum & locum beneficii; item nomen beneficiarii, cuius morte, vel reſignatione beneficium vacaverit. In tertia delegat tabellionibus, aliiſque, ut proviſum in beneficii poſſeſſionem immittant. In quarta ait iuſſiſſe litteras de ea re expediri, ſignari, & tradi. In quinta demum annus, menſis, & dies collationis apponitur.

C A P. XXX.

De inſtitutione canonica.

§.I. BEneficium ſine canonica inſtitutione obtineri nequit (1). Ea in *collativam*, *auctorizabilem*, & *corporalem* tribuitur. De his omnibus ſin-

(18) *Part. 1. prax. benefic. tit. requiſita in litteris collationum.* (19) *Appendic. ad tractat. de offic. epiſcop. formul.* 67.
(1) Bonifac. VIII. *cap. 1. de R. I. in 6.*

gulatim. Inſtitutio collativa eſt datio tituli ipſius beneficii. Haec iure communi ad ſolum epiſcopum ſpectat (2). Verum praeſcriptione, vel conſuetudine ab inferioribus praelatis adquiri poteſt (3).

§. II. Inſtitutio *auctorizabilis* eſt ea, per quam epiſcopus alicui tribuit curam animarum, poſtquam collatio beneficii facta eſt ab eo, qui ius conferendi habet. Haec ad ſolum epiſcopum pertinet. Sane Chriſtus, quam a Patre accepit poteſtatem eccleſiae adminiſtrandae, eam Apoſtolis communicavit, atque hi epiſcopis ipſorum ſucceſſoribus, nihilque in eccleſia fieri debere ſine epiſcopo, ideſt ipſo inſcio, nec conſentiente, aut approbante, regula eſt ab apoſtolicis temporibus tradita (4). Alexander III. (5) reſpondit, *a ſanctorum patrum inſtitutionibus alienum eſſe, ut Archidiaconus auctoritate propria cuilibet eccleſiarum curam committat*. Concilium Toletanum an. 1324. (6) cavit, ut *nullus in curato beneficio adminiſtret, donec in eo per dioeceſanum epiſcopum inſtitutione auctorizabili fuerit inſtitutus, ſeu ſibi cura commiſſa fuerit animarum; alioquin iure, quod habet in praedicto beneficio, non obſtante contraria conſuetudine, ſit privatus*. Scite ex canonibus colligit Thomaſſinus (7), *epiſcopo ſoli a Chriſto populum Dei commendatum, adeoque eius eſſe probare & adſciſcere ſibi, quos idoneos cenſuerit, in quos divinae huius ſarcinae partem deponant: ſolum epiſcopum poſſe miſſione & iuriſdictione canonica impartire inferiores paſtores, qui ſummus ipſe paſtor ſui gregis divinitus conſtitutus, & ple-*

(2) *Cap. 3. ext. de inſtit.* (3) *Cap. 6. de inſtit., cap. 2. de exceſſib. praelat., cap. 15. & 18. de praeſcript.* (4) Conſ. Binghamum *lib. II. origin. eccleſ. cap. 3. §. 7.* (5) *Cap. 4. ext. de offic. Archidiac.* (6) Ap. Labbeum *concil. tom. XV. p. 227.*
(7) *Diſcipl. part. II. lib. I. cap. 26.*

plena iuriſdictione donatus eſt: ſolum epiſcopum, ut ſuae principem eccleſiae, doctorem, & interpretem canonum internoſcere poſſe, qui ſint, & qui non ſint idonei beneficiis adminiſtrandis. Et Van Eſpen (8): *Quia*, inquit, *epiſcopatus plenitudinem ſacerdotii habet, atque ex eius plenitudine in inferiores miniſtros defluit, nemo ea, quae curam animarum reſpiciunt, in eius dioeceſi exercere poteſt, niſi auctoritate & facultate ab epiſcopo accepta*. Adeo epiſcopalis ordinis propria eſt inſtitutio auctorizabilis, ut praeſcriptione, vel conſuetudine ab inferioribus praelatis adquiri nequeat; quum eae adverſus publicam eccleſiae auctoritatem non admittantur (9).

§.III. Inſtitutio corporalis eſt traditio nudae poſſeſſionis beneficii iam collati. Qui enim poſſeſſionem apprehendit ante collationem, *intruſus* dicitur (10), ac ſtatim cadit iure quaeſito, & excommunicationem incurrit (11). Nec licet beneficiario auctoritate ſua poſſeſſionem capere (12). Haec inſtitutio ſpectat ad antiſtitem collatorem (13). Iure Decretalium etiam Archidiaconus beneficiarios in poſſeſſionem immittit (14). Sed receptis moribus quilibet eccleſiaſticus, vel notarius id poteſt vi clauſulae bullis epiſcopalibus adiici ſolitae, qua beneficiarii in poſſeſſionem immiſſio ſingulis clericis & notariis demandatur. Proviſos autem apoſtolicos executor ſpeciatim delegatus in poſſeſſionem immittit. Capitur autem poſſeſſio per ingreſſum in eccleſiam, ubi eſt titulus beneficii, adhibitis ſymbolis quibuſdam uſu re-

 ce-

(8) *Iur. eccleſ. part. I. tit.* 16. (9) *Cit. cap.* 4. *de offic. Archidiac.*, & *l. praeſcrips. C. de operib. public.* (10) *Cap.* 18. *ext. de praebend.* (11) *Cap.* 3. *ext. de inſtit.* (12) *Cap.* 19. *ext. de reſtit. ſpoliat.* (13) *Cap.* 9. *ext. de privileg.*
(14) Innoc. III. *cap.* 7. *de offic. Archidiac.*

ceptis, quae poteſtatem munuſque beneficiarii ſignificant: tum actus captae poſſeſſionis conficitur in publico inſtrumento, vel ad calcem ipſarum litterarum. Canonici vero cathedrales & collegiati poſſeſſionem accipiunt coram Capitulo ſollemniter convocato, praeſtito iureiurando de ſervandis ſtatutis ipſius capituli. Ante poſſeſſionem beneficiarii, praeſertim parochi obedientiam epiſcopo ſuo iurare debent, quique praebendas & dignitates in eccleſiis cathedralibus obtinent, coram Epiſcopo & Capitulo catholicam fidem profitentur (15).

§. IV. Plures inſtitutio corporalis, ſeu poſſeſſio parit effectus. Beneficiarius enim a die captae poſſeſſionis fructus facit ſuos; ſine ea enim demandatum officium, ob quod ius fructus percipiendi adquirit, explicare nequit. Interdictum retinendae, vel recuperandae poſſeſſionis ei datur ſine tituli editione (16). Antefertur poſſeſſor ei, qui idem beneficium eodem die obtinuit (17). Adhaec ex Cancellariae regula XXXV. *de annali poſſeſſore*, qui beneficium per annum pacifice poſſidet, ſi lis ab alio, qui idem beneficium tamquam vacans impetravit, ei intendatur, poſſidere pergit: quod obtinet, ſi titulus ſine patenti vitio ſit, & ab eo datus, qui ius habet conferendi. Ex regula vero XXXVI. *de triennali poſſeſſione*, qui continuo triennio beneficium pacifice poſſedit cum titulo colorato, ſecurus eſt, nec ei controverſia moveri poteſt, tamquam per uſum ipſo beneficii titulo quaeſito. Iam titulus aut *iuſtus* eſt, aut *coloratus*. Si iuſtus ſit titulus, veluti ſi legitime electus, vel inſtitutus in beneficio fuerit, opus non eſt

(15) Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de ref. cap.* 12. (16) *Cap.* 5. *ext. de reſtit. ſpoliat.* (17) *Cap.* 31. *de praebend. in* 6.

eſt triennali poſſeſſione confirmari. Opus autem eſt, ſi *coloratus* ſit, hoc eſt habeat tantum figuram & colorem tituli. Talem habere dicuntur, qui titulum habent ab his, ad quos collatio beneficiorum ſpectat, ſed ex aliquo defectu accidit, ut coloratus is ſit, non iuſtus, aut potior: veluti, ſi pluribus in conferendi iure concurrentibus, inſtitutus ab eo qui praeventionis iure potior non erat, poſſederit per triennium: ſi electio, vitium habens, facta fuerit ab eligendi poteſtatem habentibus: ſi collatio facta ſit ab eo, cui ne conferret, ab exſecutore erat interdictum. Reliqui omnes, ſive habuerint titulum ab iis, qui conferendi poteſtate carent, ſive beneficia invaſerint auctoritate ſua, ſive ſine ullo praecedente, aut falſo nixi titulo poſſederint beneficia, ſive titulo prius legitime adquiſito privati nihilominus retineant beneficia, ſive habeant quidem titulum a conferendi poteſtatem habentibus, ſed interdictis vel excommunicatis, dicuntur poſſeſſores *violenti*, aut *intruſi* (18).

C A P. XXXI.

De beneficiariis.

§.I. HActenus de beneficiorum collatoribus, eorumque rite conferendorum ratione ac forma: nunc de iis, quibus beneficia diſtribui debent. Tantum idoneis beneficia ſunt conferenda. Tales ſunt, qui potiſſimum ordine, aetate, moribus, ſcientia, coelibatu, & naturalitate pollent. Quod ad ordinem, beneficia ad ſacrum miniſterium obeundum inſtituta dumtaxat clericis dari debent, ſaltem pri-

(18) *Cap. 15. ext. de purgat. canonic.*

ma tonſura initiatis, per quam *ordo clericalis* confertur (1). Diu beneficia ordinationi ipſi adhaeſerunt, & poſt illa ab ordinibus disiuncta, idem ius ſtetit. Iure Concilium Turonenſe an. 1060. (2): *Miniſterium aut beneficium*, ait, *non niſi clericos habere ſanctorum patrum ſancivit auctoritas*. Laici ergo beneficiorum incapaces ſunt, quum ſacra munera exercere nequeant. Tantum ex lege fundationis conſenſu eccleſiae probata laico patrono praebenda vel dignitas eccleſiaſtica reſervari poteſt. Sic in eccleſia S. Nicolai Barienſis prima theſaurarii dignitas & canonicalis praebenda Regibus noſtris a Carolo II. Andegavenſi reſervata eſt (3).

§. II. Ex beneficiis autem alia certum ordinem *aptitudine*, alia *actu* requirunt. Illa dantur iis, qui etſi ordine beneficiis adnexo careant, ea tamen aetate ſunt, ut intra annum ſuſcipere poſſint; haec vero illis, qui certo ordine iam initiati ſunt. Sane quaedam beneficia ſunt ſacerdotalia, quae requirunt ſacerdotes, ſive de iure, uti paroecia, archipresbyteratus, ſive ex fundatione, conſuetudine, vel ſtatuto; quaedam diaconalia, quae diaconatus ordinem, quaedam ſubdiaconalia, quae ſubdiaconatum requirunt: atque haec conferri poſſunt clericis requiſito ordine carentibus, ſed tamen intra annum accipere queunt; niſi ex lege fundationis vel eccleſiarum conſuetudine ordinem actu poſtulent. Concilium Tridentinum (4) cavit, ut qui beneficia quaecumque in cathedralibus & collegiatis eccleſiis poſſident, intra annum certum ordinem iis adnexum ſuſcipiant.

Fu-

(1) *Cap. cum contingat ext. de aetat. & qualit. ordinand.*
(2) *Can.* 1. (3) Vid. Beatillum *lib. III. hiſt. Barenſ.*
(4) *Seſſ. 22. de ref. cap. 4.*

Fuſe de hac re Van Eſpen (5), quem adi.

§. III. Legitima quoque aetas in beneficiis adſequendis requiritur. Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. (6) annum 25. inchoatum in decanis, archidiaconis, & parochis requiſivit. Inde Tridentina Synodus (7) Lateranenſe decretum confirmavit, cavitque, promovendum ad paroecias & dignitates, quibus cura ſubeſt animarum, debere aetatis annum 25. attigiſſe: ad dignitates ac perſonatus, quae nullam habent curam animarum, maiores annis 22. promovendos eſſe (8): ad beneficia ſimplicia, adeoque canonicatus obtinendos, annum 14. inchoatum ſufficere (9); niſi canonicis incumbat onus, quod ſacrum ordinem requirit, quo caſu ea aetate eſſe debent, qua intra annum ſacris ordinibus initiari poſſint (10). Haec conſtitutio de aetate ad ſimplicia beneficia conſequenda ſic a canoniſtis accepta eſt, ut in beneficiis ante Tridentini Concilii publicationem fundatis praeſentari & inſtitui poſſint clerici ſeptennio maiores, at in aliis poſtea fundatis nonniſi qui annos 14. habent. Ceterum ſtatuta ad beneficia obtinenda aetas nihil commune habet cum aetate ad ordines neceſſaria. Hinc presbyter ante annum 25. ex diſpenſatione inauguratus, adhuc curatis beneficiis adſequendis incapax eſt.

§. IV. Iam potiſſima morum ratio in beneficiariis eligendis habenda eſt. Scitum eſt, quales in civitate ſunt praefecti, tales eſſe reliquos cives ſolere. Id de eccleſiae praelatis & miniſtris veriſſime praedicatur, qui eſſe *forma gregis* debent. *Quomodo enim poteſt*

(5) *Iur. eccleſ. part. II. ſect. 3. tit. 2. cap. 2.* (6) *Cap. 7. §. 2. ext. de elect.* (7) *Seſſ. 24. de ref. cap. 13.* (8) *Ibid.* (9) *Seſſ. 23. de ref. cap. 6.* (10) *Seſſ. 22. de ref. cap. 4.*

poteſt, interrogat Hieronymus (11), *praeſes eccleſiae auferre malum de medio eius, qui in delictum ſimile corruit, aut qua libertate peccantem corripere poteſt, cum tacitus ipſe ſibi reſpondeat, eadem ſe admiſiſſe quae corripit?* Vix orationem eius a Deo exaudiri, qui indignus eſt ſacerdotio & miniſterio Dei, ait Iuſtinianus (12). Hinc maiores noſtri publice in mores ordinandorum clericorum, & antiſtitum inquirere conſueverunt (13). Quare beneficiis excluduntur infames iuris vel facti, quibus portae dignitatum & beneficiorum non patent (14): rei haereſis, ſchiſmatis, ſimoniae, aliorumque criminum (15): excommunicati aliave cenſura obſtricti, donec abſolvantur (16): haereticorum filii ad ſecundum in linea paterna gradum, & ad primum in materna (17): ac generatim irregulares omnes.

§. V. Praeter mores, ſcientia in evehendis ad beneficia exigitur. Scitiſſime Synodus Aquiſgranenſis an. 816. (18) docet: *Tam doctrina, quam vita clarere debet eccleſiaſticus doctor; nam doctrina ſine vita arrogantem facit, vita ſine doctrina inutilem reddit*. Profecto, *ſi in laicis vix tolerabilis videtur inſcitia, quanto magis in eis, qui praeſunt, nec excuſatione digna eſt, nec venia?* inquit Leo M. (19). Deus praecepit (20): *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore eius*. Sacerdotis partes ſunt, docere verbum Dei, contradicentes refellere, poſcenti rationem de fide ſua reddere (21),

mo-

(11) *In ep. ad Tit. cap.* 1. (12) *Nov.* 123. (13) *Lamprid. in Alexandr. Sever.* (14) *Cap.* 87. *de R. I. in* 6.
(15) *Conf. quae lib. III. variis titulis diſſeremus*. (16) *Cap.* 7. *ext. de cleric. excommunic. miniſtr.* (17) *Cap.* 2. *&* 15. *de haeretic. in* 6. (18) *Can.* 22. (19) *Apud Gratian. can.* 3. *diſt.* 38. (20) *Malach. cap.* 2. *v.* 7. (21) Paul. *ad Tit. cap.* 1. Petr. *ep.* 1. *cap.* 3.

mores componere ad canonum amuſſim: quae omnia ſine doctrina & eruditione praeſtari nequeunt. Hinc illitterati beneficiis arcentur: *Quia tu ſcientiam repuliſti*, ait Dominus (22), *repellam te, nec ſacerdotio fungaris mihi*. Quamvis autem eminens ſcientia deſideretur, tamen toleratur competens (23), quae nempe explendis collati beneficii oneribus ſufficit. Quumque diſtincti ſint gradus in ſacris miniſtris, & alter altero gravior, non aequalis in omnibus ſcientia requiritur; alia enim in epiſcopis, alia in parochis, alia in presbyteris, alia in reliquis clericis exigitur. Concilium Tridentinum (24) ſtatuit, paroecias iis conferendas, qui ſcientia, aliiſque requiſitis commendantur, ideoque antea in univerſitate ſtudiorum magiſtri, ſive doctores, ſive licentiati in theologia vel iure canonico ſint promoti, aut publico alicuius Academiae teſtimonio idonei ad alios docendos oſtendantur. Rurſus (25) cavit, ut Archidiaconi in omnibus eccleſiis, ubi fieri poteſt, & Poenitentiarius aliquo ex iiſdem gradibus academicis fulgeant: quo decreto haud comprehendi Archidiaconos, quibus nulla ſubeſt animarum cura, S.Congregatio (26) declaravit. Eadem Synodus (27) optavit, dignitates omnes, & ſaltem dimidiam partem canonicatuum in eccleſiis cathedralibus vel collegiatis inſignibus dari viris ſcientia praeſtantibus, qui gradum aliquem academicum in theologia aut iure canonico habeant.

§. VI. Coelibatus etiam in beneficiis adſequendis re-

(22) *Oſeae cap. 4. v. 6.* (23) *Cap. 10. ext. de renunciat.*
(24) *Seſſ. 22. de ref. cap. 2.* (25) *Seſſ. 24. de ref. cap. 12.*
(26) *Apud Gallemart in declarat. ad cit. cap. 12.*
(27) *Cit. ſeſſ. 24.*

requiritur. Hodie ita ius eſt apud Latinos, ut coniugati ab omnibus ordinibus & beneficiis eccleſiaſticis excludantur (28): quin & beneficia ante matrimonium obtenta ſtatim amittant (29). Praecipua huius iuris ratio conſiſtit in graviſſimis matrimonii oneribus, quae muneris eccleſiaſtici functionem impediunt. Cicero rogatus ab Hirtio, ut poſt repudium Terentiae duceret ſororem eius, negavit id facere, dicens: *Non poſſe ſe uxori & philoſophiae pariter operam dare* (30).

§. VII. Sed & *naturalitas* concurrere debet; aequiſſimum enim eſt, indigenas idoneos extraneis praeferri. Olim extranei habebantur, qui non erant ex eiuſdem eccleſiae gremio, multoque magis ex eodem regno. Ex veteri diſciplina beneficiarii eligi debebant ex ipſius loci incolis, & eiuſdem eccleſiae ſinu; nemo enim ordinationem, cui beneficia haerebant, accipere poterat, niſi indigena: peregrini tunc arceſſebantur, cum aut meritis praeſtarent, aut naturales nulli reperirentur idonei. Concilium Chalcedonenſe (31) *clericos in eccleſia ſuae civitatis vel poſſeſſionis* ordinari iubet. Concilium CPolitanum IV. (32) vetat, dignitates & honores exteris dari, excluſis iis, qui de gremio ipſius eccleſiae ſunt. Caeleſtinus I. (33) prohibet, emeritis in ſuis eccleſiis clericis exteros praeferri, ne in aliena ſtipendia obrepant. Leo M. (34) mandat, epiſcopum ex presbyteris eiuſdem eccleſiae, vel diaconibus optimum eligi. Impp. Arcadius & Honorius (35) clericos ex ea poſſeſſione vel vico, ubi

(28) *Cap. 1. & 5. ext. de cleric. coniugat.* (29) *Cit. cap. 1.*
(30) Hieronym. *adv. Iovinian.* (31) *Can. 6.* (32) *Can. 13.*
(33) *Ep. ad epiſcop. Viennenſ. & Narbonenſ.* (34) *Ep. ad Anaſtaſ. Theſſalonic.* (35) *L. 2. C. de epiſcop. & cleric.*

ubi eccleſiam eſſe conſtiterit, ordinari reſcripſerunt. Haec diſciplina dandi civibus beneficia, excluſis exteris, etiam in eccleſiis regni noſtri viguit. Eam tam ſancte ſervavit Pelagius I. (36), ut maluerit electum civem cum ſuperſtite adhuc uxore & filiis, quam qui de numero civium non eſſet, ad Syracuſanum epiſcopatum admittere. Inde Gregorius M. (37) epiſcopos in Sicilia de clero ipſarum eccleſiarum eligi praecepit. Idem Pontifex (38) nullum de altera eccleſia eligi Panormitanum antiſtitem permittit, niſi deficiente idoneo inter clericos ipſius civitatis. Adhuc ſaeculo XII. beneficiariis dabantur, qui de eiuſdem eccleſiae gremio eſſent, uti liquet ex Gratiano (39), & Innocentio III. (40). Inde vetus hoc ius anteferendi ceteris propriae eccleſiae clericos idoneos, aequitati & publico bono prorſus conſonum, paſſim labefactatum eſt, adſcitis exteris ad beneficia in alienis eccleſiis & regnis. Cauſſam huic mutationi dederunt Pontificum mandata de providendo, & reſervationes inde ortae. Rem magis promovit nova, quae ſaeculo XII. Romae emerſit, opinio, clericos nempe Romanae eccleſiae, quae ceterarum caput eſt, tamquam e gremio cuiuſcumque eccleſiae haberi, ac degentes Romae, quae communis patria eſt, ubique terrarum tamquam in propria patria verſari. In Tridentino quidem Concilio deliberatum, an beneficia, ſaltem paroeciales eccleſiae indigenis addicerentur ſecundum patrum regulas; ſed ob duram temporum conditionem res in medio re-

licta

(36) *Ep. ad Ceshegum patricium*, *in can. de Syracuſanae diſt.* 28. *&* *ap. Labb. tom. VI. Conc. col.* 484. (37) *Lib. I. ep.* 18. (38) *Lib. XIII. ep.* 13. Conſ. Thomaſſin. *diſcipl. part. II. lib. II. cap.* 10. (39) *Can. hortamur diſt.* 71. (40) *Cap.* 10. *ext. de conceſſ. praebend.*

licta eſt. Interim dubitandum non eſt, hanc fuiſſe Synodi mentem, ut veteres regulae, moreſque hac in re renovarentur; quin diſerte Concilii Chalcedonenſis canonem VI. innovavit, quo clerici ex ipſius eccleſiae ſinu ordinabantur, & ad maiores in eadem gradus attollebantur. Non ergo vetus dandi beneficia clericis eiuſdem eccleſiae diſciplina revixit. Tantum multorum regnorum ſtatutis ad beneficia admiſſi ſunt oriundi ſeu *naturales*, excluſis alienigenis, qui de eodem regno non ſunt, niſi *naturalitatis* litteras a rege impetraverint: quod in Gallia, Hiſpania, Luſitania, & alibi obtinet. Apud nos Carolus VI. Imp. beneficia & penſiones huius regni tantum eiuſdem civibus dari iuſſit. Sed poſteriora haec ſtatuta potius politico, quam eccleſiaſtico regimini proſpexerunt; diſtant enim a patrum regulis, quibus beneficia clericis eiuſdem eccleſiae addicuntur.

§. VIII. Iam vero ex pluribus idoneis clericis, beneficium *digniori* conferendum eſt. Quum enim beneficiorum collatio eccleſiae utilitatem ſpectare debeat, quo digniores ſunt paſtores & beneficiarii, eo melius eccleſia regitur, & virtutibus proficit. Generatim munera viris, non viri muneribus honeſtandi ſunt. Qui ſecus faciunt, male conſulunt eccleſiae. Verba Leonis M. (41) uſurpo: *Non eſt hoc*, inquit, *populis conſulere, ſeu nocere; non praeſtare regimen, ſed augere diſcrimen: integritas enim praeſidentium ſalus eſt ſubditorum*. Gregorius M. (42) praeferri *meliorem* iubet, & ad minus idoneum, urgente neceſſitate, tandem deveniri permittit. Innocentius III. (43) beneficia *in perſona magis idonea* diſpenſari ſtatuit. Di-

(41) *Ep.* 87. (42) *Lib. V. ep.* 17. (43) *Cap. unic. ext. ut benefic. ſine deminut. conferant.*

Dignior autem eſt *melior non ſimpliciter*, *ſed quoad hoc*, uti ſcite B.Thomas (44), nempe qui ex praeſenti rerum ſtatu eccleſiae, cui praeficiendus eſt, utilius futurus ſit. Quid ſi beneficium digno, poſthabito digniore, conferatur? Diſtinguendum inter curatum, & ſimplex beneficium. Curatum omnino conferendum *magis idoneo*, uti Patres Tridentini (45) decernunt; ſecus infecta collatio eſt. Simplex quoque beneficium digniori dandum eſt; quum etiam hoc detur ob eccleſiaſticum miniſterium, quod quo melius impletur, eo magis eccleſiae utilitas procuratur. Vere S. Thomas (46) docet, etiam beneficium ſimplex in foro interno *digniori* dandum eſſe; at in foro externo valere collationes dignis factas, omiſſis dignioribus, ut ita lites praecidantur. Atque hoc ſenſu iure decretalium valent collationes dignis factae, & collatores poenis afficiuntur, quum indignos beneficiis donant, aut eligunt (47).

CAP. XXXII.

De beneficiariorum iure, & obligationibus.

§.I. Altaris miniſtris ius eſt de ipſius altaris bonis alimenta percipere. Diſerte Chriſtus apud Matthaeum (1) ait: *Dignus eſt operarius cibo ſuo*, ſeu *mercede ſua*, uti Lucas (2) expreſſit. Hoc ſacrorum miniſtrorum ius vivendi de altari argumentis ab iure naturali, Moſaico, & Evangelico petitis adſtruit Paullus (3): *Quis*, ait, *militat ſuis ſtipen-*

(44) 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. (45) *Seſſ.* 24. *de ref. cap.* 1.
(46) 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. (47) *Cap.* 29. *ext. de praeb.*
(1) *Cap.* 10. *v.* 10. (2) *Cap.*10. *v.* 7. (3) 1. *ad Cor.IX.* *v.* 7. *ſeqq.*

pendiis? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? . . . . Scriptum eſt in lege Moyſi, non adligabis os bovi trituranti . . . ſi nos ſpiritualia vobis ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? . . . Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quae de ſacrario ſunt edunt; & qui altari deſerviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Hac ſacrarum litterarum doctrina utitur Innocentius III. (4): *Qui altari ſervit, vivere debet de altari; & qui ad onus eligitur, repelli non debet a mercede*. Merces autem ſacris miniſtris debita non eſt pretium laboris, ſed medium vitae ſuſtentandae, ut in Evangelio laborare queant. Gratis ii dare debent, quod gratis acceperunt; ſecus eſſet Evangelio abuti ad turpem quaeſtum. Optime Auguſtinus (5): *Non redditur*, inquit, *ſuſtentatio neceſſitatis a populo quaſi merces illis, qui ſibi in caritate ſerviunt, ſed tamquam ſtipendium, quo, ut poſſint laborare, paſcantur*. Et S. Thomas (6) tradit, alimenta clericis dari *non tamquam pretium mercedis, ſed tamquam ſtipendium neceſſitatis*.

§. II. Porro beneficiariorum ius de altari vivendi honeſta tantum ſuſtentatione coërcetur; non enim domini, ſed meri ſunt redituum eccleſiaſticorum adminiſtratores, rationem villicationis veris dominis reddituri (*a*). Ad rem Hieronymus (7): *Qui altari ſer-*

(4) *Cap. 6. ext. de praebend.* (5) *Lib. de paſtorib. cap. 2.*
(6) *2. 2. q. 100. art. 2.* (7) *In ep. ad Tit. cap. 1.*

(a) Num beneficiarii ſint domini redituum ſuorum, an meri adminiſtratores, magnis animis ſuperiore maxime ſaeculo di-

ſervierint, de altari vivant. Vivant, inquit, non divites fiant. Concinit Bernardus (8): *Dignum eſt, ut qui altari deſervit, de altari vivat. Conceditur ergo tibi, ut, ſi bene deſervis, de altario vivas; non autem ut de altario luxurieris, ut de altario ſuperbias, ut inde compares tibi frena aurea, ſellas depictas, calcaria deargentata, varia griſeaque pellicea a collo &*

(8) *Ep. 2. ad Fulcon.*

diſputatum eſt. Navarrus *de reditib. eccleſ. q. 1. n. 17. & Apolog. contr. Sarmient.* Comitolus *reſp. moral. lib. I. q. 70.* aliique tuentur, beneficiarios ſimplices eſſe diſpenſatores fructuum, detractiſque neceſſariis alimentis, quod ſupereſt pauperibus & eccleſiae largiri debere; ſecus ex lege iuſtitiae ad reſtitutionem obſtringi. Contra Sotus *de iuſtit. & iur. lib. X. q. 4. art. 3. concluſ. 6.* Sarmientus *de reditib. eccleſ. part. 4. cap. 6.* Marſilius Columna *de reditib. eccleſ.* aliique non pauci ſtatuunt, hodie poſt diſtributionem redituum in quatuor partes, & beneficiorum inſtitutionem, clericos eſſe dominos redituum ſuorum eo modo, quo uſufructuarii ſunt fructuum domini. Sed in tranquillo tempeſtates ne ciantur. Satis enim liquet, bonorum eccleſiaſticorum dominium civile, ſeu privatum eſſe penes eccleſias particulares, quae chriſtianis & paſtore ſuo conſtant, quibus bona addicta ſunt, uti ſcite Sarpus *tract. de mater. benefic. n.21. q.2.* aliique ſentiunt. Certum quoque eſt, ex mente offerentium res eccleſiis donatas in uſum religioſum impendendas eſſe, h. e. exhibendis clericis, & miſeris, eccleſiis aedificandis & conſervandis, ſacriſque inſtrumentis comparandis. Clericis quidem bene ſervientibus non niſi neceſſaria alimenta ex altari deberi, non tamquam mercem laboris, ſed neceſſarium vitae medium; reliqua in uſum religionis inſumenda eſſe. Inſtitutis beneficiis non ſacri patrimonii naturam, ſed tantum eius adminiſtrandi formam fuiſſe immutatam: ideoque in pios uſus impendi debere, nec niſi neceſſaria alimenta ex eo clericos delibare poſſe. Haec omnia ex puro eccleſiae fonte hauſta praeclare adſtruunt, beneficiarios eſſe meros adminiſtratores bonorum eccleſiae, nec fructuum dominium habere, & ex iuſtitia debere rationem illorum domino reddere, excepta frugali ſuſtentatione.

manibus ornatu purpureo diverſificata. Concilium Carthaginienſe IV. (9) cavit: *Epiſcopus vilem ſupellectilem, & menſam & victum pauperem habeat, & dignitatis ſuae auctoritatem fide & vitae meritis quaerat*. Concilium Tridentinum (10), innovato Carthaginienſi decreto, praecipit, ut epiſcopi *modeſta ſupellectili, & menſa, & frugali victu* contenti ſint, inque omnibus ſimplicitatem, & vanitatum contemtum praeferant, nec eccleſiae reditibus conſanguineos & familiares ſuos augeant: idemque ſervari ab omnibus beneficiariis, & Cardinalibus iubet. Baſilius uno pallio, ſtrato humi lectulo, ac pane & aqua contentus fuit (11). Chryſantes epiſcopus nihil, praeter duos panes, pro victu ſingulis diebus ex bonis eccleſiae ſumebat (12). Mitto Caroli Borromaei, Bartholomaei de Martyribus, aliorumque antiſtitum in victu, veſte, & ſupellectili modeſtiam ſingularem.

§. III. Honeſtae ſuſtentationis nomine venit frugalis victus, modeſtus veſtitus, decens habitatio, & ſupellex clericatui conveniens: item ſalaria eorum, qui beneficiario famulari debent, ſecundum dignitatis gradum, habita loci, in quo degit, aut officii quod gerit, ratione: immo honeſtae quoque ſuſtentationis pars ſunt ſumtus, qui ad exercendam pro gradu hoſpitalitatem, & ad modicas donationes remuneratorias ſine luxu & intemperantia, ex prudenti conſilio faciendi ſunt. Equidem hodie medium tenere epiſcopos & beneficiarios velim, ut & a luxu divitiarum ſibi caveant, & iuſta habeant cenſuum epiſcopalium obſequia, tamquam neceſſaria epiſcopalis di-

(9) *Can.* 15. (10) *Seſſ.* 24. *de ref. cap.* 1. (11) Nazianzen. *orat.* 20. *de laudib. Baſilii*. (12) Socrat. *lib. VIII. H. E. cap.* 12.

dignitatis & oneris ſolatia, maxime inter iniqua tempora, quibus eccleſia ſine abiectionis periculo paupertatem ferre nequit. Hac de cauſſa Ivo Carnotenſis (13) diſſuaſit, ne Tornacenſis eccleſia ab epiſcopatu Noviomenſi abſciſſa proprium acciperet epiſcopum: *Propterea cum dignitas epiſcopalis paupertatem his diebus honeſte ferre non valeat, providendum eſt, ne iſta diviſione uterque epiſcopus fiat.*

§. IV. Beneficiarii itaque, praeſertim epiſcopi, honeſtis alimentis contenti, lucrum quaerant animarum, non pecuniarum: in loculis mammonae & iniquitatis opes ne congerant. Paullus Samoſatenſis damnatus eſt, quod ex paupere divitias malis artibus paraſſet, *quaeſtum ducens pietatem*. Iure expoſtulat Petrus Bleſenſis (14): *Hodie in promotione quorumdam prima quaeſtio eſt, quae ſit ſumma redituum, non quae converſatio ſubiectorum. Verumtamen Deus non irridetur. Ad honorem vocavit te propter onus, non ad multiplicandum numerum familiae, aut equorum, non ad dandas parentibus dignitates, ſed ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius*. Et S. Bernardus (15): *Ipſa*, inclamat, *eccleſiaſtica dignitatis officia in turpem quaeſtum & tenebrarum negotia tranſiere; nec in his ſalus animarum, ſed luxus quaeritur divitiarum*. Hinc fit, *ut mundi lucrum quaeratur ſub eius honoris ſpecie, quo mundi deſtrui lucra debuerant*, uti belle Gregorius M. (16).

§. V. Frugali quoque menſa utantur beneficiarii; ſecus noverint, ſe alienis peccatis ſaginari. Ad rem Iulianus Pomerius (17) ſcribit: *De clericis dicit per*

(13) *Ep.* 238. (14) *Ep.* 15. (15) *Serm.* 6. *in pſalm.* qui habitat *in fin.* (16) *In Paſtorali part. I. cap.* 8. *in fin.*
(17) *Lib. II. de vit. contemplat. cap.* 10.

Prophetam Spiritus Sanctus, peccata populi mei comedunt. Intemperantibus clericis graviter ſuccenſet Petrus Bleſenſis (18): *Bona eccleſiarum in victum & veſtitum conceſſa, bona, inquam, pauperum Chriſti in ſuperfluos uſus conſumimus . . . . Patrimonium, quod ſibi tam glorioſe comparavit, guloſe conſumimus*. Veſtium & ornamentorum vanitatem in chriſtiani ſacerdotii gravitate & modeſtia ne quaerant: animi, non corporis cultu fulgere ſtudeant. Iamdiu obſervavit Bernardus (19): *Cernitur in nonnullis ſacerdotibus veſtium cultus plurimus; virtutum autem nullus, aut exiguus*. Idem ſanctiſſimus vir (20) hortatur: *Contenti ſimus veſtimentis, quibus operiamur, non quibus laſciviamus, non quibus mulierculis vel ſimilari, vel placere ſtudeamus*. Nae levis, molliſve animi indicia praebent clerici crinibus intortis, calamiſtro rotatis & cincinnis, alboque conſperſis, annullis radiantes, ſtrictiſſimis quibuſdam uncinulis calceati. *Talis cum videris*, ait Hieronymus (21), *ſponſos magis exiſtimato, quam clericos*.

§. VI. Partem ergo redituum, quae frugali ſuſtentationi ſupereſt, in pios uſus impendere beneficiarii tenentur, utpote meri Chriſti & pauperum patrimonii adminiſtratores; ſecus ſacrilegum admittunt furtum, & ex iuſtitia dominis reſtituere coguntur. Vere Bernardus (22) ſcribit: *Quidquid praeter neceſſarium victum & ſimplicem veſtitum de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt*. Idem obtinet, licet parcius vivendo, ſuperflua corraſerint; non enim alterius conditionis ſunt, atque ea, quae ho-

(18) *Serm. 12. in quadrageſim.* (19) *Ep. 42. ad Henric. Senonenſ.* (20) *Ep. 2. ad Fulcon.* (21) *Ep. ad Euſtoch.* (22) *Ep. 2. ad Fulcon.*

honeſtae ſuſtentationi ſuperſunt: nec porro ſordidus animus genium defraudans ſuum meliori conditione uti debet, quam animus liberalis pro dignitate ſe exhibens. Ab hoc onere impendendi in pios uſus haud eximuntur eccleſiaſticae penſionis ſuperflua; nam penſio nomine beneficii datur, & ex eius fructibus praeſtatur, ut non poſſit non ſapere naturam beneficiorum: & quamvis ea detur alimentorum nomine, haec tamen cauſſa non eximit penſionarium, qui etiam frugaliter vivere debet, ab obligatione largiendi pauperibus quod supereſt.

§. VII. Nomine piorum uſuum, in quos reditus eccleſiaſtici ſunt impendendi, veniunt pauperes, & eccleſia. Bona eccleſiae ſunt *vota fidelium*, *patrimonia Chriſti & pauperum*, *pretia peccatorum*, ut Iulianus Pomerius (23), aliique patres appellant. Detractis ergo clericorum alimentis, illa pauperibus & eccleſiae deſtinata ſunt. Concilium Antiochenum (24) epiſcopo attribuit rerum eccleſiae poteſtatem, *ut eas in omnes egentes diſpenſet*. Ambroſius (25): *Nihil*, inquit, *eccleſia*, *niſi fidem*, *poſſidet*. *Poſſeſſio eccleſiae ſumtus eſt egenorum*. Pars quoque redituum aedificandis & reparandis eccleſiis, item ſacris veſtibus & inſtrumentis comparandis inſumenda eſt. Ex veteri diſciplina eccleſiaſtici proventus in quatuor partes tribuebantur, ex quibus una pauperibus, altera eccleſiae ceſſit. Et quamvis beneficiis exinde erectis, exterior bona eccleſiae adminiſtrandi ratio mutata ſit, eorum tamen natura immutata non eſt, ut ſemper ſint ſacrum Chriſti & pauperum patrimonium. Nul-

(23) *De vit. contemplat. lib. II. cap. 9.* (24) *Can. 25.*
(25) *Ep. 31.* Conf. Launoium *de cura eccleſiae pro miſeris*, & Thierſium *pecul. libro*.

la tunc pauperibus & eccleſiae portio adſignata eſt, quod beneficiarii ea lege accipiunt ab eccleſia, ut honeſtae ſuſtentationis ſuperfluum in ipſius eccleſiae & pauperum uſum impendant.

§. VIII. Magnis vero animis diſputatur, utrum beneficiariis, qui ex patrimonio, vel hereditate habent unde vivant, liceat ex reditibus eccleſiae alimenta ſumere, an de ſuo vivere teneantur? Eos poſſe reditibus ſuis parcere, & de bonis eccleſiaſticis ſuſtentationem accipere, tuentur Fagnanus (26), aliique plurimi. Contra pernegant Thomaſſinus (27), Van-Eſpen (28), Eſtius (29), Gennettus (30), aliique. Haec ſententia naturae miniſterii eccleſiaſtici, ſacris canonibus, & patrum doctrinae magis conſonat. Sane alimenta clericis ex altari debentur non ut pretium mercedis, ſed ut ſtipendium neceſſitatis; proinde ſi ex bonis ſuis vivere poſſunt, ceſſat ius ad reditus eccleſiaſticos. Porro canon Apoſtolicus XLI. permittit epiſcopo, *ſi indigeat*, aliquid de bonis eccleſiaſticis accipere. Idem habet Synodus Antiochena (31). Nec aliud viſum eccleſiae patribus. Inſtar omnium ſit Auguſtinus (32): *Si pauperum*, inquit, *compauperes ſumus*, *& noſtra ſunt* (bona eccleſiae) *& illorum: ſi autem privatim, quae nobis ſufficiunt, poſſidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus.* At enim, urgent adverſae ſententiae patroni, Paullus (33), nullo divitum & pauperum clericorum diſcri-

(26) *Ad cap. 5. de pecul. cleric.* (27) *Diſcipl. part. III. lib. III. cap. 4. & ſeqq.* (28) *Iur. eccleſ. part. II. tit. 32. cap. 5.* (29) *In 1. ad Timoth. 5. v. 16.* (30) *De benefic. cap. II. quaeſt. 11.* (31) *Cit. can. 25.* (32) *Ep. 185. ad Bonifacium.* (33) *Ibid.*

ſcrimine, pronuntiat, dignos eſſe operarios mercede ſua, neminem ſuis ſtipendiis militare, & altari deſervientes vivere de altari debere? Ita vero. Sed recte vidit Eſtius (34), Apoſtoli verba nimis *carnaliter* accipi, quaſi ſonent, eadem ratione aeſtimandam mercedem operariis ac ſacris miniſtris debitam. Apage monſtrum hoc! Merces operariis debita eſt pretium laboris; at alimenta clericis debita ſunt merum vitae ſuſtinendae praeſidium, quo in Evangelio laborare poſſint; nam ſi laboribus reſponderet, & pro iis acciperetur, quis illos a ſimoniae crimine abſolvet, qui quod gratis acceperunt, gratis dare tenentur? Quare id Paullus innuit, ſicut operarius dignus eſt mercede, unde vivat; ita & Evangelii miniſtrum dignum eſſe honorario ſubſidio, unde ſuſtentetur. Tantum in hac comparatione operarii & militis cum eccleſiae miniſtris ſpectatur ſuſtentatio operanti debita. An vero haec clericis debeatur, quum eam habeant aliunde, non exprimit Apoſtolus. Tunc ſane deberetur, ſi merces ſacris miniſtris propoſita eſſet pretium laboris: quod nefas eſt adſerere.

§. IX. Iam beneficiariorum ius de altari vivendi ab ipſius altaris ſervitio promanat. Ceſſat itaque, ſi altari non inſerviatur. *Qui non vult operari, non manducet*, inquit Apoſtolus (35). *Conceditur ergo tibi*, loquitur Bernardus (36), *ut ſi bene deſervis, de altario vivas*. Adſiduum eſſe debet clericorum miniſterium pro cuiuſque gradu. Id expreſſerunt Chriſtus exemplo *operarii*, & Paullus exemplo *militis*, *agricolae*, & *paſtoris*; qui ſane omnes integram mercedem accipiunt, ſi continuas operas praeſtent. Ap-

(34) *Cit. loc.* (35) 2. *ad Theſſalonic.* 3. *v.* 10. (36) *Cit. ep. ad Fulcon.*

poſite Concilium Agathenſe (37) clericis, *qui eccleſiae fideliter vigilanterque deſerviunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſervitii ſui meritum*, adiudicat (*b*).

§. X. Qui vero poſſunt beneficiarii iuge eccleſiae ſervitium impendere, ſi ab ea abſint? Ecquis paſtor procul ab ovili gregem alere & cuſtodire poteſt? Hinc beneficiarii reſidere in eccleſia ſua tenentur. Reſidentia vero non deſidioſa, ſed laborioſa eſſe debet; nam praeſentes corpore, ſed deſides ac inertes, ſeipſos potius, quam gregem paſcunt. Nec ſibi adblandiantur beneficiarii, poſſe per idoneos vicarios muneri ſuo ſatisfacere; beneficia enim dantur propter officia eccleſiaſtica, quae perſonae induſtriam exigunt, adeoque vicaria opera exerceri nequeunt. Regula illa iuris, *poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum*, locum non habet, ubi perſonae induſtria requiritur. Porro reſidentiam laborioſam omnibus paſtoribus ſive maioribus, ſive minoribus divino iure iniunctam fuiſſe, haud obſcure innuit Tridentina Synodus (38), ac ſaniores quique theologi & canoniſtae docent. Quouſque beneficia ordinationi adhaeſerunt, clerici ſuis eccleſiis adfixi perpetuo in iis reſidere cogebantur, ut ex iugi ſervitio alimenta ferrent: quod ſi auctoritate epiſcopi in aliam ec-

(37) Apud Gratian. *can.* 10. *cauſ.* 1. *q.* 2. (38) *Seſſ.* 23. *de reſ. cap.* 1.

(b) Nugantur quidam, officium, ob quod datur beneficium, eſſe ſolam horarum canonicarum recitationem, eoque nomine clericalia ſtipendia recte percipi. At *officium* eſt miniſterium eccleſiae, cui clericus addictus eſt, ſtrenue impendendum, non *Breviarium*. Minima eccleſiaſtici muneris pars eſt horarum canonicarum recitatio, quae non ante ſaeculum XIII. clericis maioribus & beneficiariis iniuncta eſt.

eccleſiam tranſibant, nexu eccleſiae ſuae ſoluti, ſtatim alteri perpetuo adligabantur (*c*). Seiunctis poſtea ab ordinatione beneficiis, in ſuis eccleſiis beneficiarii reſidere iuſſi ſunt; ea enim dantur ob ſacrum miniſterium, quod quiſque per ſe implere tenetur. Omnia vero beneficia ex canonum ſententia ad reſidentiam obligant, uti probat Thomaſſinus (39). Cetera, quae ad miniſtrorum reſidentiam ſpectant, iam lib. I. cap.XIII. p.237., & cap. XVI. p.287. ſeq. expoſuimus.

§.XI. Praeterea beneficiarii omnes, etſi ſacris ordinibus haud initiati, quotidie divinum officium perſolvere tenentur. Quod ſi ſine iuſta cauſa aut totum recitare omiſerint, aut notabilem partem, non modo in grave peccatum incurrunt, ſed etiam ratam fructuum illi reſpondentem reſtituere debent, uti ſanxerunt Synodus Lateranenſis V. (40), & Pius V. (41). Hodie igitur horarum canonicarum recitatio eſt beneficiis adnexa conditio; quare eas omittens nullum ad fructus ius habet, deficiente conditione, quam eccleſia exigit, ut illos adipiſcatur: ideoque beneficiarii non recitantes reſtituere ante ſententiam iudicis, quod ſuum non eſt, obligantur, uti decrevit Alexander VII. (42). Nec a recitationis onere eximuntur, qui tenue beneficium obtinent. Etenim Synodus Lateranenſis indiſcriminatim ad recitationem adigit *quemlibet habentem beneficium cum cura, &* *ſine*

(39) *Diſcipl. part. II. lib. III. cap.* 34. (40) *Seſſ.* 9.
(41) *Conſt.* ex. proximo. (42) *In theſib. damnat. n.* 20.

(c) Conſule de hac re Walchium *diſſ. de translationib. miniſtror. in veter. eccleſ.* & Schmidium *in comment. ad can.* 15. *Concilii Nicaeni de translationibus episcoporum, presbyterorum, & diaconorum.*

ſine cura, vel, ut Pius V. ait, *qualiacumque beneficia obtinentes*. Sane qui tenue beneficium ſponte acceperunt, de iure ſuo deceſſerunt, & ad omnia eius onera ſe ſe adſtrinxerunt. Ad rem S. Antoninus (43) tradit: *Imputent ſibi beneficiarii, ex quo ſe fecerunt ad illud intitulari*. Eodem divinum penſum recitandi onere tenentur, qui *praeſtimonia* (*d*) habent, ut idem expreſſit Pius V. (44).

§. XII. Denique beneficiarii habitu & tonſura clericali incedere debent; ſi ſecus fecerint, moniti beneficio privari poſſunt, uti ſtatuit Concilium Viennenſe ſub Clemente V. (45); quam conſtitutionem Tridentina Synodus (46) innovavit. Poſtea Sixtus V. (47) beneficiarios ſine habitu & tonſura incedentes privatione cuiuſcumque dignitatis, beneficii, aut penſionis eccleſiaſticae, *ipſo facto* incurrenda, coërcet. Dura quidem lex eſt, ſed ita tamen ſcripta. In eo conveniunt Doctores, non una tantum controventione poenam illam *ipſo facto* incurri, ſed aliquo temporis ſpatio opus eſſe, ut explicat Benedictus XIV. (48). Et ea quidem ſanctionis mens fuiſ-

(43) *Part. II. cap. 3. tit. 13.* (44) *Cit. conſtit.* (45) *Clement. 2. de vit. & honeſt. cleric.* (46) *Seſſ. 14. de ref. cap. 6.* (47) *Conſt.* cum ſacroſanctum. (48) *Inſtit. 71. ad cler. Bononienſ.*

(d) *Praeſtimonia*, ſeu *praeſtimoniales* portiones ſunt partes quaedam ex reditibus beneficiorum in perpetuum abſtractae, quae clericis iuvenibus dantur, ut commodius, vel in ſubſidium ſtudiis vacare poſſint, ſicque recte inſtitui ad eccleſiae ſuo tempore inſerviendum. Ea dici ſolent eccleſiaſtica beneficia ſine officio; ſed cum onere, quod officii loco eſt, ſe inſtruendi, ac idoneos reddendi ad eccleſiae inſerviendum. Earum meminit Bonifacius VIII. *cap 8. de conceſſ. praebend. in 6.* & pluribus locis Tridentina Synodus.

fuiſſe videtur, ut luxuriantibus clericis anſa in iudiciis cavillandi praecideretur.

C A P. XXXIII.

De beneficiorum unione, disiunctione, & ſectione.

§.I. INterdum beneficia aut coniunguntur, aut disiunguntur, aut dividuntur. Unio eſt *duorum plurimve beneficiorum, vel eccleſiarum connexio iuſta de cauſſa & Superioris auctoritate peracta*. Dividitur in *perpetuam*, & *temporalem*. Perpetua ſeu *realis* fit ob eccleſiae neceſſitatem, vel utilitatem ea lege, ut perpetuo duret. Contra temporaria ſeu *perſonalis* fit ad certum tempus, vel ad vitam alicuius, non in gratiam eccleſiae, ſed perſonae. Haec beneficiorum ἕνωσις ad vitam potius eluſio eſt prohibitae pluralitatis. Hinc Tridentina Synodus (1) plura beneficia incompatibilia *per viam unionis ad vitam* recipi, aut retineri vetuit.

§.II. Tribus modis beneficia, & eccleſiae uniuntur, *confuſione*, *ſubiectione*, & *aequali coniunctione*. Confuſione, quum plures eccleſiae in unum corpus confunduntur & coaleſcunt, ita ut ex pluribus una fiat. Subiectione, quando ita coniunguntur, ut una ſit ſuperior, altera inferior: quo caſu in inferiori conſtituitur vicarius, qui ſacrum miniſterium obeat. Aequali coniunctione, quum ambabus ſuum titulum, gradumque retinentibus idem miniſter praeficitur: quo caſu utraque erit principalis, & ſuis quaeque privilegiis fruetur.

§. III. Beneficia & legitima auctoritate, & iuſta ex cauſſa, & certa forma coniungi debent. Olim

(1) *Seſſ. 7. de ref. cap. 4.*

lim epiſcoporum unio a metropolitano & ſynodo provinciae decernebatur. Saeculo XI. iam recepta videtur doctrina, licere Summo Pontifici, extra provincias ſuburbicarias epiſcopatus unire (2). Nondum autem unio haec inter maiores cauſſas ſoli Pontifici reſervatas accenſebatur. Sed aetate Caeleſtini III. ideſt ſaeculo XII. certum habebatur, *unire epiſcopatus ad Summum Pontificem* pertinere (3). Inferiores eccleſias & beneficia dioeceſis ſuae unire epiſcopus poteſt, ut idem reſcripſit Caeleſtinus III. (4); non item Vicarius generalis ſine peculiari mandato. Capitulum ſede vacante recte beneficia coniungit, quippe ſuccedit in epiſcopi iuriſdictionem; modo ex beneficiis nihil depereat, quod ad epiſcopale ius pertinet: proinde unire nequit beneficia, quae ad liberam ſolius epiſcopi collationem ſpectant. Praelati inferiores beneficia unire nequeunt; eos enim excluſiſſe videtur Caeleſtinus III. (5), dum poteſtatem hanc ad epiſcopos pertinere reſpondit. Quare epiſcopus dioeceſanus, conſentiente praelato inferiore, unionem decernet (6).

§. IV. Iuſtae autem beneficia & eccleſias uniendi cauſſae ſunt; ſi multitudo populi haud mediocriter decreverit; ſi eccleſiae ſint dirutae, nec in priſtinum ſtatum facile reparari queant; ſi quum duo epiſcopi ex reditibus commode ali non poſſint, unus pro tempore ſufficiat, atque id genus aliae. His de cauſſis Gregorius M. univit eccleſiam Cumanam cum Miſenate (7); Trium Tabernarum cum Veliterna (8); Sancti Anthemii cum Numentana (9); Mintur-

(2) Ivo Carnotenſ. *ep.* 238. Conf. Baluzium *in additionib. ad Petr. de Marca lib. IV. de C. S. & I. cap.* 13.
(3) *Cap.* 8. *ext. de exceſſib. praelat.* Vid. Fleurium *diſc.* 4. *in hiſt. eccleſ.* (4) *Cit. cap.* 8. (5) *Ibid.* (6) *Clem.* 1. §. 6. *de ſtat. monach.* (7) *Lib. II. ep.* 45. (8) *Lib. II. ep.* 50.
(9) *Lib. III. ep.* 20.

turnenſem cum Formienſi (10); Fundenſem cum Terracinenſi (11); Carinenſem cum Regienſi (12). Concilium Tridentinum (13) epiſcopis permittit unire quaecumque beneficia curata, etiam reſervata vel affecta, ob eorum paupertatem. Quod ſi ſine iuſta cauſſa unio fiat, ea tamquam eccleſiarum ſtatum pervertens reſcindenda eſt.

§. V. Certa forma beneficia & eccleſiae uniendae ſunt. Audiendi ſunt patroni tam eccleſiaſtici, quam laici, ſine quorum conſenſu beneficia iuriſpatronatus coniungi nequeunt: item qui beneficia poſſident, praeſertim parochi; quorum tamen diſſenſus unionem non impedit, quippe poſſeſſio beneficii beneficiario ad vitam uſque integra relinquitur. Audiendus quoque populus eccleſiae, quae uniri debet, ut iura & vota ſua proferat. Vocatis itaque omnibus, quorum intereſt, epiſcopus conſenſu capituli unionem decernet.

§. VI. Porro non omnia beneficia coniungi poſſunt. Concilium Tridentinum (14) vetuit beneficia unius dioeceſis cum beneficiis alterius coniungi. Pariter (15) interdixit, beneficia curata monaſteriis, abbatiis, dignitatibus, hoſpitalibus, aliiſque collegiis uniri; cura enim paroecialis non patitur, ut eccleſiae paroeciales velut famulae aliis officiis tali cura deſtitutis accedant, & porro per hanc unionem ſaepe paroeciae ſuis paſtoribus deſtituuntur cum gravi chriſtiani populi detrimento. Rurſus (16) prohibuit, beneficia liberae collationis paroeciis, aliiſve iuris patronatus beneficiis adiungi, ne & ipſa iuriſpatronatus

(10) *Lib. I. ep.* 8. (11) *Lib. III. ep.* 13. (12) *Lib. VI. ep.* 10. (13) *Seſſ.* 21. *de ref. cap.* 5. (14) *Seſſ.* 24. *de ref. cap.* 9. (15) *Cit. ſeſſ. cap.* 13. (16) *Seſſ.* 23. *de ref. cap.* 9.

tus fiant. Tandem (17) vetuit, epiſcopos unire beneficia reſervata, exceptis quibuſdam caſibus, ut in coniungendis paroeciis ob earum paupertatem, inque uniendis beneficiis ſimplicibus vel ſeminariis, vel cathedralibus, aliiſque collegiatis inſignibus. Porro ne capituli quidem conſenſu licet epiſcopo beneficia unire menſae aut ſuae, aut capitulari, nihil obſtante conſuetudine contraria, quae ut corruptela improbatur (18). Nec poteſt epiſcopus unire beneficia omnia ſuae dioeceſis, uti S.Congregatio (19) cenſuit.

§. VII. Saepe beneficia coniuncta diſſolvuntur, & in priſtinum reducuntur. Qui unire beneficia, iidem & disiungere poſſunt. Quemadmodum iuſtam cauſſam unio, ſic etiam disiunctio poſtulat. Ita Innocentius III. (20) eccleſias Glaſtonienſem & Bathonienſem a Caeleſtino III. connexas rurſus disiunxit, quod ea unio grave damnum Glaſtonienſi eccleſiae afferret. Adhaec, ſi unio ob certam cauſſam ſit facta, veluti belli, deſolationis, paupertatis, populi deficientis, ea ceſſante, unio etiam ceſſare debet (21). Ad unionem revocandam cauſſae cognitione & conſenſu capituli eſt opus; etſi in ea decernenda non adeo exacta cauſſae cognitio requiratur, quum disiunctio eccleſias in priſtinum reſtituat, adeoque favorabilis cenſeatur. Facta vero diſſociatione in antiquum ſtatum redeunt univerſa, adeoque collatio vel praeſentatio beneficii ad eum pertinet, cuius ante unionem fuerat.

§. VIII. Eſt & diviſio beneficiorum, qua ex una

(17) *Cit. ſeſſ. cap.* 18. (18) *Clem.* 2. §. *ult. de reb. eccleſ. non alienand.* (19) *Ap. Garciam de beneſ. part.* 12. *cap.* 2. *n.* 63. (20) *Cap.* 1. *ext. ne ſede vacante.* (21) *Cap.* 9. *ext. de conſtit.*

una eccleſia vel beneficio duae fiunt. Generatim eccleſiarum ſectionem canones vetant, iubentque beneficia ſine deminutione conferri (22). Sed ob eccleſiae neceſſitatem, vel utilitatem recte una eccleſia in duas dividetur, veluti ob auctum populum, eccleſiae diſtantiam, aliamve cauſſam. Sic Innocentius III. (23) ex una praebenda vacante, ubi ſuppetunt reditus, & iuſta ſit cauſſa, fieri duas poſſe reſcripſit. Fit eiuſmodi diviſio eiuſdem auctoritate, a qua unio decernitur, iiſque, quorum intereſt, auditis.

CAP. XXXIV.

De beneficiorum pluralitate.

§. I. Beneficiorum in una perſona pluralitatem, tamquam intrinſecam malitiam & deformitatem involventem, & ſacri miniſterii naturae adverſam, ſemper eccleſia proſcripſit. Dum beneficia ordinibus adnexa erant, non licebat clericis duabus ſimul eccleſiis adſcribi, ſed uni eccleſiae perpetuo mancipabantur, & ex eius reditibus alebantur, nec ad aliam tranſire poterant, niſi epiſcopi auctoritate, & iuſta ex cauſſa: quod Concilium Chalcedonenſe (1), Nicaenum II. (2), aliique patres oſtendunt. Disiunctis ab ordinatione beneficiis, interdicta quoque fuit beneficiorum coacervatio. At ſaeculo XII. monſtrum hoc horrendum in Gallia & alibi e tenebris avaritiae & cupiditatis emerſit, adeo ut plures clericos *vix eccleſiarum ſuarum numerum cognoviſſe*, teſtetur Petrus Bleſenſis (3).

§.II.

(22) *Cap.8. & 39. ext. de praebend., & tit. decretalium ut benefic. ſine deminut. conferant.* (23) *Cap. 26. de praebend.*
(1) *Can. 10.* (2) *Can. 15.* (3) *In lib. I. Iob.*

§. II. Tantam eccleſiaſticae rei labem evertere ſtuduit Concilium Lateranenſe III. ſub Alexandro III. (4), epiſcopis iniungens, ut emendarent eorum ambitionem, *qui non duas, vel tres, ſed plures eccleſias haberent*. Idem Pontifex (5) vetuit deinceps conferri uni *dignitates diverſas eccleſiaſticas, & plures eccleſias parochiales*; ſecus accipiens ſecundum beneficium amittat, & dans poteſtate conferendi privetur. Rurſus (6) permiſit presbytero duas eccleſias habenti unam, quam vellet, optare, alteram vero dimittere iuſſit. Deinde Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. (7) ſancivit, ut ipſo iure prima paroecia, dignitate, vel perſonatu cadat, qui alterum eiuſdem generis beneficium conſequitur; niſi Apoſtolica Sedes clericis genere ac ſcientia illuſtribus veniam indulgeat. Sed exceptio haec regulam ipſam perdidit; tam frequentes enim pontificum diſpenſationes ad plura beneficia habenda prodierunt, ut id in ordinarium veluti ius abierit: cui malo modum impoſuere Synodus Lugdunenſis ſub Gregorio X. (8), & Ioannes XXII. (9). Beneficiorum pluralitatem magis promoverunt, canoneſque eluſerunt *commendae*; quum unum beneficium clerico in titulum, alterum in commendam perpetuam daretur: item *vicariae*; nam qui beneficium obtinebant, alterum cum opima fructuum parte ſub vicariatu ſibi dari curabant, non vero titulum, qui cum modico proventu alteri concedebatur: & *beneficiorum uniones ad tempus*, ut qui diſtracta beneficia habere non poterant, ea

(4) *Cap.* 5. *ext. de praebend.* (5) *Cap.* 3. *ext. de cleric. non reſident.* (6) *Cap.* 7. *de praebend.* (7) *Cap.* 28. *eod.*
(8) *Cap.* 3. *de offic. ordinar. in* 6. (9) *Extravag.* 2. *de praebend. int. commun.*

ea ad vitam coniuncta retinerent.

§. III. Tandem Tridentina Synodus pro temporum ratione beneficiorum pluralitatem confixit. In primis (10), innovata Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. ſanctione, prohibuit, plures deinceps obtineri eccleſias paroeciales, aliave beneficia incompatibilia, ſuſtulitque *uniones ad vitam*, *& commendae perpetuae*. Deinde (11) generatim pluralitati adverſatur, dum *unum tantum beneficium ſingulis conferri* cavit. Si unum non ſufficiat, iungi permittit beneficium ſimplex, modo neutrum requirat reſidentiam: *Quod ſi*, inquit, *ad vitam eius, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri*. Haec lex omnis generis beneficia, ſaecularia, regularia, & commendas complectitur. Ergo etiam beneficia ſimplicia, quae alendo clerico ſufficiunt, incompatibilia evaſerunt. Non definit Synodus quaenam fructuum quantitas honeſtam ſuſtentationem conſtituat; nam id a perſonarum, locorum, & temporum adiunctis pendet, ideoque potius beneficiarii religione, quam generali ſententia definiendum eſt. Id certi iuris eſt, eam eſſe modeſtam & frugalem debere. Si ſanctiſſima Tridentina decreta ſervarentur, iam de beneficiorum coacervatione actum eſſet (12). Ceterum, etſi duo ſimplicia beneficia ſuſtentationi non ſufficiant, non poſſe ab epiſcopo conferri tertium, ex mente Concilii declaravit S. Congregatio (13).

(10) *Seſſ. 7. de ref. cap. 4.* (11) *Seſſ. 24. de ref. cap. 17.*
(12) Conf. Claud. Plancaeum libello *de pluralitate beneficior.* Thomaſſin. *diſcipl. part. II. lib. III. cap. 1. ſeqq.* Eſpenium *part. 2. iur. eccleſ. tit. 20.* (13) Apud Fagnan. ad cap. *cum iam dudum* 18. *de praebend.* & Benedict. XIV. *inſtit. 91. ad Cler. Bononienſ.*

C A P. XXXV.

De commendis.

§. I. Quae tuendis eccleſiarum bonis inventae ſunt beneficiorum commendae, eae lapſu temporis iiſdem diſſipandis idoneae factae ſunt. Veteres commendae diverſam a novis faciem praeſeferunt. Olim commenda erat *cuſtodia & adminiſtratio vacantis eccleſiae, facta clericis neceſſario gradu inſignito, donec ei praeficeretur antiſtes*. Omnium antiquiores commendae ſunt epiſcopatuum; inde monaſteriorum, & aliorum beneficiorum innotuerunt. Iam a ſaeculo IV. epiſcopales ſedes paſtoribus orbatae commendari a metropolitano conſueverunt vicinis plerumque epiſcopis; qui *viſitatores*, *interventores*, & *interceſſores* dicebantur (*a*). Ambroſius Mediolanenſis metropolita (1) eccleſiam Forocornelienſem commendavit, donec ei ordinaretur epiſcopus. Saeculo VI. quum Longobardis Italiam vaſtantibus ſaepe desererentur eccleſiae, vel ſuis ſedibus pellerentur epiſcopi, frequentiores evaſerunt commendae. Ita Gregorius M. Siciliae, Calabriae, Apuliae, Campaniae, aliarumque provinciarum eccleſias paſtoribus deſtitutas plerumque commendavit vicinis epiſcopis, aut exſulibus conceſſit adminiſtrandas, donec proprium eis paſtorem daret, exſuleſque propriis redderet eccleſiis. Monaſteria quoque inde a ſaeculo VI. commendata ſunt, ut ex Gregorio M. (2), & Conci-

(1) *Ep. 44. ad Sever.* (2) *Ep. ad Ioannem epiſcop. Ravennat.* ap. Gratian. *in can.* 26. *C.* 18. *q.* 2. & *can.* 2. *C.* 16. *q.* 1.

(a) De his conſule Antonellum *diſſ. de epiſcopo viſitatore*

cilio Aurelianenſi III. (3) liquet. Eiuſmodi commendatariorum munus fuit, orbatae eccleſiae curam ad tempus gerere; novi paſtoris canonicam electionem quam citius procurare: nec aliud e reditibus commendatae eccleſiae ferebant, niſi neceſſaria, & modicum laborum praemium, reliquis fructibus futuro epiſcopo ſervatis (4).

§. II. Veteribus commendis ſucceſſerunt novae, non ad ſpiritualem eccleſiarum, ſed ad temporalem commendatariorum utilitatem excogitatae. Hae in chriſtianae rei perniciem & labem ceſſerunt. Inde enim tecta beneficiorum pluralitas contra canones, quippe plures eidem eccleſiae datae ſunt, una nomine *tituli*, altera nomine *commendae:* beneficia laicis, & aliis, quibus per canones non licebat, collata ſunt: ſaecularia beneficia regularibus, & viciſſim data. In Gallia primum a Carolo Martello, tum a ſequentibus regibus uſque ad Hugonem Capetum eccleſiae & monaſteria potentioribus laicis, praeſertim militibus, ad vitam commendata ſunt, ut illorum reditibus militares labores remunerarentur (*b*). Sublatis laicalibus commendis, non deſierunt

(3) *Can.* 18. *Vid. Nat. Alexandr. in ſaec. 6. cap.* 5. *de Concil. art.* 15. (4) *Gregorius M. lib. IV. ep.* 35. *& alibi.*

(b) In Gallia eccleſiae & monaſteria laicis, maxime militibus, in commendam a Regibus data ſunt, uti conſtat ex Carolo M. *lib. V. Capit. cap.* 181. Concilio Aquiſgranenſi II. *cap.* 3. aliiſque. Id primus effecit Carolus Martellus ob neceſſitates bellorum: inde extra publicas neceſſitates continuatum eſt. Conf. Io. Fileſacum *opuſc. de ſacrilegio laico ſive bonis eccleſiaſticis per laicos uſurpatis*. Monaſteriis praefecti comites ac nobiles laici *abbacomites*, & *abbicomites* vocati ſunt. Vid. Cang. *Gloſſar. h. v.* Spurii eiuſmodi abbates reditibus abliguriendis intenti monachorum bona & diſciplinam perdiderunt.

runt eccleſiaſticae. Saeculo XII. epiſcopos eccleſias ad tempus clericis commendaſſe, conſtat ex Alexandro III. (5), & Honorio III. (6). Eodem ſaeculo, amiſſa Terra Sancta, Romani Pontifices epiſcopis, qui eccleſias habebant apud infideles, alios in Gallia & Italia epiſcopatus, ut inde alerentur, commendarunt. Deinde multiplicatae ſunt commendae. Clemens V. (7) initio pontificatus an. 1308. multas patriarchales, archiepiſcopales, & epiſcopales eccleſias, ac monaſteria clericis & regularibus ad vitam vel ad certum tempus commendavit: mox damna inde eccleſiis & monaſteriis illata edoctus commendas omnes, etiam Cardinalibus conceſſas, revocavit. Exorto inde ſchiſmate Avenionenſi beneficiorum commendae mirifice increbuerunt. Earum enim largitione uterque pontifex rem ſuam promovere ſatagebat. Corruptis his temporibus monachi & canonici, priſtinae diſciplinae deſertores, liberius iuſto vivebant; & abbates ac praepoſiti magnatum more vitam agentes, pauperum & monachorum patrimonium luxu perdebant. Hinc cardinales & praelati poſtularunt, ut ſibi monaſteria illa corrigenda & inſtauranda commendarentur. Sed monaſteria his correctoribus commendata in peius ruerunt. Nam nec divinum

(5) *Cap.* 12. *ext. de accuſat.* (6) *Cap.* 54. *ext. de elect.*

(7) *Extravag.* 2. *de praebend. int. commun.* Conſ. Auctorem libelli inſcripti, *L' Abbè Commendataire.*

runt. Urſerunt quidem Pontifices & epiſcopi apud Reges, ut laicos a monaſteriis ſubmoverent; at fruſtra: nam obtendebant, ſe res eccleſiaſticas reſtituere non poſſe, *ne ſuae reip. militiam deſtaudare viderentur*, ut eſt in Nicolai I. *ep. ad Odon. Belvacens*. Tandem laicales commendas ſuſtulit Hugo Capetus, ut eſt in *Frag. hiſt. Aquitanic.* apud Ducheſne *tom. IV. p.* 80.

num cultum reſtituerunt, nec peregrinis hoſpitium, nec pauperibus quidpiam reliquerunt; quin eccleſiae ornamentis ſpoliatae, aedificia in ruinam prona, diſciplina Superioris abſentia quam laxiſſima, cellulae monachorum raro habitatae, plurimae habitatore deſertae, illos non correctioni monaſteriorum, ſed reditibus inhiaſſe prodiderunt.

§. III. Tantis eccleſiarum & monaſteriorum calamitatibus paſſim obviam itum eſt, quantum temporum acerbitas tulit, non quantum debuit. In primis Concilium Conſtantienſe (8) an. 1414. vetuit, monaſteria & magnos prioratus conventuales, dignitates maiores poſt pontificalem in cathedralibus & collegiatis eccleſiis, atque paroecias in poſterum vel ipſis cardinalibus commendari. Sed monaſteriorum commendae magis increbuerunt. Paullus II. (9) pontificatum ineundo an. 1464. faſſus eſt in Conſiſtorio, *a pontificatu Caliſti III.* (nempe ab an. 1455.) *ad eam diem amplius quam quincenta monaſteria eſſe iam commendata*. Deinde Concilium Lateranenſe V. ſub Leone X. an. 1517. (10) cavit monaſteria iam commendata tantum Cardinalibus, & clericis praeſtantibus dari; vetuitque in poſterum monaſteria de novo commendari. Tandem Tridentina Synodus (11) ſuſtulit commendas, quae epiſcopatuum & beneficiorum pluralitati inſerviebant. Deinde (12) commendas in univerſum non damnavit ob temporum acerbitatem, ſed voluit ſaltem, ut monaſteria commendata intus regerentur a regularibus ſui ordinis, ac

(8) *In appendic. ad ſeſſ. 40. art. 6. de commendis.*
(9) Apud Card. Papienſem *ep.93.* (10) *Seſſ. 9. in bulla reform. Curiae.* (11) *Seſſ. 7. de ref. cap. 4.* (12) *Seſſ. 25. de regular. cap. 21.*

in poſterum regularibus conferrentur, ſicque ex eo tempore Superioribus Ordinum reſtituerentur. Quare pietati & prudentiae Summorum Pontificum commiſit, ut monaſteriis iam commendatis, *quae ſuos conventus habent, regulares perſonae eiuſdem ordinis expreſſe profeſſae, & quae gregi praeire & praeeſſe poſſint, praeficiantur. Quae vero in poſterum vacabunt, non niſi regularibus ſpectatae vitae & ſanctitatis conferantur. Quod vero ad ea, quae ſunt capita & primates Ordinum* (ut in regno noſtro ſunt monaſteria Montis Caſſini, & Montis Virginis), *teneantur illi, qui in praeſenti ea in commendam obtinent, niſi ſit eis de regulari ſucceſſore proviſum, intra ſex menſes religionem illorum Ordinum propriam ſollemniter profiteri, aut iis cedere, alias commendae praedictae ipſo iure vacare cenſeantur*.

§. IV. Decretum hoc Tridentinum non omni ex parte effectum habuit. Quo factum, ut monaſteria olim commendata, quae ſuos habent conventus, exceptis Ordinum capitibus, aut monachis deſtituta, clericis ſaecularibus adhuc commendentur; immo & beneficia ſimplicia ſaecularia Cardinalibus in perpetuum commendari ſolent. Ne vero Commendatarii integros reditus abſumerent, menſam abbatis a menſa monachorum ſeiungi praeceperunt Concilium Lateranenſe ſub Leone X. (13), & Gregorius XIII. (14). Ceterum commendae propriam naturam beneficiorum regularium vel ſaecularium non mutant: unde monaſteria clericis ſaecularibus commendata regularem qualitatem retinent, perinde ac commendatarius ſit verus abbas monaſtica vota profeſſus (15).

§.V.

(13) *Cit. ſeſſ. 9.* (14) *Bulla* ſuperna 18. *in Bullar. Rom.*
(15) Vid. Fagnan. *ad cap.* in eccleſiis *ext. de capell. monachor.* *n.* 18. & Card. de Luca *de benefic. n.* 195. & *diſc.* 64. *n.* 7.

§.V. Hodiernis moribus commendae *effectu* nihil fere a beneficiis differunt, & commendatarii ſunt veri beneficiarii, iiſdem titulatorum iuribus & oneribus obſtricti. Quare commendae non ſecus ac beneficia ad vitam commendatarii conceduntur: cum alio beneficio permutari iuſta ex cauſſa poſſunt: duo beneficia unum in titulum, alterum in commendam obtineri nequeunt: penſionibus delibantur. Pari modo commendatarii liberam habent redituum adminiſtrationem: dant ſuis ſubditis litteras dimiſſorias ad ordines, aeque ac abbates, ſi commendato monaſterio hoc privilegium fuerit conceſſum (16): ad beneficia praeſentant, conferunt, & eligunt: habent iuriſdictionem in monachos, non ſecus ac veri abbates; qua tamen uti poſſunt, ſi in beneficio ipſi reſideant, & ordinarius praelatus eiuſve vicarius abſit (17): inter abbates ſynodo adſunt cum ſuffragio conſultivo, etſi eos praecedant abbates benedicti, & qui uſum mitrae habent (18). Commendatarii vero ad onera, reparationes, ornamenta, & eleemoſynas tenentur. In Gallia omnes ſuſcipere ſacros ordines intra annum tenentur, & beneficiariorum munera, quoad fieri poteſt, obire; at in Italia ad ſacros ordines & reſidentiam obligantur, ſi animarum curam vel monachorum, vel ſaecularium ipſimet exercere debeant (19).

§. VI. Commendae aut *perpetuae* ſunt, aut *temporales*. Illae ad vitam commendatarii; hae ad tem-

 pus

(16) S.Congregatio apud Gallemart *in declarat. ad cap. ordinationes* 8. *ſeſſ.* 23. *de ref. n.* 4. (17) Vid. Ant. Fabrum *in Cod. lib. I. tit. 2. def.* 34. (18) Gregorius XIII. *ad interrogat. Concil. Rothomagenſ. an.* 1581. (19) Conf. Gallemart. *in advotat. ad Trident. ſeſſ.* 6. *de ref. cap.* 2.

pus dantur. Utraſque hodie ſolus Pontifex concedit, & quidem *diſpenſative*. Quum enim monaſtica beneficia ſaecularibus commendentur, & canones ſaecularia ſaecularibus, regularia regularibus conferri iubeant, pontificia auctoritate opus eſt, ut canones relaxentur. Hinc epiſcopi, etſi beneficia reſervata aliquando conferant, numquam commendata conferre poſſunt. Immo ex nova diſciplina non licet epiſcopis vacantes paroecias commendare ad ſex menſes ob eccleſiae neceſſitatem vel utilitatem: quod ipſis indulſerat Concilium Lateranenſe ſub Gregorio X.(20). Id enim revocavit Synodus Tridentina (21), a qua cautum, ut ſtatim a notitia vacationis paroeciarum epiſcopus oeconomum ſeu vicarium, ſi opus fuerit, conſtituat cum congrua fructuum parte, qui curam eccleſiae ſuſtineat, donec parochus creetur, uti S. Congregatio (22) declaravit.

§. VII. Ceterum cum perpetuis commendis haud confundendae ſunt commendae, baiulivatus, prioratus, praeceptoriae, ceteraque beneficia equitum Melitenſium, aliorumve ordinum militarium. Eae namque a M. Magiſtro ordinis conferuntur ſolis equitibus antiquioribus in eo profeſſis cuiuſcumque nationis (23). Quumque Carolus VI. Imp. tantum regnicolas ad eccleſias & beneficia huius regni admiſerit, exteris excluſis, equites Melitenſes noſtrates idem ſibi privilegium dari poſtularunt.

CAP.

(20) *Cap.* 15. *de elect. in* 6. (21) *Seſſ.* 24. *de ref. cap.* 18.
(22) Apud Gallemart. *in Trident. ſeſſ.* 7. *cap.* 4. *n.* 7. *& ult.*
(23) Vid. Eſcanno *in propugnat. Relig. Hieroſolym. diſcep.* 10. *ſeqq.*

C A P. XXXVI.

De beneficiorum amittendorum modis.

§.I. Multis modis beneficia amittuntur. Primus eſt *renuntiatio*, ideſt ſpontanea beneficii dimiſſio iuſta de cauſſa & ſuperioris auctoritate facta. Ea aut *pura* eſt, aut in *favorem*, quam vulgo *reſignationem* adpellant. Pura eſt ſimplex beneficii abdicatio, qua fit, ut collator beneficium, cui putaverit, conferre poſſit. Quum haec renuntiatio nuda dimiſſio ſit, tantae antiquitatis eſt, quantae abdicatio (*a*). Eiuſmodi renuntiationem ſub Alexandro

(a) Olim epiſcopis & clericis non licuit eccleſias ſuas reſignare & eiurare, aut cum aliis permutare. Eiuſmodi renuntiationes eccleſiaſticae diſciplinae refragari tradunt Concilium Epheſinum *ep. ad Pamphyliae Synod.* Cyrillus Alexandrin. *ep. ad Domnum cap.* 3. Petr. Alexandrin. *ſerm. de poenit. cap.*10. *ap. Balſamon.* ceterique. Idem edocent Latini patres; tum quia clerici ſtabilitatem in eccleſia, cui aſſignntur, iurant; tum quia praelati cum eccleſia vinculum inſtar eſt coniugii. Si a carnali matrimonio ad ſpirituale licet argumentari, cur viro uxorem dimittere nefas, clerico autem eccleſiam dimittere, cedere, & cui voluerit reſignare, fas erit? Lupus Ferrarienſis *ep.* 29. ſcribit: *Quemadmodum carnalem copulam non licet reſolvere, niſi ex cauſſa fornicationis, ita ſuſceptam ſemel paſtoralem curam nefas eſt deponere, quamdiu omnium saluti conſuli poteſt.* Bernardus *ep.* 52. antiſtitem abſterret, qui eccleſiam ſuam relinquere volebat, ut Hieroſolymam pergeret. Ad amicum, qui propter moleſtias a collega ſuſtinendas curam paſtoralem abiicere cogitabat, gravis extat epiſtola Anſelmi Lucenſis apud Martenium *tom. I. Anecdot. p.* 210. *ſeq.* Plura de ſacri muneris abdicatione congeſſerunt Binghamus *lib. VI. orig. eccleſ. cap.* 4. Beveregius *ad can. apoſt.* 14. & 15. *can. Nicaen.* 15. *Chalced.* 5. 10. 19. Zieglerus *de clerico renitente ſive muneris eccleſiaſtici fuga*, & Io. Fechtius *diſſ. de fuga miniſterii eccleſiaſtici.*

dro III. frequentiorem fuiſſe, nec alium vetuſtiorem Pontificem de ea agere in libris decretalium, obſervat Royeus (1). Ea ſponte, iuſta cauſſa, & Ordinarii conſenſu fieri debet. Reſignatio autem in favorem eſt beneficii eiuratio ſub conditione, ut alicui deſignato clerico conferatur. Haec ſaeculo XVI. erupit: cumque pacti vel ſimoniae ſpeciem praeſeferat, primum a multis improbata, tandem adprobata fuit, modo fiat Summi Pontificis auctoritate. At indignum eſt ibi ſacras regulas ulla relaxatione violari, ubi puriſſimus chriſtianae fidei ſplendor elucere debet. *Adulterum eſt*, belle inquit Cyprianus (2), *impium eſt, ſacrilegum eſt quodcumque humano favore inſtituitur, ut diſpoſitio divina violetur.*

§.II. Fraudibus autem in his renuntiationibus admitti ſolitis occurrit Cancellariae regula *de infirmis reſignantibus*, qua nulla declaratur collatio vi reſignationis facta, ſi infirmus intra viginti a facta reſignatione dies ex ea infirmitate deceſſerit. Mox coeperunt ſani reſignare beneficia, ſed ex pacto reſignationem occultare, ut ad mortem uſque beneficiis fruerentur. Hinc condita eſt Cancellariae regula *de publicandis reſignationibus*, qua reſignationes publicari iubentur, & accipientes beneficia poſſeſſionem petere intra ſex menſes, ſi reſignationes in Curia factae ſint; ſin extra, intra menſem unum: beneficium vero vacare per obitum, ſi reſignans poſt ſtatuta tempora in poſſeſſione deceſſerit. Novam beneficii reſignati publicandi formam praeſcripſit Gregorius XIII. (3); cuius conſtitutionem confirmavit & auxit Benedictus XIV. (4). §.III.

(1) *Lib. II. inſtit. canonic. cap.* 18. (2) *Lib. I. ep.* 8.
(3) *Bulla* humano vix iudicio 85. *in Bullar. Rom.*
(4) *Bulla* eccleſiaſtica miniſteria 10. *Bullar. tom. II.*

§.III. Secundus eſt *permutatio beneficii*. Haec ſaeculo XII. primum emerſit, ſtatimque tamquam turpis damnata fuit a Concilio Turonenſi ſub Alexandro III. (5). At ob eccleſiae neceſſitatem vel utilitatem permutationes beneficiorum auctoritate epiſcopi fieri canones permittunt. Urbanus III. (6) decernit, *commutationes praebendarum de iure fieri non poſſe, praeſertim pactione praemiſſa, quae circa ſpiritualia, vel annexa ſpiritualibus labem ſemper continet ſimoniae*. Mox excipit: *Si autem epiſcopus cauſſam inſpexerit neceſſariam, licere poterit de uno loco ad alium transferre perſonam, ut quae in uno loco minus utiles ſunt, alibi ſe valeant utilius exercere*. Patronus etiam eccleſiaſticus audiendus eſt, qui ſi abnuat, & permutatio expedire videatur, poteſt nihilominus epiſcopus ad eam procedere. Laici vero patroni conſenſu omnino eſt opus.

§. IV. Tertius eſt *mors beneficiarii*; is enim fructuarius eſt redituum beneficii, quod ius morte perimitur. Quartus eſt *monaſtica profeſſio*; qua emiſſa clericus beneficium ſtatim amittit, cuius incapax eſſe incipit, ob regulam: *ſaecularia ſaecularibus, regularia regularibus danda ſunt*. Quintus eſt *matrimonium*, licet ratum, a clerico minore contractum: quo caſu beneficio renuntiaſſe praeſumitur. Sextus eſt *adquiſitio alterius beneficii incompatibilis*; qua de re actum ſupra cap.XXXIV. Septimus tandem eſt *crimen*, propter quod amittitur beneficium aut ipſo iure, aut ſententia iudicis. Ipſo quidem iure, h. e. ſtatim ac clericus crimen admiſit, beneficium vacat, ita ut alteri conferri poſſit. Per ſententiam vero, quum lata demum ſententia privatur. Nullum crimen indu-

(5) *Cap.8. ext. de praebend.* (6) *Cap.5. ext. de rer. permutat.*

ducit vacationem beneficii ipſo iure, niſi in iure ſit expreſſum. Ita iure ipſo vacant beneficia ob ſimoniam, haereſim, ſchiſma cum haereſi coniunctum, apoſtaſiam; ſententia vero ob ſacrilegium, periurium iudiciale, falſi crimen in litteris apoſtolicis admiſſum, aliaque delicta.

C A P. XXXVII.

De iurepatronatus.

§. I. SAEpe collator beneficium dare tenetur tantum clerico, quem patronus praeſentaverit: quo caſu proviſio ſtricte *inſtitutio* dicitur. In eccleſia nomina *patronus* & *patronatus* rebus ipſis recentiora ſunt; res enim iam ante nomina ſua erant. Olim qui eccleſiam fundaverat, *fundator*, & nominatio ei data *gratia* dicebatur (1). Poſtea fundator dictus eſt *patronus*, forte a patrocinio, quod fundatae eccleſiae impendere debet; & ius, quod fundatori in ea competit, *patronatus* audiit. Quo primum tempore hae voces novo iſto ſenſu adhiberi coeperint, incertum eſt. Profecto in vetuſtis canonibus & legibus nuſquam occurrunt. Primus ſaeculo nono Hincmarus Remenſis (2) *patroni* vocem uſurpavit; at ea deſignavit ius, quo potentiores laici eccleſias tamquam res patrimoniales poſſidebant (3). Vero propius eſt, ſaeculo XII. nomina *patronus* & *patronatus* in ea ſignificatione, quam hodie habent, invaluiſſe (*a*). Deinceps antiquato *fundatoris* nomine vox increbuit *patroni*. §. II.

(1) *Concil. Arauſican. can.* 10. (2) *In capitul. cap. ult.*;
(3) Vid. Boehmer. *lib. III. iur. eccleſ. tit.* 38. §. 22.

(a) Vox *patroni* occurrit in *cap.* 1. & 2. *ext. de iurepatronatus.*

§. II. Iam patronatus eſt *ius temporale*, *ſpirituali adnexum*, *honorificum*, *onerosum*, *& utile*, *quod fundatoribus eccleſiarum conceſſum eſt*. Ita quidem iuſpatronatus accipiendum eſt, ſive ex veteri, ſive nova diſciplina aeſtimetur. Dicitur *ius temporale*; nam oritur ex re profana, quam fundator Deo dicavit; unde a laicis quoque poſſidetur, & cum bonorum univerſitate ad heredes tranſit. Additur *ſpirituali adnexum*; quamvis enim per ſe temporale ſit, ordinatur tamen ad ſpiritualia, hoc eſt praeſentationem idonei clerici, ut beneficium accipiat: unde iuſpatronatus ſpirituali adiunctum pronuntiat Alexander III. (4). Ad rem Paullus (5): *Quae*, ait, *religioſis adhaerent*, *religioſa ſunt*. Excipit *honorificum*, *onerosum*, *& utile*; habet namque patronus potiſſimum honorem praeſentandi clericum ad beneficium vacans, onus tuendi eccleſiam, eiuſque bona, & utilitatem accipiendi alimenta a fundata eccleſia, ſi inops fiat: qua de re pluribus infra. *Fundationis* voce late ſumta intelligimus conſtructionem, dotationem, reaedificationem. Iura omnia, quorum ratio in fundatione continetur, ſive id fiat ex iuris canonici diſpoſitione, ſive ex lege fundationis, ad iuſpatronatus pertinent. Ea patres fundatoribus eccleſiarum paſſim indulſerunt quaſi ἀντίδωρον, ut beneficii vices iis rependerent. Hinc iuſpatronatus *virtute gratitudinis* inve-

(4) *Cap. 16. ext. h. t.* (5) *L. 43. D. de rei vindicat.*

natus; quorum primum ex Concilio Cabillonenſi II. ſub Carolo M. an. 813., alterum ex Concilio Triburienſi an. 864. deſumptum eſt. At ibi *patroni* nomen gloſſema eſt S. Raymundi, cuius aetate fundatores vulgo *patroni* vocabantur. Deeſt enim in integris iis canonibus apud Labbaeum, inque I. decretal. compilat. apud Ant. Auguſtinum.

veſtum obſervat Gulielmus Pariſienſis *(6)*.

§. III. Iuſpatronatus primum moribus inductum, deinde latis legibus ſenſim & per partes conſtabilitum eſt, & ex parvis initiis paullatim crevit. Eius variae ſunt in Graeca & Latina eccleſia aetates. Olim in Oriente fundatores eccleſiarum nihil iuris prae ceteris habuere: ſacri miniſtri ab epiſcopis communibus cleri populique ſuffragiis eligebantur. Tantum inde a ſaeculo quarto eccleſiis nomen a fundatoribus ſaepe inditum eſt, & eorum nomina inter miſſarum ſollemnia e ſacris diptychis recitari ſolebant, teſte Chryſoſtomo (7). Sepultura quoque in eccleſia, quam extruxerant, fundatoribus data eſt. Ita Conſtantinus M. in baſilica Apoſtolorum a ſe CPoli fundata (8), & cuiuſdam Caeſarii uxor in eccleſia per virum aedificata *(9)*, ſepulti ſunt. Inde ius nominandi clericos ordinandos, vel ordinatos eligendi ad miniſterium eccleſiarum citius in Oriente, quam in Occidente prodiit. Zeno Imp. anno 475. electus (10) eos, qui aliquid ad eccleſiam, vel hoſpitale aedificandum donaverint, cogi ad opus perficiendum iuſſit, ipſiſque *adminiſtrationem* detulit. Saeculo ſexto Iuſtinianus (11) monaſteriorum, xenodochiorum, & eccleſiarum fundatoribus ius eligendi adminiſtratores, praefectos, & presbyteros indulſit. Rurſus (12) fundatoribus eccleſiarum ordinari in eis clericos quos volunt non permiſit, ſed praeſentari voluit epiſcopis examinandos, & ſi idonei fuerint reperti, ordinandos, ne per indignos ſancta Dei

(6) *Lib. de moribus cap. 9.* (7) *Hom. 18. in Act.*

(8) Euſebius *lib. IV. de vit. Conſtantin. cap. 71.* (9) Sozomen. *lib. IX. H. E. cap. 2.* (10) *L. 15. C. de ſacroſ. eccleſ.*

(11) *L. 46. §. 3. C. de epiſcop. & cler.* (12) *Nov. 57. cap. 2.*

Dei profanentur. Tandem (13) poteſtatem nominandi clericos ad heredes fundatorum extendit, *ſi expenſas ipſis clericis miniſtrent*.

§. IV. Quod ſpectat ad Occidentem, iam a ſaeculo quinto nomina & elogia fundatorum in eccleſiis ſuis inſcripta, teſtatur Paullinus Nolanus (14). Fundatoribus autem nihil iuris in eccleſiis a ſe conſtructis, *praeter proceſſionis aditum, qui omni chriſtiano debetur*, habere voluit Gelaſius I. (15). Serius in Occidente admiſſum eſt ius praeſentationis, nec uno ubique tempore receptum. Primum Synodus Arauſicana an. 441. (16) hanc *gratiam* conceſſit epiſcopo in aliena dioeceſi eccleſiam aedificanti, non item aliis chriſtianis, *ut quos deſiderat clericos in re ſua videre, ipſos ordinet is, cuius territorium eſt*. Conſonat Concilium Aurelianenſe an.452. coactum (17). Tractu temporis omnibus fundatoribus ius praeſentandi paſſim datum eſt. Saeculo ſexto in oratoriis & paroeciis ruralibus iam receptum fuiſſe iuſpatronatus, conſtat ex Concilio Aurelianenſi IV. an. 549. (18). Eodem autem ſaeculo in Romana eccleſia conditoribus nihil iuris debebatur, *niſi proceſſionis gratia, quae chriſtianis omnibus in commune debetur*, ut habes ex Gregorio M. (19). Saeculo ſeptimo in Hiſpania fundatores nominarunt clericos. Concilium Toletanum IX. an. 655. (20) permiſit eccleſiarum fundatoribus earum curam habere, & rectores idoneos epiſcopis offerre ordinandos; quod ſi negligant, epiſcopi ipſi dignos miniſtros inſtituant; irrita vero ſit ordinatio clericorum, contemtis fundatoribus

(13) *Nov.* 123. *cap.* 18. (14) *Ep.* 10. *&* 12. (15) *In can.* 26. *&* 27. *C.* 16. *q.* 7. (16) *Can.* 10. (17) *Can.*36. (18) *Can.* 7. *&* 33. (19) *Lib. II. ep.* 5. (20) *Can.* 2.

datoribus facta. Eodem ſaeculo fundatoribus eorumque filiis ad inopiam delapſis alimenta e bonis eccleſiae addixit Synodus Toletana IV. an.633. (21). Porro ſaeculo nono, & ſequentibus laici in eccleſiis, quas a principibus in feudum vel alodem acceperant, aut ipſi uſurpaverant, clericos inſtituebant & deſtituebant ad libitum: quam abuſionem canones ſaeculo decimo & ſequenti conditi damnarunt. Tandem eccleſias reſtituerunt ea lege, ut iurepatronatus gauderent, clericoſque adeo epiſcopis praeſentarent, non etiam inſtituerent. Saeculo XII. & ſequentibus per Pontifices patronorum iura ad veterum canonum amuſſim declarata ſunt, inque ſyſtema quoddam abierunt: quod canoniſtae interpretamentis ſuis paſsim perpolierunt & auxerunt.

§. V. Olim unicum fuit iuriſpatronatus genus, iiſdem regulis conſtans: nullum enim in priſcis canonibus & legibus diſcrimen de ea re occurrit. Sed inde a ſaeculo XII. per Pontifices & veteres iuris canonici interpretes plures patronatus ſpecies ac differentiae inductae ſunt. Dividitur primo iuſpatronatus in *eccleſiaſticum*, *laicum*, & *mixtum*. Eccleſiaſticum eſt, *quod eccleſiae, capitulo, dignitati, monaſterio adhaeret, illudque exercet, qui eccleſiam, dignitatem, monaſterium tenet, ſive clericus ſit, ſive etiam laicus, ut abbatiſſa*. Laicum vero eſt, *quod competit clerico aut laico ratione proprii patrimonii, non eccleſiae vel dignitatis;* Quin etiamſi a clerico ex proventibus eccleſiaſticis conſtitutum ſit, laicum tamen eſt; quum hodiernis moribus clerici in foro externo reditus beneficiorum inſtar patrimonii ſuos faciant. Illud praecipue inter eccleſiaſticum & laicum patrona-

(21) *In can.* 30. *C.* 16. *q.* 7.

natum intereſt, quod ad praeſentandum patrono eccleſiaſtico ſex, laico quatuor menſes conceduntur, quodque huic variare licet, eccleſiaſtico non item, ut infra exponetur. In dubio autem iuſpatronatus praeſumitur laicum, quippe beneficia omnia cenſentur a laicis fundata (22). Mixtum tandem eſt, *quod partim ratione eccleſiae, partim ratione privati patrimonii competit:* cuius proinde beneficii duo ſunt patroni, eccleſiaſticus & laicus, qui coniunctim praeſentant, & litterae praeſentationis amborum nomine expediuntur. Si enim alternatim praeſentent, iuſpatronatus mixtum non erit; nam utriuſque patroni iura non miſcentur, ſed uterque iure ſuo utitur. In patronatu autem mixto ea qualitas attenditur, quae patrono magis favet, ut alterutes privilegio ſocii gaudeat.

§.VI. Iuſpatronatus tam eccleſiaſticum, quam laicum dividitur in *perſonale*, & *reale*. Perſonale certae perſonae vel familiae competit ſine ullo ad rem reſpectu, & *perſonale* dicitur, non quod cum perſona extinguitur, ſed ut diſcriminetur ab eo, quod rei adhaeret. Reale autem adnexum eſt fundo, feudo, villae. Huiuſmodi patronatus exordium ſumſiſſe videtur ab oratoriis & ſacellis, quae viri nobiles in villis ſuis fundare conſueverunt pro familiae commodo; his oratoriis praeficiebantur a fundatoribus non ſine antiſtitis venia presbyteri ad ſacra peragenda, uti colligitur ex conciliis ſaeculo ſeptimo & octavo habitis, in quibus oratoria haec & presbyteri crebro memorantur. Quumque ea in commodum habitantium in villis & caſtris extructa eſſent, viſum eſt, ex mente fundatorum ſequi dominos ipſa-

(22) Gulielmi Benedicti *ad cap.* Raynutius *ext. de teſtam.*

rum villarum & caſtrorum debere, illiſque adeo competere ius eligendi presbyteros, qui ſacellis inſervirent. Publica erant oratoria haec, non domeſtica, utpote non in unius familiae, ſed ad communem incolarum villae vel caſtri uſum comparata. Quumque ea tractu temporis in paroecias & vera beneficia, quin & canonicorum capitula, converſa eſſent, remanſit ius patronatus, maxime praeſentationis, apud illos ipſos, eorumque heredes, qui antiquitus ius nominandi presbyteros ad celebrandum habebant.

§. VII. Modi adquirendi iuſpatronatus aut ordinarii ſunt, aut extraordinarii. Ordinarii ſunt *fundatio*, & *dotatio*. Iam Gonzalez (23), Cabaſſutius (24), aliique tribus modis adquiri patronatum ſcribunt, aut *ſundatione*, aut *conſtructione*, aut *dotatione*. Unde illud: *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.* Vocant *fundatorem*, qui ſolum ſeu aream ad ſuperaedificandam eccleſiam tribuit: *conſtructorem* vero eum, cuius pecunia extruitur: & *dotantem*, qui congruam dotem adſignat. Contra Royeus (25), Eſpenius (26), Fagnanus (27), aliique ſtatuunt, patronatum coniunctive adquiri *fundatione*, *conſtructione*, & *dotatione*; fundatoremque eſſe eum, qui & fundum, & dotem pro aedificanda tuendaque eccleſia dat. Sane canones fundationis nomine *conſtructionem*, & *dotationem* intelligunt; & porro dotis conſtitutionem, ſine qua extrui eccleſiam non ſinunt, ex regula iuris antiqui ſupponunt. Hunc etiam facit Tridentina Synodus (28): *Nemo . . niſi eccleſiam, beneficium, aut* ca-

(23) *In cap.* 25. *ext. de iurepatronat.* (24) *Lib. II. theor. & prax. iur. canon. cap.* 7. (25) *In prolegom. ad tit. de iure patronat. cap.* 13. (26) *Iur. eccleſ. part.* 2. *tit.* 25. *cap.* 3.

(27) *Ad cap.* quoniam *ext. de iurepatronat. n.* 25.

(28) *Seſſ.* 14. *cap.* 12.

capellam de novo fundaverit, & conſtruxerit, ſeu iam erectam, quae tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, ius patronatus impetrare aut obtinere poſſit, aut debeat. Habes hîc duas ſpecies; alteram, quum eccleſia iam erecta eſt; alteram, quum nondum erecta eſt, uti conficiunt ea verba, *de novo fundaverit & conſtruxerit, ſeu iam erectam.* Si quis novam eccleſiam extruere velit, eius patronus erit, ſi *fundaverit* (hoc eſt aream dederit) *& conſtruxerit* (ideſt ſuo ſumtu curaverit aedificandam), & quod ſecundum canones ſubaudiendum eſt, congruam dotem dederit. Non ergo ſola fundi datione, aut conſtructione patronatus adquiritur. Quod ſi iam extructa eccleſia ſit, cuius dos aut omnino, aut ex parte perierit, qui eam pro dignitate dotaverit, patronus erit, quamvis nec fundaverit, nec extruxerit: quo caſu ſi alius exiſtat patronus, interpellandus eſt. Si tres ad eccleſiam aedificandam concurrant, quorum unus aream, alter expenſas ad conſtructionem, tertius congruam dotem det, omnes erunt patroni; nam tres iſti ex mente canonum veram fundationem conſtituunt. Ceterum fundator eccleſiae iuſpatronatus in eá adquirit ex diſpoſitione iuris communis, etſi illud ſibi non reſervaverit; naturale enim eſt, fundatione adquiri, quae ab ea pendent. Clemens III. (29) conſultus, *ſi aliquis efficiatur ſola eccleſiae conſtructione patronus*, reſpondit, eum, qui *aſſenſu dioeceſani eccleſiam conſtruxit, ex eo iuſpatronatus adquirere.* Secus eſt, ſi expreſſe, vel tacite ei iuri renuntiaverit: ſi enim fundator, eiuſve heredes iurepatronatus uſi non ſint, praeſumitur eos in fundatione ius illud

(29) *Cap. 25. ext. de iurepatronat.*

remiſiſſe, & eccleſiam liberam fundare voluiſſe, aut tacite illi renuntiaſſe per non uſum. Extra ordinem adquiritur patronatus potiſſimum *praeſcriptione*, & *privilegio Summi Pontificis:* qua de re adi Royeum (30), Florentem (31), & Eſpenium (32).

§. VIII. Iura patronatus triplicis ſunt generis, *honorifica*, *oneroſa*, & *utilia:* quae his verſiculis exprimuntur,

Patrono debentur honos, onus, utilitaſque.
Praeſentet, praeſit, defendat, alatur egenus.

Honorifica quidem ſunt *praeſentatio*, *honor proceſſionis* (*b*), *precum*, *thuris*, *ſedis*, *aquae benedictae*, *panis*

(30) *In prolegom. ad tit. de iure patronat. cap.* 16.
(31) Tractatu *de antiquo iurepatronatus*, & tractatu *de iurepatronatus*. (32) *Cit. loc.*

(b) Honor proceſſionis fundatori eccleſiae debetur. Gelaſius I. apud Gratian. *can.* 26. *C.* 16. *q.* 7. fundatori nihil iuris in eccleſiam attribuit, *praeter proceſſionis aditum, qui omni christiano debetur*, ſive, ut in *can.* 27. *eod.* legitur, *niſi proceſſionis aditum, qui chriſtianis omnibus in commune debetur*. Pari modo Gregorius M. *lib. II. ep.* 5. ſcribit, *ex more conditori nihil iuris* (in eccleſiam) *ulterius iam deberi, niſi proceſſionis gratiam, quae chriſtianis omnibus in commune debetur.* Ad hos canones ſpectavit Clemens III. vel Alexander III. in *cap.* 25. *ext. de iurepatronat.* his verbis: *Honor proceſſionis fundatori ſervatur .... ſicut in ſacris eſt canonibus inſtitutum*. Quid in productis canonibus ſit *proceſſionis aditus*, mira canoniſtarum diſcrepantia. At Gelaſii, Gregorii, & Clementis verba clariora ſunt, quam ut aliud praeeminentiae patrono tribui queat, praeter id, quod cuique fidelium competit, nimirum *procedendi*, h. e. libere ingrediendi in eccleſiam, & orandi in ea. *Procedere* enim eſt domo exire, & alio pergere: proinde *aditus proceſſionis* erat ipſe in eccleſiam ingreſſus. Tractu temporis proceſſio haec inter honorifica patronorum iura relata eſt. Ea vero in eo poſita eſt, ut patrono honoratior detur locus in publica proceſſione, eique eccleſiam adeunti cle-

nis benedicti, *ſtemmatis*, & *ſepulturae* (c). Oneroſa vero ſunt *tuitio eccleſiae* (d), *inſpectio in eadem*, *reaedificatio dirutae eccleſiae*. Utilia demum conſiſtunt in alimentis inopi patrono ab eccleſia praeſtandis. Itaque iuſpatronatus non continetur in ſola *praeſentandi* poteſtate, ſed alia privilegia complectitur, quamvis meliorem eius partem praeſentatio conſtituat. Immo datur patronatus iure praeſentandi deſtitutus, cui reliqua inſunt iura, veluti ſi patronus, ſervatis ceteris iuribus, praeſentandi ius dimiſerit.

§. IX. Praecipua itaque iuriſpatronatus pars eſt *praeſentatio*, qua patronus clericum offert epiſcopo, vel alteri collatori, ut eum, ſi repererit idoneum, in vacante beneficio inſtituat. Nec vero neceſſe eſt, ut patronus ipſe collatorem adeat; ſed ſatis eſt, ut clerico tradat litteras praeſentationis collatori deferendas. Immo iure hodie paſſim recepto nulla intelligitur nominatio, niſi quae per authenticas litteras ſit facta. Opus etiam eſt, ut expeditae litterae collatori exhibeantur, ſive, ut loquuntur pragmatici, *pulſentur aures Ordinarii*. Id ſi nondum ſit factum, & patronus a praeſentatione reſilire, & Pontifex patronum eccleſiaſticum praevenire, & epiſcopus litteris legitimo tempore non exhibitis, be-

 ne-

rici in proceſſionem digeſti occurrant: qui tamen ſollemnis occurſus patrono tantum regi, aut magno principi in eccleſiam advenienti debetur.

(c) De his omnibus ex inſtituto diſſerunt Franc. de Roye libris duobus *de iuribus honorificis in eccleſia*, & Matthias Mareſcal tractatu *de iuribus honorificis*.

(d) Videſis de hac re Georg. Ludov. Boehmer. *obſ. 6. de advocatiae eccleſiaſticae cum iure patronatus nexu*, & Cangium in *Gloſſar.* v. advocatus.

neficium iure ſuo dare poteſt.

§. X. Olim nullum patronis tempus ad nominandum definitum fuiſſe videtur. Tantum, ut cito nominarent, admonebantur; quum canones *ultra tres menſes* eccleſias vacare non ſinerent, teſte Gregorio M. (33). Poſtea Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. an. 1179. (34) controverſias inter laicos patronos obortas *intra tres menſes* definiri iuſſit, ſecus epiſcopi iure ſuo conferrent. In multis Lateranenſis Synodi MSStis pro *tres menſes* legebatur *quatuor:* quae lectio praevaluit, & a Pontificibus probata fuit. Sic Innocentius III. (35) an. 1198. reſcripſit, ut ſi quaeſtio inter patronos non fuerit definita *intra quatuor menſes*, epiſcopus ordinet eccleſiam ſine eorum praeiudicio. Idem vero Alexander III. (36) an. 1180. Tornacenſi epiſcopo reſcripſerat, ut ſi quaeſtio iuriſpatronatus *infra ſex menſes* non terminetur a tempore vacationis, liceat epiſcopo eccleſiam conferre. Itaque Synodus Lateranenſis ſub Alexandro III. *tres menſes*, qui mox in *quatuor* abierunt, patronis ad praeſentandum praeſcripſit; idem vero Alexander III. *menſes ſex* iiſdem praeſtituit. Ad hanc ἀντινομιαν conciliandam, veteres canoniſtae Lateranenſem canonem de patrono laico, decretalem vero Alexandri III. de eccleſiaſtico acceperunt; quam interpretationem confirmavit Bonifacius VIII. (37). Ita diſcrimen invaluit, ut patrono laico menſes quatuor, eccleſiaſtico ſex ad praeſentandum dentur. Utrumque tempus currit a die ſcientiae vacationis. Intra legitimum hoc tempus ſi ordinarius ſine praeſentatione beneficium contu-

(33) *Lib. VI. ep.* 38. (34) *Can.* 17. (35) *Cap.* 27. *ext. de jurepatron.* (36) *Cap.* 22. *ext. eod.* (37) *Cap.* 1. *eod. in* 6.

tulerit, irritanda eſt collatio (38). Eo autem elapſo tempore, ſi patronus praeſentare neglexerit, Ordinarius iure ſuo conferet, non devoluto; nam ius conferendi numquam patronus habuit, ac porro inter patronum & Ordinarium nullus eſt iuriſdictionis gradus.

§. XI. Porro patronus laicus intra quadrimeſtre ante inſtitutionem variare poteſt; & plures ſimul, aut diverſis temporibus epiſcopo praeſentare; patronus autem eccleſiaſticus variare vetatur; & unum dumtaxat praeſentare poteſt. Diſcrimen hoc inter laicum & eccleſiaſticum patronum invaluit Lucii III. (39) decretali. Quorſum id? Hanc nonnulli rationem afferunt; quod praeſentatio patroni eccleſiaſtici vim habet collationis, vel electionis, quae ius aliquod ad beneficium tribuit; poſteriori praeſentatione haud intercipiendum: contra laici praeſentatio nullum ius confert. Rem ſic exprimit Innocentius IV. (40): *Clericalis variatio eſt interdicta, quia illorum clericorum praeſentatio vicem habet electionis.* Sed nuſquam in iure cautum; praeſentationem patroni eccleſiaſtici vice fungi electionis. Quare magis eſt, ut eccleſiaſtico patrono variare non ſit datum, propterea quod eum dedeceat inconſtantia, & plus temporis ipſi, quam laico conceſſum ſit, ut mature deliberet quem praeſentet, & melius quam laicus idoneos clericos noſſe poteſt. Quum autem patronus laicus ſecundum offerens a primo non recedat, eiuſmodi praeſentatio *cumulativa* vulgo dicitur; licetque epiſcopo e pluribus ſucceſſive praeſentatis quem malit inſtituere.

§. XII. Ceterum a quocumque patrono praeſen-

 tan-

(38) *Cap.* 8. *ext. eod.* (39) *Cap.* 24. *ext. de iurepatron.*
(40) *Ad cap.* 24. *ext. eod.*

tandus eſt clericus idoneus, hoc eſt, qui qualitates habet a canonibus ad beneficia conſequenda praeſcriptas, & in fundatione beneficii adpoſitas. Tantum patronus, licet idoneus ſit, ſeipſum ad vacantem eccleſiam praeſentare nequit, ceu reſcripſit Innocentius III. (41). Quid ſi indignus ſit praeſentatus? Olim patroni omnes indignum nominantes iure ſuo pro ea vice cadebant (42). Deinde inter eccleſiaſticum & laicum patronum diſtinctum eſt. Ille enim, ſi indignum praeſentaverit, ea vice praeſentatione privatur (43); hic non item, ſed alterum praeſentabit (44).

C A P. XXXVIII.

De penſionibus eccleſiaſticis.

§. I. BEneficiis adfinis eſt penſio eccleſiaſtica, hoc eſt, *moderata fructuum pars ex alieno beneficio, quae eleemoſynae titulo clericis pauperibus iuſta de cauſſa, & Superioris auctoritate adſignatur*. Eam exemplo Florentini (1) in legato definiendo ſic deſcribit Duarenus (2): *Delibatio quaedam beneficii, qua ex eo quod univerſum beneficiarii foret, pars quaedam alicui confertur*. Iam conſtituitur penſio vel ob ſacrum miniſterium, ut vicariis perpetuis aut temporalibus, vel ſine ſacri officii onere, nempe clericis eccleſiae non inſervientibus. De poſtremo hoc penſionum genere hîc diſpiciemus.

§. II. Penſionum, ſi, uti debent, eleemoſynae iure

(41) *Cap. 26. ext. eod.* (42) Royeus *ad cap. 24. de iurepatron.* (43) *Cap. 2. ext. de exceſſib. praelator.* (44) *DD. ad cap. 4. de iurepatron.* (1) *L. 117. D. de legat. 2.*
(2) *Lib. VI. de ſacr. eccleſ. miniſter. cap. 4.*

iure cenſeantur, vetuſtiſſima origo eſt. Earum primum occurrit exemplum in Concilio Epheſino (3), in quo Euſtathio Pergae epiſcopo, qui ob ſenium epiſcopatum depoſuit, alimenta ab eadem eccleſia decreta ſunt (*a*). Deinde in Concilio Chalcedonenſi tria ſunt exempla penſionum epiſcopis munere ſuo deiectis conſtitutarum. Act. X. Domno epiſcopo Antiocheno in eadem Synodo depoſito, & Maximo in eius locum ordinato, auctoritate univerſae Synodi, & Maximo ſucceſſore rogante, humanitatis cauſſa certi ſumtus de eccleſia Antiochena ſtatuti ſunt (*b*). Act. XII. Baſſianus & Stephanus, qui de Epheſina ſede contenderant, excluſi ſunt, cautumque, ut alius Epheſinus ordinetur epiſcopus; illi autem *habeant dignitatem epiſcopi, & ex reditibus memoratae eccleſiae, nutrimenti gratia & conſolationis, annis ſingulis ſolidos aureos ducentos unuſquiſque accipiat*. Act. XIV. Athanaſio a Perrhenorum ſede amoto ſuffectus eſt Sabinianus, decretumque, ut Sabinianus, ſi Athanaſius fuerit eccleſiae ſuae reſtitutus, *dignitatem epiſcopatus habeat, & ſubſtitutus ſit, & paſcatur, ſicut epiſcopus Antiochenorum Maximus, ſecundum facultatem Perrhenorum eccleſiae, diſpoſuerit*. Sacculo ſexto & ſequentibus penſiones adſignatae ſunt epiſcopis vel ſenectute confectis, vel incurſione barba-

(3) *Act. 7. ep. ad Synod. Pamphyliae*.

(a) Male Pagius *ad A. C.* 451. *n.* 61. ſcribit, *penſiones e beneficiorum fructibus delibatas nullibi ante Concilium Chalcedonenſe memorari*.

(b) Queſnellus *diſſ. 9. ad Oper. S. Leon.* contendit, commentitiam eſſe Chalcedonenſis Synodi actionem X. quae de Domno Antiocheno inſcribitur. Eum ſequitur Van-Eſpen *diſſ. de convocat. & actis Concil. Chalced.* §. 12. At pro eius actionis genuinitate adverſus Queſnellum pugnat Baluzius *praef. ad Concil. Chalced. n.* 32. *ſeq.*

rorum deiectis, vel epiſcopatu iuſta de cauſſa ſe exonerantibus, itemque clericis ad agendam poenitentiam in monaſterium detruſis, ut ex Gregorio M. (4) conſtat. Eadem in eccleſiis Regni viguit diſciplina. Gregorius M. (5) Agathoni epiſcopo Liparitano ob crimina depoſito *quinquaginta ſolidos* ex reditibus eccleſiae Liparitanae addixit *humanitatis intuitu, ne alimentorum neceſſitati poſt vindictam ſubiaceret*. Idem Pontifex (6) Marcello epiſcopo Barunitano, in Panormitano monaſterio S. Hadriani in poenitentiam deputato, neceſſaria ad victum & veſtitum dari iuſſit.

§. III. Multa veterem hanc de penſionibus diſciplinam intuenti obſervanda occurrunt. Primum penſiones iuſta de cauſſa, quin ſola *humanitatis* & *conſolationis* gratia, datas; aequum enim eſt viſum, inopes clericos, quibus eccleſiae deſervire non liceret, ex bonis eccleſiae ali. Deinde, eas auctoritate Concilii, aut Romani Pontificis adſignatas fuiſſe: quod producta ex Concilio Chalcedonenſi & Gregorio M. exempla evincunt. Adhaec penſiones tamquam eleemoſynas quaſdam ſolis clericis, qui altari deſervierant, & quidem pauperibus, addictas fuiſſe; non enim alio titulo poſſunt clerici, qui altari non deſerviunt, aliquid de bonis Chriſti & pauperum delibare. Sic Baſſiano & Stephano conceſſa penſio eſt ratione paupertatis, ad quam poſt exauctorationem redacti erant. Praeterea modicas, & penſionarii egeſtati adcommodatas fuiſſe; tantum enim ex communi maſſa decerpebatur, quantum clerico modeſte nutriendo ſufficeret: de patrimonio quidem Chriſti nemo ſaginari poterat. Ita Domno tantum neceſſaria *alimonia* conſtituta ſunt: & Baſſiano ac Stephano

(4) *Lib.XI. ep.*7. (5) *Lib. III. ep.*55. (6) *Lib.I. ep.*18.

no ex reditibus locupletiſſimae metropoliticae ſedis Epheſinae ad ſui ſuſtentationem non niſi ducenti ſolidi aurei ſingulis adſignati ſunt. Profecto ſi ipſi clerici eccleſiae deſervientes nihil, praeter neceſſariam ſuſtentationem, ex ſacro Chriſti & pauperum fiſco ſibi vindicare poterant; quis putet, meliori conditione fuiſſe clericos altari non inſervientes? Cum ergo modica decernerentur alimenta, nec pauperes alimentis, nec eccleſia portione ſibi debita, conſtitutis penſionibus, fraudabantur. Tandem adnotandum eſt, raras fuiſſe huiuſmodi alimentarias portiones; quum enim clerici ab eccleſia, cui fuerant adfixi, alerentur, ut eccleſiae non inſerviens penſione donaretur, opus erat, eum iure ſervitii ab altari vivere non poſſe; quod raro contingebat.

§.IV. Haec genuina eccleſiae de penſionibus mens eſt, Ab ea inde a ſaeculo XII. deſciverunt, novamque veluti faciem induerunt. Saepe enim epiſcopi cum titulato partiebantur praebendam vel curam, quamvis hic altari non deſerviret; ſaepe beneficia locarunt, ut ipſi tantumdem meterent, ac beneficiarius. Concilium Lateranenſe III. an. 1179. (7) vetuit, praelatos *partem redituum ſuis uſibus appropriare*. Apoſtolica Sedes uſque ad Avenionenſe ſchiſma penſionibus ſemper obſtitit, & corruptelis inde profluentibus. At furente ſchiſmate Avenionenſi res adeo ruit in peius, ut ubique vitia remediis fortiora fuerint. Etenim Cardinales, quibus ingens erat beneficiorum cumulus, partem earum reſignarunt, ſed tanta penſione oneratam, ut beneficiarius fere eſuriret. Hinc reditus beneficiorum totius Occidentis penſionibus abſorpti, & effraenata penſionum licentia chriſtianum orbem pervaſit. Quare penſiones ad-

(7) *Can. 7.*

adſignatae clericis aliunde locupletibus, qui nec eccleſiae deſervierant, nec inſerviebant, immo & laicis; contra beneficiariis ex opimo beneficio vix relictum, unde vitam tolerare poſſent: homines doctrina & auctoritate muneri ſuo obeundo impares eccleſiis praepoſiti: pauperibus nihil relictum, ſacra ſupellex vilis, ſacrae aedes collapſae: proſcripta beneficiorum pluralitas penſionum pallio tecta, quippe beneficia, retentis penſionibus, reſignabantur: ac innumera alia emerſerunt mala.

§. V. His periti ſapientes illi praeſules a Paullo III. de reformanda eccleſiae diſciplina conſulti, rite reſponderunt, canonibus adverſari penſiones, quae integros fere reditus beneficiorum abſumerent, & divitibus clericis concederentur, ac *nulla alia de cauſſa, nulloque alio iure penſiones conſtitui poſſe, niſi ut quaedam eleemoſynae, quae in pios uſus & indigentibus concedi debent*. Inde in Tridentina Synodo pluries de penſionum abuſu reformando actum. Complures enim antiſtites exoptarunt, penſiones *ad veterem & vere chriſtianum uſum revocari*; quin regis chriſtianiſſimi legati penſiones prorſus deleri petierunt (8). Verum Tridentini patres (9) unum id de hac re ſtatuerunt, *ut in poſterum omnes cathedrales eccleſiae, quarum reditus ſummam ducatorum mille, & parochiales, quae ſummam ducatorum centum, ſecundum verum annuum valorem non excedunt, nullis penſionibus, aut reſervationibus fructuum gravarentur*. Perexiguam tanto malo medicinam! At patres temporum acerbitati deſervire coacti ſunt: nec uno ictu abuſus ſemel inducti abſcinduntur. Interim Concilii mens ea fuit, ut penſionibus veluti eleemoſynis qui-

(8) *Conf.* Pallavicin. *lib. XVIII. hiſt. Conc. Trident. cap. 6.*
(9) *Seſſ. 24. de ref. cap. 13.*

quibuſdam clericorum inopiae conſuleretur. Id etſi decreto Synodico expreſſum non ſit, colligitur tamen ex Pio IV. (10), qui penſiones eſſe *quaſdam eleemoſynas* in pauperum clericorum praeſidium, reſpondit. Quis vero concoquat, Synodi ſententiam aliam fuiſſe ab ea, quam delecti theologi Paullo III. propoſuerunt, eccleſiae regulis, & redituum eccleſiaſticorum naturae conſonam? Poſt Tridentinam Synodum ſanctiſſimi praeſules adeo penſiones oderunt, ut ne decretum quidem huius Synodi exſecuti ſint. Inter hos S. Carolus Borromaeus, qui in Mediolanenſi dioeceſi penſionibus bellum indixit, totoque epiſcopatus tempore ſemel penſionem modicam & iuſta de cauſſa dari paſſus eſt (11).

§.VI. Qui penſionum cauſſam defensionemque ſuſcipiunt, obtendunt, non eadem cenſura poſteriorum temporum mores, & antiquam eccleſiae ſeveritatem aeſtimari; prudentem eccleſiae diſciplinam ad frequentem uſum eas comprobaſſe; difficile eſſe, ſeneſcentem eccleſiam ad prima infantiae cunabula revocare, ſiquidem ſeverioris reformationis cenſura deſiderari, quam ſperari, dici facilius, quam praeſtari poteſt. Sed Aſinios iſtos vitiorum ſub honeſtis nominibus adſertores ii probabunt, qui in eadem vitia conſentiunt.. Ad rem Cyprianus (12): *Conſenſere*, inquit, *iura peccatis*, *& coepit eſſe licitum quod publicum erat*. Eccleſiae mens pura, & ſemper eadem eſt: nonnumquam eius ſplendor chriſtianorum vitiis infuſcatur. Cur non totis viribus enitimur, ut antiqua diſciplinae puritas & ſinceritas quaſi poſtliminio revertatur, & mores, qui tamdiu in proclivia vitiorum incubuere, ad veteris integritatis & chri-

(10) *Reſponſ. ad Regem Galliar.* (11) *Auctor. Novarenſ. in vit. S. Caroli lib. VII. cap.* 35. (12) *Lib. II. ep.* 2.

chriſtianae ſeveritatis regulas revocentur? Recte Alexander Severus aiebat (13): *Diſciplina maiorum remp. tenet, quae ſi dilabatur, & nomen Romanum & imperium amittemus*. Sed ſapientis eſt, mores publicos non conturbare. Quare de penſionibus ex nova diſciplina agamus.

§. VII. Novo itaque iure penſiones ſunt *ius percipiendi certam pecuniae quantitatem ex alieno beneficio, iuſta de cauſſa, & ſolius fere Pontificis auctoritate alicui clerico ad vitam conſtitutum*. Eae proprie beneficia non ſunt, quum ob ſacrum officium non dentur; ſed beneficii loco, praeſertim ſi eleemoſynae modum ſuperent. Propius vero accedunt ad beneficium, ſi quis titulo penſionis ordinetur. Porro ex communi canoniſtarum ſententia, penſiones iuri communi contrariae ſunt, adeoque odioſae; per eas enim dividuntur beneficii fructus, ſicque quaedam beneficii ſciſſio fit, quae iure improbatur: illuditur canonibus pluralitatem beneficiorum prohibentibus, aliaque incommoda progignuntur. Hinc nonniſi iuſta ex cauſſa, Superioris auctoritate, & moderate ſunt decernendae.

§.VIII. Penſiones itaque iuſta cauſſa adſignandae ſunt, veluti clerico infirmo, inopi, bene de eccleſia merito. Plerumque tribus de cauſſis permittuntur, pro ſedanda lite de beneficio, pro reſignatione, ac pro permutatione pinguioris beneficii cum minus pingui. At indictae his de cauſſis penſiones nullo iure probantur (*a*). Quod ad primam, qui litigioſo beneficio renuntiat, penſione ſibi reſervata, vere tranſigit, quippe iuri ſuo cedit, aliquo retento: at *tran-*

(13) Apud Lamprid. *in eius vit.*

(a) Conf. Annaeum Robertum *lib. I. rer. iudicatar. cap.* 7. & Eſpenium *iur. eccleſ. part. II. tit.* 28. *cap.* 3.

tranſigi ſuper re ſacra & litigioſa ſimoniacum eſſe, reſpondit Alexander III. (14). Prorſus vero iniquum eſt, penſionem depoſcere, quia reſignatur beneficium. Nae profanus, qui ideo reſignat beneficium, ut, onere amoto, fructus percipiat. Nihil vero iniquius, quam penſionem ab eo retineri, qui alienus eſt, nec amplius paſtor, nullumque in eccleſia laborem impendit, quum beneficiorum reditus iis tantum erogandi ſint, qui adſiduo munere altari ſervientes de altario cibaria expectant. Hoc ſi fiat, beneficium ab officio ſecernere oportet, cum tamen beneficii fructus non debeantur, niſi ratione beneficii. Recte Urbanus III. (15) ſimoniacos pronuntiat eos, qui ſuis cedunt praebendis, ut alias adquirant, aut certam pecuniae quantitatem. Denique praeſidium in iure non habent penſiones ob permutationem beneficiorum, ut inaequales eorum reditus ad aequalitatem redigantur. Id enim quid eſt aliud, quam ſacris muneribus ad quaeſtum abuti? Qui a ſua abit eccleſia, ius amittit vivendi de priſtino altari, ac de novo cibaria percipiendi adquirit. Relictam eccleſiam, quia ditior eſt, deglubere, & ad inopiam redigere, ſacrilegum eſt. Beneficiarii nihil, praeter honeſta alimenta, e bonis ecclesiae depoſcere queunt: reliqua ſunt pauperum, & ecclesiae. Qui *translatus eſt ex alia in aliam eccleſiam, prioris eccleſiae rebus in nullo communicet*, inquit Synodus Chalcedonenſis (16): unde iis temporibus ignotas fuiſſe penſiones ſuper beneficio, quod relinquebatur, aut reſignabatur, ſcite colligit Lupus (17). Ceterum, ut tuta conſcientia penſiones exigantur, multa cautione eſt opus. Si enim iuſta desit cauſſa, nec conſuetudo ex-

(14) *Cap. 7. ext. de tranſaction.* (15) *Cap. 5. ext. de rer. permutat.* (16) *Can. 3.* (17) *Schol. ad can. 3. Chalced.*

excuſat, nec etiam cum diſpenſatione Papae ſecurus eſt pensionarius; conſtat enim Pontificem eſſe rerum ecclesiaſticarum principalem diſpenſatorem, non dominum. Quin fieri poteſt, ut pensio iuſte a Superiore decernatur, quam tamen pensionarius iniuſte accipit, ſi nempe ob eccleſiae neceſſitatem, utilitatemve adſignetur clerico non merenti, quam is nullo iure exiget.

§. IX. Non iuſta modo cauſſa, ſed & Superioris auctoritate penſiones conſtitui debent. Eas olim auctoritate Synodi, aut Romani Pontificis adſignatas, ſupra vidimus. At ſaeculo XII. vetita beneficiorum & praebendarum diviſione, interdictoque epiſcopis novos cenſus eccleſiis imponere (18), ſenſim penſionum indicendarum poteſtas uni Pontifici delata eſt. Quum enim penſio beneficium, aut ſaltem fructus ſcindat, eique onus imponat, ſumma auctoritas ad eam decernendam neceſſaria eſt viſa, quo iuris communis vinculum provide relaxaretur. Verum iure communi etiam epiſcopi pensiones imponere poſſunt. Ii enim & impoſuerunt olim, & adhuc poſſunt iuſta de cauſſa penſionem ex beneficio aliquo decerpere, dignoque clerico conferre. Sane ademta epiſcopis hac in re poteſtas non eſt. Quum enim aliquid in iure permittitur, nec id ſpecialiter ſibi reſervavit Pontifex, eius quoque poteſtatem habent epiſcopi. De penſione autem id probat Innocentius III. (19), qui vetat, epiſcopos penſionem imponere in fraudem: ergo ea ceſſante imponere poſſunt. Sed ex recepta canoniſtarum ſententia, id inter penſionem a ſummo Pontifice, & ab epiſcopo attributam intereſt, quod illa ipſi beneficio ſeu beneficii fructibus im-

(18) *Cap. 8. ext. de praebend.*, & *cap. 7. ext. de reſcript.*
(19) *Cap. 30. ext. de praebend.*

imponitur, tamquam onus *reale*, adeoque tranſit ad quemcumque beneficii poſſeſſorem : haec autem beneficiario adhaeret, tamquam onus *perſonale*, proinde morte beneficiarii extinguitur, nec ad eius ſucceſſorem tranſit. Antiſtites epiſcopo inferiores imponere penſiones nequeunt (20).

§. X. Quantitas penſionis in iure definita non eſt. In Tridentinis comitiis antiſtites quidam propoſuerunt, nullum beneficium onerari penſionibus poſſe ultra tertiam redituum partem. At id aliis probatum non eſt, quod beneficiorum quaedam ſint tam opima, ut vel duae fructuum partes penſionibus gravari poſſint; alia vero tam tenuia, ut ne exiguae quidem partis imminutionem admittant. Res in medio relicta fuit. Tantum Synodus gravari penſionibus vetuit cathedrales eccleſias, quae mille ducatos, & paroeciales, quae centum aureos ſecundum verum annuum valorem non excedunt : de aliis eccleſiis & beneficiis ne verbum quidem unum. Sed ambigendum non eſt, quin ex Tridentini & canonum ſententia eſſe moderata penſio debeat, ut beneficiario ſuperſit unde poſſit honeſte vivere, pauperibus opitulari, omniaque beneficii onera ferre. Hinc parva beneficia penſionibus exemta ſunt. Plerumque a Summo Pontifice penſiones uſque ad tertiam vel mediam fructuum partem ex beneficiis reſervari, ſcribit Fagnanus (21). Quod ſi beneficia ſint regiae collationis, vel patronatus laici, aut mixti, penſionibus affici nequeunt ſine Regis, vel patronorum conſenſu.

§. XI. Penſionarius eſſe clericus ſaltem tonſuratus

(20) Duaren. *cit.loc.* Camillus Cautius *de penſione epiſcopali.*
(21) *In lib. III. decretal. part. I.*

tus debet. Sixtus V. (22) cavit, penſiones non niſi *actu clericis*, in habitu & tonſura incedentibus, dari. Pius V. (23) iuſſit, penſionarium, ſi aliunde horis canonicis non obſtringitur, quotidie recitare officium B. Mariae Virginis, ſub poena amiſſionis fructuum penſionis, integro officio, vel horis omiſſis reſpondentium. Nec dubitandum, quin penſionarius, qui ex bonis eccleſiaſticis alitur, eccleſiae aut univerſae commodis, aut ſaltem particularis eius, cui adfixus eſt, naviter inſervire teneatur. Ignavos fucos, & inania terrae pondera non paſcit eccleſia.

§. XII. Ceterum extinguitur penſio morte penſionarii, quum ad eius vitam detur; matrimonio item penſionarii, quippe qui clericus eſſe debet, vitamque clericalem vivere: profeſſione religioſa eiuſdem, per quam beneficia ipſa vacant: penſionarii remiſſione, etiam ſine ſuperioris auctoritate (exceptis iis, ad quarum titulum quis ordinatus eſt); nam penſiones odioſae ſunt, extinctiones vero favorabiles, quum beneficia ad priſtinam libertatem reſtituantur. Transfertur vero penſio de una in aliam perſonam, ſi Pontifex hanc poteſtatem penſionario conceſſerit (24). Denique redimitur & extinguitur per *anticipatas* aliquot canonum ſolutiones, a beneficiario auctoritate Summi Pontificis factas.

F I N I S.

CON-

(22) *Conſt.* cum ſacroſanctam 92. *in Bullar. Rom.*
(23) *Conſtit.* ex proximo. (24) Vid. Gigas *de penſionib. quaeſt.* 12.

VA1 1530805

CONSPECTVS CAPITVM

In hoc volumine contentorum.

LIBER SECVNDVS

De rebus eccleſiaſticis.

CAP.I. D*E ſacramentis in genere.* 3
CAP.II. *De ſacramentis in ſpecie, ac primum de baptiſmo,* 23
CAP.III. *De confirmatione.* 57
CAP.IV. *De eucbariſtia.* 77
CAP.V. *De ſacrificio miſſae.* 101
CAP.VI. *De poenitentia.* 124
CAP.VII. *De extrema unctione.* 147
CAP.VIII. *De ordine,* 160
CAP.IX. *De ſponſalibus, & proclamationibus.* 212
CAP.X. *De matrimonio.* 227
CAP.XI. *De civili, & eccleſiaſtica in matrimonium poteſtate.* 247
CAP.XII. *De impedimentis matrimonii.* 255
CAP.XIII. *De polygamia & ſecundis nuptiis.* 302
CAP.XIV. *De divortiis.* 307
CAP.XV. *De eccleſiis.* 313
CAP.XVI. *De altaribus, & ornamentis eccleſiarum,* 342
CAP.XVII. *De eccleſiarum aedificatione, conſecratione, itemque violatione, & reparatione.* 354
CAP.XVIII. *De eccleſiarum aſylo.* 364
CAP.XIX. *De ſepultura eccleſiaſtica.* 387
CAP.XX. *De bonis eccleſiaſticis, eorumque origine.* 411
CAP.XXI. *De decimis, primitiis, & oblationibus.* 415
CAP.XXII. *De rerum eccleſiaſticarum adminiſtratione, & partitione.* 435

CAP.

CAP. XXIII.	*De rerum eccleſiaſticarum alienatione.*	443
CAP. XXIV.	*De beneficiis eccleſiaſticis.*	448
CAP. XXV.	*De beneficiorum fundatione, & erectione.*	457
CAP. XXVI.	*De beneficiorum collatoribus.*	460
CAP. XXVII.	*De pontificiis mandatis, reſervationibus, & praeventionibus.*	466
CAP. XXVIII.	*De beneficiis legitimo tempore conferendis, & iure devolutionis.*	474
CAP. XXIX.	*De beneficiorum conferendorum ratione.*	478
CAP. XXX.	*De inſtitutione canonica.*	483
CAP. XXXI.	*De beneficiariis.*	487
CAP. XXXII.	*De beneficiariorum iure, & obligationibus.*	495
CAP. XXXIII.	*De beneficiorum unione, diſiunctione, & ſectione.*	507
CAP. XXXIV.	*De beneficiorum pluralitate.*	511
CAP. XXXV.	*De commendis.*	514
CAP. XXXVI.	*De beneficiorum amittendorum modis.*	521
CAP. XXXVII.	*De iurepatronatus.*	524
CAP. XXXVIII.	*De penſionibus eccleſiaſticis.*	536

165.
e.
26.